UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

S. Augustinus, Episcopus in Africa Hipponensis, Veritatis Evangelico-Catholicæ In Potioribus Fidei Controversiis Testis Et Confessor, Contra Bellarminum Et Alios Scriptores Papæos, antiquos pariter & ...

Reiser, Anton

Francofvrti, 1678

Tomus Tertius

urn:nbn:de:hbz:466:1-72506

Visual Library

TOMI TERTII
Controversiæ Primæ,
DE
SACRAMENTIS IN GENERE,
LIBRI PRIMI
CAPVT SEPTIMVM
DE
De nomine Sacramenti.

Circa cujus explicationem *Chemnitius* noster contra Bellarminum quoad authoritatem Augustini vindicandus est. Postquam enim Bellarminus varia pro hujus nominis usu Ecclesiastico è Patrum Scriptis laudasset testimonia, in specie ad aliqua Augustini loca provocans, id etiam indè colligi scripsit, *Chemnitium falsa & pugnantia de hoc nomine locutum esse*, verbis nimirùm sequentibus: *Augustinus fermè primus cœpit vocabulum Sacramenti in hâc quidem materiâ extendere, & latius usurpare, quàm Antiquitas fecerat.* Epistolâ enim quintâ ad Marcellinum de Signis loquens, inquit: *Quæ cùm ad res Divinas pertinent, Sacramenta adpellantur.* Ut igitur Augustino aliquid sit Sacramentum, satis est, si rei alicujus Divinæ vel Sacræ sit signum. *Subjungit Bellarminus*: At falsum esse, primum fuisse Augustinum, qui extenderit hoc nomen ad alia sacra signa, quàm ad Baptismum & Eucharistiam, patet ex omnibus Scripturis citatis, & ex *Tertulliano, Cypriano ac Lactantio*, locis notatis, & præterea ex ipso etiam *Chemnitio*, qui paulò ante sic ait: *Conjunctio viri & uxoris in Conjugio est Sacramentum conjunctionis Christi & Ecclesiæ, Ephes. 5.* Et infra: *Omnes figuras & allegorias, significantes aliquid, Patres vocant Sacramenta.* Tertullianus lib. 5. contra Marc. vocat, *Sacramenta figurarum, & allegorias Sacramentorum*, ubi de duobus Abrahæ filiis loquitur. Et adversus Judæos vocat *Sacramentum ligni*, disputans de securi Prophetæ Elisæi, & de ligno Adæ. *Addit iterùm Bellarminus*, Hæc Ille, qui viderit, quàm benè cohæreat, Augustinum illius rei authorem facere, quæ apud Tertullianum, aliosque Patres vetustos, & apud ipsum Apostolum Paulum inveniatur. *Verùm* neque falsa, neque pugnantia aut malè inter se cohærentia *Chemnitium* de Augustino scripsisse, sed Bellarminum potius *Chemnitii* mentem & tractandi methodum nequiter invertisse, diversa nimirum impertinenter conjungendo, & conjungenda separando vel distinguendo, ex ipsis Chemnitii verbis erit manifestum. Quæ enim posteriori loco Bellarminus ex eo citavit, de usu vocis Sacramenti Ecclesiastico in genere agunt; quæ autem priori, eum hujus vocabuli sensum exhibent, quo ab Augustino in specie ad eas res fuit translatum, quæ ad Sacramenta propiùs accedunt, *Chemnitio* multis ex Augustino testimoniis ostendente, longè plura fore, quam septem Sacramenta, si juxta vocis usum Augustino familiarem numerus esset ineundus. Hoc si observetur, facile licebit videre, Augustinum à Chemnitio non male illius significati authorem dici, quod eo in sensu neque apud alios Patres vetustos, neque apud Apostolum Paulum inveniatur. Sed juvat ipsum audire Chemnitium, qui prolixissime Augustini mentem in hujus vocabuli

cabuli usu exposuit, ita de eo scribens: *Augustinus primus fermè cœpit vocabulum Sacramenti in hâc quidem materiâ extendere & latius usurpare, quàm Antiquitas fecerat.* De Signis enim loquens, inquit: *Quæ cùm ad res Divinas pertinent, Sacramenta adpellantur.* Et alibi: *Sacramentum sacrum est signum.* Et iterùm alibi externum Sacramentorum usum describens ait: *In nullum nomen Religionis, seu verum, seu falsum coagulari homines possunt, nisi aliquo signaculorum vel Sacramentorum visibilium consortio colligentur.* Ut igitur Augustino aliquid sit Sacramentum, satis est, si rei alicujus Divinæ vel sacræ sit signum; præsertim si in publicis Ecclesiæ conventibus, certis ritibus externis usurpetur, sive mandatum habeat à Christo in Novo, sive ex Veteri Testamento sit desumtum, ut Chrisma, vel à Viris Ecclesiasticis excogitatum, ut signatio Crucis. Nec refert Augustino, sive Gratia per illud signum detur, sive tantum significetur, ut in Matrimonio; item, sive sit Gratia reconciliationis, sive aliud aliquod donum Spiritûs, ut in ordinatione. Hoc modo & hâc ratione Augustinus aliis & pluribus etiam rebus tribuit adpellationem Sacramenti, quàm Antiquitas ante ipsum fecerat. Ita *in ordinatione manere ordinationis Sacramentum* dicit; & rationem adpellationis addit, alibi, de Baptismo & ordinatione loquens: *Utrumque est Sacramentum, & quâdam consecratione homini datur illud, cùm baptizatur; istud, cùm ordinatur.* Et iterùm alibi dicit, *Unctionem in genere visibilium signaculorum Sacro sanctum esse.* Et mox, quasi rationem reddens, addit, *visibile illud sanctum Sacramentum discernendum esse ab invisibili unctione Charitatis.* Ita etiam Matrimonium adpellat Sacramentum, & rationem explicat, scribens: *Sicut Sacramentum pluralium Uxorum illius temporis significavit multitudinem Deo subjectam in gentibus terrenis omnibus; sic Sacramentum Nuptiarum singularum nostri temporis significat, unitatem omnium nostrûm subjectam Deo futuram in unâ cœlesti Civitate.* Hâc verò ratione propter significationem rei sacræ Augustinus plura numerat Sacramenta, quàm illa septem, pro quibus Pontificii dimicant. Nam *catechumenos ante Baptismum secundum quendam modum suum per signum Christi sanctificari* dicit, sicut & Dionysius baptizandis *Signum Crucis* tribuit. Illud verò signum Crucis Augustinus inter Sacramenta numerat, alibi etiam scribens: *Multa Sacramenta aliter atque aliter accipimus; quædam ore accipimus, quædam per totum corpus, Crucem verò portamus in fronte.* Rationem verò, quare Sacramentum adpellatur, mox explicat, *Quia in fronte erubescimus, ipsam quodammodo ignominiam, & quam Pagani deridٍent, in loco pudoris nostri constituit, ne de Cruce erubescamus.* Item, *Crux illa signum est humilitatis, unde sanatur tumor animæ.* Et iterùm alibi: *In hâc Crucis figurâ continetur Sacramentum.* Et explicat, *quod in latitudine intelligatur dilectio proximi &c.* Addit etiam, *Hoc Sacramento crucis sanctus Propheta Elisæus Sunamitidis filium, os ori, manus suas manibus ejus adplicans, orando suscitavit. Ejusdem virtute Sacramenti Moses in deserto bis petram virgâ percussit.* Videt Lector, quam latè Augustinus utatur vocabulo Sacramenti. Nam & omnes ritus, qui præter baptizationem in actu Baptismi tunc temporis adhibebantur, vocat Sacramenta, scribens: *In Sacramentis, & in catechizando, & in exorcisando, prius adhibetur Ignis.* Et mox rationem addit: *Transiens per Ignem & Aquam educeris in refrigerium; quarum enim rerum signa sunt in Sacramentis, ipsæ res sunt in illâ perfectione Vitæ æternæ.* Manifestissimus verò est sequens locus: *Quod catechumeni accipiunt, quamvis non sit corpus Christi, sanctum est tamen & sanctius, quàm cibi, quibus alimur, quoniam est Sacramentum.* Intelligit autem εὐλογίαν, hoc est, panem benedictum, quem vocant, Sanctæ Communionis vicarium, & illum expresse dicit esse Sacramentum, sed addit, *non ita, sicut Eucharistia, Sacramentum est.* Et hoc bene observet Lector. Alibi etiam omnia, quæ in Catechumenis ante Baptismum aguntur, vocat Sacramenta, & enumerat *Exorcismos, Orationes, Cantica, insufflationes, cilicium, inclinationem cervicum, humilitatem pedum &c.* Ita alibi iterùm disputans de Baptismo, hoc est, *de Sacramento Fidei & corporis Christi*, exempla addit de *die Dominico & die Paschæ*, de quibus dicitur, *Hodiè Dominus resurrexit*, & explicat: *Hos ipsos dies secundum illorum, quibus hæc sunt gesta, similitudinem nuncupamus, ut dicatur illo die fieri propter Sacramenti celebrationem, quod non illo die, sed jam olim est factum.* Post aliqua ex *Bernhardo* addit *Chemnitius*: Hæc recitavi, ut ostenderem, quale sit fundamentum, cui septenarius Sacramentorum numerus superstruitur, quod scilicet Augustinus, & alii quidam, pluribus rebus seu ritibus adpellationem Sacramenti tribuant, quàm Baptismo & Cœnæ Dominicæ. Ostendimus enim, numerum Sacramentorum hoc modo longè ultra Septenarium

pro-

lib. 10. de Civ. Dei. cap. 5.

lib. 19. cõtra Faust. cap. 11.

de Bono Conjug. cap 24.

lib. II. cõtra Epist. Parmen. cap. 13.

lib. II. contra lit. Petil. cap. 104.

de Bono Conjug. cap. 18.

lib. II. de peccat. merit. cap. 26.

lib. 19. contra Faust. cap. 14.

in Psal. 141

Serm. 19. de Sanct.

in Psal. 65

lib. II. de peccat. merit. cap. 26.

lib. IV. de Symb. ad Catech. cap. 1.

Epist. 23

progressurum, cùm pluribus rebus seu ritibus adpellationem Sacramenti tribuat Augustinus. Et diligenter est observandum, quod Augustinus, licet in usurpatione vocabuli hujus aliquantò sit liberalior, & quamplurimis accommodet rebus, quàm Veteres ante ipsum fecerant; ut tamen ostendat, reliqua ratione aliâ dici Sacramenta, quàm sicut Baptismus & Eucharistia, plerumque explicat, quâ ratione dicantur Sacramenta, sicut in adductis ostendimus Exemplis. Ita quando signum Crucis vocat Sacramentum, illustri differentiâ illud distinguit à sanctificatione, quæ fit in Baptismo. Et dignum est observatione, Augustinum ita numerare plura Sacramenta, ut tamen primo, illustri, præcipuo, peculiari & distincto loco ponat Baptismum & Eucharistiam, ut quando de Sacramentis Novi Testamenti loquitur: *Pauca pro multis, eaq; factu facillima, & intellectu augustissima, & observatione castissima, ipse Dominus & Apostolica tradidit Disciplina, sicut est Baptismi Sacramentum, & celebratio Corporis & Sanguinis Domini.* Et alibi: *Dominus noster Iesus Christus in Evangelio Sacramentis numero paucissimis, observatione facillimis, significatione præstantissimis societatem novi populi colligavit, sicut est Baptismus Trinitatis nomine consecratus, & Communicatio Corporis & Sanguinis ipsius, & si quid aliud in Scripturis Canonicis commendatur.* Hæc omnia ex Augustino solitâ & solerti diligentiâ collegit *Chemnitius* ad nominis Sacramenti ambiguitatem ostendendam, quæ falsitatis arguere, nescio, an quis post Bellarminum sit ausurus. Sed neque pugnantia sunt cum iis, quæ in antecedentibus scripsit, & ex Paulo, aliisque Ecclesiæ Doctoribus, de generali hujus vocabuli usu monuit: *Conjunctio viri & uxoris in Conjugio est Sacramentum conjunctionis Christi & Ecclesiæ*, Eph. 5. *Huic etiam est adsine, quod de significatione parabolarum Christus inquit*, Vobis datum est, nosse Mysteria Regni Cœlorum, reliquis autem in Parabolis. *Hæc significatio propiùs quidem aliquanto ad propositam accedit quæstionem; sed hoc modo multò plura numeranda erunt Sacramenta, quàm septem. Omnes enim figuras & allegorias, aliquid significantes, Sacramenta Patres vocant. Ita Tertullianus, vocat Sacramenta figurarum & allegorias Sacramentorum, ubi de duobus Abrahæ filiis loquitur; & disputans de securi Prophetæ Elisæi & de ligno Adæ vocat Sacramentum ligni. Ita Augustinus texens Allegorias vocat Sacramentum panis, Sacramentum piscium, Sacramentum numeri &c. Nostra autem est quæstio, quo-modo & quâ ratione vocabulum Sacramenti ad signa Gratiæ Novi Testamenti, qualia Baptismus & Cœna Domini sunt, extra omnem controversiam, translatum sit & accommodatum.* Nulla in his verbis repugnantia vel ex oppositio contrarietas, modò diversitatis ratio circa hujus vocabuli usum modo non uno ab Augustino & antecedentibus Ecclesiæ Doctoribus attenta, & à *Chemnitio* ostensa ritè observetur, adque statum Controversiæ ex debito adplicetur.

NB.

lib. III. de Doctr. Christ. cap. 9. Epist. 118. ad Jan.

CAPVT DECIMVM ET TERTIVM.

De

Definitione Sacramenti ex Augustino.

Chemnitius hic iterùm vindicari debet à Bellarmini injuriâ, quâ ipsum adfecit, adcusans, quod omnes à se laudatas Sacramenti definitiones, interque eas etiam Augustini, reprehenderit. Ad quod ante, quàm respondeatur, notari debet, Augustinum nullibi Sacramentum in eâ significatione, quâ hodiè sumitur, definivisse, sed ad quem modum vocabulo Sacramenti secundum ea, quæ à *Chemnitio* diligenter collecta sunt, significatione latissimâ usus est, ita etiam de Sacramenti definitione, quam non uno in loco exhibet, statui debet. Agnovit id ipse Bellarminus, dum definitionem Sacramenti, quod sit *Signum Rei Sacræ*, quam colligi dicit ex Augustino, scribente, *Sacrificium visibile invisibilis Sacrificii Sacramentum*, id est, *Sacrum signum est*, & quam apud Theologos communem esse dicit, inter imperfectas recensuit, hâc additâ ratione, *quod multò plura sint rerum sacrarum aut invisibilis Gratiæ signa, quàm Sacramenta*, in strictiori nimirùm & propriâ magis significatione, subjungens, quod, *qui primus Sacramentum esse dixerit Sacræ Rei signum, non tam accuratè rem ipsam definire, quàm nominis interpretationem explicare videatur voluisse; nec rectè illos facere, qui pro hâc definitione defendendâ nimiùm altercantur, præsertim cùm ipse Augustinus de Sacramento loquatur tam amplâ significatione, ut etiam comprehendat Sacrificium.* Quorsum pertinet, quod de aliâ Sacramenti definitione non multùm dissimili apud *Gratianum* extante, & *Gregorio* adscriptâ, quam verò *Thomam* Augustino adtribuere monet Bellarminus, ipse de suo addens, *nec hujus, nec*

lib. 10. de Civ. Dei, cap. 5.

illius esse, sed Isidori Hispalensis, nisi fortè Isidorus illam acceperit ex aliquo Gregorii vel Augustini libro nobis hodiè incognito, decernit, eam ideò ab Isidoro adlatam *non ad rem ipsam accuratè definiendam, sed ad explicandam nominis definitionem.* Et hinc, ubi per aliquot Propositiones suam de Sacramenti definitione sententiam explicare laboravit Bellarminus, primâ statim Propositione ita contra hanc Augustini definitionem scripsit: *Ad Rationem Sacramenti in genere non satis est, ut significet, sed requiritur etiam, ut efficiat Sanctitatem seu sanctificationem; Imò magis proprium est Sacramenti sanctificare, quam significare.* In cujus Propositionis per aliquot rationes confirmatione illud inter cætera addit, *ipsum Augustinum hanc Definitionem suam condemnare ideò, quandoquidem velit eam convenire etiam Sacrificio.* Similem in modum recentior Interpres Thomæ, *Morandus*, Veronensis, Clericus Regularis, post ampliorem Definitionis Sacramenti per partes explicationem contra *Sanderum & Canum* monet, *excludi à ratione Sacramenti Sacrificium, quia Sacramentum etsi materialiter in re possit idem esse ac Sacrificium, primariò tamen respiciat suscipientes, Sacrificium verò ipsam Dei excellentiam.* Si autem Bellarmino & aliis Scriptoribus Papæis licitum fuit, definitionem Sacramenti Augustinianam utpotè imperfectam proscribere; cur *Chemnitio* calumnia à Bellarmino debuit impingi, quod & Ille eam inter eas retulit descriptiones, quæ non tam rei definitiones, quàm explicationes vocabuli sint. Nullum verò esset debet dubium, id quod in gratiam *Augustini* meretur notari, quin, si illo jam tempore hæc de Sacramentis materia in genere ita fuisset enucleata, ut postremis hisce temporibus per importunitatem partis adversariæ factum est, Augustinus quoque perfectiorem Sacramenti definitionem dedisset, ea removens, quæ in numero Sacramentorum propriè dictorum Ipse non haberet, si Sententia hodiè esset dicenda vel scribenda. Quem verò ad modum *Chemnitius* hanc Sacramenti definitionem Augustinianam non ita reprehendit, ut omninò eam voluerit ablatam; Ita Confessio Augustana, imitari volens ex parte hanc Augustini definitionem, Sacramenta dixit *Signa & testimonia Voluntatis DEI erga nos*, causam Sacramentorum finalem indicans, cujus rei gratiâ idem Augustinus alibi Sacramenta notanter dixit *Apostolo* duce *visibilia Rerum Divinarum signacula.* Signa, inquam, sed non nuda vel rei alicujus absentis, verùm præsentis, utut invisibilis & sacramentaliter elemento visibili unitæ, *Augustino* iterùm id explicante, dum de Sacramentis per fluxum *Aquæ* & Sanguinis è latere Christi significatis scripsit, *Sacramenta sunt, in quibus, non, quid sint, sed quid ostendant, semper attenditur; quoniam Signa sunt rerum aliud existentia, & aliud significantia.* Id quod ad definitionis *Augustinianæ* explicationem satis est.

in II. & III Thom. pag. 340.

de catech. rudib. cap. 26.

lib. III. contra Maxim. cap. 22.

CAPVT DECIMVM ET SEPTIMVM,
De
Sacramentorum fine sigillari.

AD hunc finem demonstrandum quatuor argumentis militare Evangelicos ex Sacrâ Scripturâ desumtis, scribit Bellarminus, quibus addit ipse quintum, ad authoritates Patrum provocans, qui Sacramenta vocare Sigilla seu Signacula leguntur, ad quæ omnia in specie studet respondere. Nunc tantum posteriora duo vindicias requirunt, utpote Augustini authoritatem præ se ferentia, ne & hic non noster esse videatur. Ex iis primum est, quod Oraculum Petri exhibet, quo Baptismus dicitur esse *bonæ Conscientiæ interrogatio in DEum.* Bellarminus, ne alicujus pacti sigillaris rationem hic agnoscere cogatur, & fateri, Baptismum esse Promissionis Divinæ Sigillum, non in genere solùm monet, *esse locum obscurum, nihilque causam juvare Evangelicorum*, sed in specie etiam post remotam *Oecumenii* de Baptismali pignore Expositionem, utpotè *quæ non videatur ad mentem Apostoli, neque etiam faveat hæreticis*; item post valere jussam Explicationem ordine secundam, quam *Lyrani, Gagnæi*, & *Iohannis à Lovanio* vel *Hesselii*, Professoris ante hoc Seculum Lovaniensis esse dicit, intelligentem per interrogationem bonæ Conscientiæ *interrogationem & responsionem, quæ fiunt ante Baptismum*, de quâ scribit, quod *itidem non faveat hæreticis, nec videatur esse literalis, quia neque sit Ambrosii, Basilii & Augustini, ut putaverit Hesselius*, sed falsò; remotis, inquam, hisce duabus Sententiis, ad aliam eamque tertiam provocat, quam se putare dicit esse Augustini & Basilii, *ut videlicet exprimatur à S. Petro mentis ablutio, quæ per antithesin opponatur ablutioni carnis, non per causam, sed effectum, usitatissimâ in Sacris metonymiâ.*

1. Epist. 3.

Addit

Addit Bellarminus de suo: *Vocat igitur ablutionem internam Petrus interrogationem seu responsionem bonæ Conscientiæ in DEum, quia ex munditiâ illâ Pax oritur & quies Conscientiæ, ac proindè responsio bonæ Conscientiæ & interrogatio etiam apud DEum, quia audet cum fiduciâ ad DEum accedere & interrogare, id est, cum Eo colloqui, Eum rogare &c.* Verùm præter id, quod Bellarminus præter necessitatem multiplicat entia, tres exhibens hujus Oraculi Expositiones, quæ ad numerum reduci possunt binarium, secundâ & tertiâ non diversum, multò minus contrarium, sed subordinatum exhibentibus Sensum; *Hesselio* inprimis non parvam facit injuriam, Ejus explicationem non tantum crudè nimis exhibendo, cujus tamen Sententia eadem est cum eâ, quam Bellarminus tertio exposuit loco, ut mox erit manifestum; sed & Ei innocenter imputando, quasi præter Ambrosii & Basilii, etiam Augustini super hoc Apostoli Oraculo mentem non candidè exposuisset. Utrumque docebit ipta verborum *Hesselii* series, quibus in Commentario ad hanc Petri Epistolam ex Augustino usus est, prolixis quidem, sed notatu dignissimis: *Dupliciter hoc intelligitur, Oecumenius enim inquit:* Non operatur Baptisma ablutionem corporis sordium, sed per Symbolum demonstrat macularum animæ ablutionem. Est autem veluti etiam arrhabo quidam & pignus bonæ erga DEum Conscientiæ. Qui enim benè sibi sunt conscii, hoc est, qui inculpatam amplectuntur vitam, & illam penitùs exquirunt, ac veluti interrogant, (nam hoc comitari solet eos, qui aliquid quærunt, nempè interrogare:) hi etiam ad Sacrum Baptisma accurrunt. *Intelligit is ergò, dici interrogationem bonæ Conscientiæ, quod signum sit bonæ Conscientiæ quærentis Pietatem. Sed sanè plus hic intelligendum est. Nam Petrus dicit, quod Baptisma salvat; facit igitur bonam Conscientiam. Ergò videtur dici ideò bonæ Conscientiæ interrogatio, quia facit, ut Conscientia sit bona; præterita enim remittit peccata, ut non debeat Conscientia propter illa metuere ac trepidare, & per Spiritum Sanctum renovat hominem, ut deinceps rectè vivat. Bona autem Conscientia interrogari audet & examinari in Iudicio & tribunali Dei, confidens, se haud damnatam iri. Secundum hanc Expositionem Baptismus vocatur interrogatio bonæ Conscientiæ eo tropo, quo nomen effectûs tribuitur causæ efficienti. Ideò autem dicit Petrus, Baptismum non abluere sordes carnis, quia per Christiana Sacramenta fideles non liberantur à miseriis & adflictionibus Seculi præsentis; magis enim propter Iudicium futurum fit Remissio Peccatorum. Aliter interpretatur Augustinus*, ut videlicet illud, non depositio sordium carnis, sed Conscientiæ bonæ interrogatio in DEum, sit correctio ejus, quod præcessit, Baptisma salvos fecit, *quasi dicat Petrus:* Quod dixi, Baptisma salvos facere, non ideò dixi, quasi externa lotio illa per se nos salvet, sed quia in Ceremoniis Baptismi, an credamus in Christum & abrenuntiemus Sathanæ & Pompis Ejus, interrogati, bonâ responde-mus Conscientiâ, nos credere & abrenuntiare. Hoc est, Ablutio exterior salvat per Pœnitentiam & Fidem, sine his autem nihil operatur. *Ut verò melius intelligatur hic Petri locus, videatur Augustinus locis citatis, qui & alibi ait:* Baptismus, qui semel adhibetur, per Fidem mundat; Fides intus est, non foris. *Et iterum alibi dicit*, Sacramenta sine internâ motione Fidei & Pœnitentiæ recepta esse similia præceptis & Exemplis, quæ sine Spiritu pejorem faciunt & occidunt. *Quomodo autem Baptismus salvet per Fidem, explicatur in Symbolo circa hoc, Credo Remissionem Peccatorum.* Et postquam ex Basilio similem huic Expositionem laudavit, ad Ambrosii quoque provocans consensum, hæc porrò subjunxit Hesselius: *Placet hæc Augustini & Basilii Expositio præ alterâ, quia magis consona est antiquissimis Ecclesiæ cerimoniis, de quibus vide alibi Augustinum, item Cyrillum Alexandrinum. Adjecit autem hoc Petrus, non depositio sordium carnis &c. contra opinionem Iudaicam, quâ aliquis sanctus putatur per externas tantum cerimonias vel Sacramenta, quâ putatur aliquis placere Deo propter formam Pietatis, etsi virtutem Ejus abneget.*

lib. 19. contra Faust. cap. 12. & Tract. 80. in Joh.

Serm. 30. de Verb. Domin. de Perf. Justit. in fine.

Epist. 23.

Videatur Esthius, qui in hujus Oraculi Expositione non multùm dissimili itidem ad Augustinum, ut & *Hesselium* hunc provocat, eum hoc modo ab accusatione Bellarminianâ liberans, ut ulteriori Apologiâ opus non habeat. Videamus alterum nunc argumentum, quod in ordine Bellarminiano quintum & ultimum est, quo Evangelicos putat, præter Scripturæ loca posse ad finem Sacramentorum sigillarem demonstrandum uti, desumtum ab authoritate Patrum, in specie Augustini, quem Sacramenta vocasse Sigilla seu Signacula, ad antecedens caput est ostensum. Respondet autem Bellarminus, *longè alia significatione loqui Patres de signaculis Sacramentorum, quàm hæretici faciant.* Addit, *Patres enim nunquam Sacramenta vocant signacula vel Sigilla promissionum Dei, ut hæretici volunt, sed aliquo horum trium modorum loquuntur de Signaculis.* Primò

signacula vocant Sacramenta, quia obsignant fideles, & tanquam Notæ quædam eos separant ab iis, qui non sunt de grege vel exercitu Domini. Ita accipit hanc vocem post Basilium & Hieronymum Augustinus. Secundò, *quia claudunt intra se Rem Sacram, id est, invisibilem Gratiam.* Atque hâc significatione Augustinus alibi Sacramenta vocat signacula. Tertiò, *Baptismum in specie vocant Sigillum vel Obsignationem Fidei, quia Baptismus est publica adprobatio & testificatio fidei ejus, qui baptizatur.* sic voce hâc utitur Tertullianus & Basilius. Subjungit porrò Bellarminus, *Denique potest etiam Baptismus vocari Sigillum Fidei, quia perficit & absolvit quodammodo hominem fidelem, quomodo Veteres mortem seu occisionem pro Christo vocabant Signaculum Martyrii, teste Eusebio.* At meminisse debebat Bellarminus, unius positionem non esse statim alterius remotionem, nisi contraria sint sibique invicem opposita. Hinc cometipso, quo tribus modis Patres, & inter eos Augustinum, Sacramenta dicere Sigilla vel Signacula largitur Bellarminus, hunc etiam concedit modum, quem ponit intermedium, quo Sacramenta vocantur Augustino *visibilia Rerum Divinarum signacula*; quæ eadem mens & Sententia est Evangelicorum, cùm Sacramenta dicunt promissionum & simul Beneficiorum DEI sigilla, qui modus cæteros non tollit aut excludit, sed potius includit, ut cuivis rem hanc accuratè ponderanti manifestum est.

lib. 19. contra Faust. cap. 11. de catech. rudib. cap. 26.

CAPVT VIGESIMVM,

De

Verbo Sacramenti.

AGit quidem in hoc capite Bellarminus expressè contra *Calvinum*, in capite etiam antecedente monens, *valdè probabile esse, Lutheranos, qui præter Concionem adhibent verba Consecrationis in omnibus Sacramentis, non requirere Concionem ad essentiam, sed tantùm ad fructum Sacramenti adsequendum, ac proindè cum eis nullam fore hic loci altercationem*; in proximè tamen sequentibus eos excipit, *qui verba ipsa Sacramentalia non proferunt ad consecrandum, sed ad instruendum, & apertè Evangelii prædicationem vocant*, Brentium ex Confessione VVurtembergensi nominetenus perstringens. Ut quæ Evangelicorum hâc de re sit Sententia, placet exponere Lectori ante, quàm Augustini de eâ testimonium ab adversariæ partis glosâ vindicare. Exhibet eam *Hülsemannus* noster verbis sequentibus: *Verbum concionatorium non est id tantùm, quod solum ad exhortandum aut increpandum de pulpito aut ambone declamitatur, sed est universum Verbum DEI προφορικὸν, aptum natum, ut in Concionibus & Officiis quibuscunque sacris adhibeatur, adeoque & verbum consecratorium suo ambitu comprehendit, quod est Verbum, habens annexam actionem quandam, institutione Christi mandatam, quæ tamen sive actio, seu actionis intentio non facit, ut hoc Verbum formaliter differat à verbo concionali; nec enim efficiente differt, nec materiâ, quæ est res ad salutem & informationem scibilis; nec formâ, nec fine, nec objecto integro. Quamvis enim Consecrationis sit finis, rem ad peculiarem usum peculiari mandato DEI destinatam à vulgari usu segregare; simul tamen & hominis instructionem pro fine habet, ut doceat, hoc ita se habere, hanc rem huic usui destinatam esse.* Præmissâ hunc in modum Sententiæ Evangelicorum explicatione, quia lis præcipua est de verbis quibusdam Augustini hanc in rem laudari solitis, necessum est, ut ea hic legantur, ut nimirùm eò felicius & facilius à Glosâ partis adversariæ possint vindicari. Ita autem Sanctus Pater: *Undè ista tanta virtus aquæ, ut corpus tangat, & cor abluat, nisi faciente Verbo; non quia dicitur, sed quia creditur? Nam & in ipso Verbo aliud est sonus transiens, aliud virtus manens. Hoc est Verbum Fidei, quod prædicamus, ait Apostolus; quia si confessus fueris in ore tuo, quia DOMINVS est IESVS, & crediderit in corde tuo, quia DEVS illum suscitavit à mortuis, salvus eris. Corde enim creditur ad Justitiam, ore autem confessio fit ad Salutem. Undè in actibus Apostolorum legitur, Fide mundans corda eorum. Et in Epistolâ suâ B. Petrus: sic & vos Baptisma salvos facit, non sordium carnis depositio, sed Conscientiæ bona interrogatio.* Ne hoc Augustini testimonium Sententiæ Evangelicorum videatur quidquam conferre, multa Bellarminus prolixissimè conquirit, & eo quidem cum successu, ut pleraque cæteri Scriptores Papæi, hanc tractantes Controversiam, tantum non planè ad literam exscripserint. Juvat exemplum rei & fidelissimæ descriptionis

in Anti-Hag. Disp. IV. Quæst. 6.

Tract. 80. in Joh.

nis documentum in *Vasquezio* videre, qui pari prolixitate cum Bellarmino & ex Bellarmino de his Augustini verbis agit, cujus responsum, etsi ferè ad nauseam usque prolixum, ne quid ad rem pertinens detrahi videatur, huc ponere placet, brevi cum „ subnexâ ad rei veritatem animadversione: *Hunc locum* Augustini intelligit Calvinus in III. „ (*Brentium cum quibusdam aliis Evangelicorum addit Bellarminus*:) de verbis Concionis, part. Tom. II. „ quæ hæretici adhibent Sacramento. Attamen ex suâ ipsius doctrinâ facilè potest Disp. 129. „ revinci; nam Ipse ait, detracto illo verbo Concionis manere adhuc Baptismi Sa- cap. 4. „ cramentum, siquidem Ipse non putat verbum tale esse de essentiâ Sacramenti. Et „ ideò Calvinistæ non rebaptizant eos, qui apud Catholicos sine Verbo Concionis „ baptizati sunt; & tamen de eodem verbo, de quo in prædicto locutus fuerat te- „ stimonio, ante dixerat idem Augustinus: *Detrahe verbum, quid est aqua, nisi aqua?* „ *Accedit verbum ad elementum, & fit Sacramentum.* Præterea convinci potest Cal- „ vinus ex verbis ipsius Augustini. Nam paulò post de eodem verbo Fidei, de quo „ fuerat locutus & dixerat, *Hoc est verbum Fidei, quod prædicamus*, subjungit, *Quo* „ *sine dubio, ut mundare possit, consecratur & Baptismus.* Atqui Baptismus non con- „ secratur, etiam ex Sententiâ Calvini, verbis Concionis, sed verbis illis, *Ego te* „ *baptizo in nomine Patris* &c. id quod alibi expresè docuit Augustinus his verbis: lib. III. de *Quamobrem si Evangelicis verbis, in nomine Patris, Filii & Spiritus Sancti, Marcion* Bapt. c. *Baptismum conferebat, integrum erat Sacramentum.* Denique de eodem verbo, de Donat. quo loquitur Augustinus in illo testimonio, statim inquit: *Hoc verbum Fidei tan-* cap. 15. *tum valet in Ecclesiâ, ut per ipsam* (alii legunt, per ipsum, scilicet verbum) *credentem, offerentem, benedicentem, tingentem etiam tantillum mundet infantem, quamvis non-* „ *dum valentem corde credere ad Iustitiam.* Atqui verbum Concionis eatenus solùm „ mundare potest ex Sententiâ Calvini, quatenus creditur; credi autem non pot- „ est ab Infante. Ergò Augustinus non loquitur de verbo Concionis, quod hære- „ tici contendunt adhibendum esse Sacramento. Ex Catholicis verò nonnulli hu- „ jus ætatis Theologi existimant, Augustinum non de verbo Concionis, nec de „ verbo Consecrationis, hoc est, de illâ Baptismi formâ, sed de verbo Institutionis „ ipsius Sacramenti esse locutum, de quo, inquiunt, rectè dicitur tribuisse vim aquæ, „ & ipsam consecrasse, ut etiam mundaret infantem. Hæc tamen Expositio ex ver- „ bis ipsius Augustini manifestè potest refelli. Nam de verbo, de quo Ipse in præ- „ dicto loquitur testimonio, & de quo dixit, dedisse virtutem aquæ, *ut corpus tan-* „ *gat, & cor abluat*, subjungit, *Non quia dicitur, sed quia creditur.* Verba autem In- „ stitutionis non ideò vim habent consecrandi Sacramentum, quia creduntur, sed „ quia à Christo dicta fuerunt; Institutio enim ipsa & consecratio Sacramenti non „ pendet ex nostrâ fide, *licet fructus Sacramenti pendeat*, sed ex verbo ipsius CHRI- NB. „ STI instituentis. Præterea Augustinus loquitur de verbo, quod cùm accedit „ ad elementum, efficit Sacramentum; & tamen verbum Institutionis non est, „ quod dicitur accedere ad elementum & efficere Sacramentum, sed verbum, quod „ ponitur pro formâ ipsius Sacramenti, ut constat. Alii etiam recentiores Theo- „ logi censent, *Augustinum* loqui nunc de Verbo concionis, nunc autem de verbo „ Sacramentali, quod verbum Consecrationis adpellamus. Primò quidem, I- „ psum loqui de verbo Sacramentali & consecratorio, colligunt ex eo, quod loqui- „ tur de verbo, quod accedens ad elementum facit Sacramentum. Loqui au- „ tem de verbo Concionis colligunt ex eo, quod citat illud Pauli, *Hoc est Verbum Fi-* Rom. 10. „ *dei, quod prædicamus vobis*, & hujusmodi alia, quæ quidem de verbo Concionis „ sunt intelligenda, quale etiam est illud, quod paulò ante adlegaverat, *jam vos* Joh. 15. „ *mundi estis propter sermonem, quem locutus sum vobis.* Constat autem, tunc *A-* „ postolos non fuisse mundatos propter Verbum Sacramentale & Consecrationis, „ sed propter verbum Concionis & exhortationis, quod à CHRISTO audive- „ rant. Sententia hæc vera quidem est, si intelligatur non de verbo Concionis, „ quod adhibetur in Baptismo & aliis Sacramentis, sed de verbo Concionis in uni- „ versum. Neque enim ibi *Augustinus* ex instituto agit de Verbo Sacramentali, „ sed de verbo Concionis in universum, & de virtute illius per Fidem ad animam e- „ mundandam. Cœpit verò occasionem ex illâ Domini Sententiâ, *Iam vos mun-* „ *di estis* &c. ubi ostendit CHRISTUS discipulis, ipsos fuisse emundatos à peccatis, „ non lotione pedum, sed sermone ipsius per Fidem. Ut autem ostendat effica-

„ciam Verbi exhortationis & prædicationis per Fidem, adfert statim Exemplum ver-
„bi Consecrationis, quod adhibetur elemento & efficit Sacramentum, ut osten-
„dat, omnem emundationem à Verbo per Fidem proficisci, & ita adfert illud Pau-
„li, *Hoc est Verbum Fidei, quod prædicamus* &c. Ipsam igitur efficaciam Verbi Con-
„cionis refert ad Fidem, quæ ex illo gignitur. Similiter de Verbo Consecratio-
„nis, quod adfert in exemplum suæ Doctrinæ, inquit, *Unde est ista tanta virtus* &c.
„quasi eandem vim tribuens verbo Sacramentali, ut per Fidem dicatur efficacitatem
„tribuere elemento ad emundandum; & ita exemplo verbi Sacramentalis & Con-
„secrationis confirmet id, quod dixerat de Verbo Concionis & prædicationis, de
„quo ex instituto disputabat. Quod verò adserit de verbo Sacramentali, *Non quia*
„*dicitur, sed quia creditur*, difficile videtur ad intelligendum. Nam efficacitas
„verbi Consecrationis non provenit à fide ministrantis aut accipientis, *licet ex parte
„recipientis adulti requiratur, ut dispositio, non ad ipsam Sacramenti virtutem, hanc e-*
NB. „*nim ex solâ Institutione habet, sed ut habeat effectum.* Quocirca in parvulis, qui
„credere non possunt, Baptismus effectum habet & sine Fide ministrantis, & sine
„Fide Recipientis; eâ certè de causâ, quia efficacitas illius est à DEO instituente,
„non autem à Fide. Quare eorum Sententia non placet, qui adserunt, ideò di-
„xisse Augustinum de verbo Sacramentali, *Non quia dicitur, sed quia creditur*, quia
„ad ejus efficacitatem Fides sit necessaria; & ex dictis confutatur. Dicendum
„igitur est, cùm Augustinus ait, *Non quia dicitur, sed quia creditur*, verbum cre-
„ditur non denotare actum credendi id, quod verbo significatur, sed Mysterium
„ipsum, quod est Fidei objectum, ut credatur, ut sensus sit, *Verbum, quod acce-
„dit ad elementum, ut fiat Sacramentum*, non tribuit elemento eam efficacitatem &
„virtutem emundandi, quatenus dicitur, hoc est, quatenus est sonus quidam ma-
„terialis & transiens, sed quatenus in se continet mysterium Fidei nostræ ad creden-
„dum. Hic autem sensus patet ex eo, quod in eodem Tractatu de verbo Con-
„secrationis, quod additur elemento, inquit idem Augustinus: *Hoc verbum Fi-
„dei tantum valet in Ecclesiâ* &c. ubi concedit Augustinus, verbum Fidei tantum
„valere in Ecclesiâ, ut mundet infantem ante, quàm credat. Id autem verum
„est, etiamsi Baptismus ei adhibeatur ab infideli. Tunc autem verbum Fidei non
„potest mundare per actum Fidei, sed ratione Mysterii, quod significat. Hoc
„autem vocat Augustinus fidem, eò, quod sit objectum Fidei, quod proponitur ad
„credendum, & in Baptismo profitemur. Verbum igitur Sacramentale ex Au-
„gustini Sententiâ ideò emundat, quia est Verbum fidei, sicut etiam verbum Con-
„cionis, hoc est, quia continet & denotat Mysterium Fidei ad credendum, non
„quia est vox quædam & sonus materialis; ut ita probet, omnem emundationem
NB. „fieri per Verbum Fidei, *sive extra Sacramentum, sive in Sacramento*, quamvis non
„eodem modo. Nam extra Sacramentum emundat verbum Fidei gignendo in
„aliis fidem, quâ voluntas ad DEUM convertitur; sive in Baptismo, in nobis
„efficiendo Sanctitatem, non ratione soni, sed ratione Mysterii Fidei, quod sonus
„significat, & ita sive hoc Idiomate, sive illo proferatur, eodem modo sanctificat.
„Quocirca non mirum, si Augustinus in tractatu illo citet quædam testimonia Scri-
„pturæ pro verbo Fidei, quod est verbum Concionis, quale est illud Pauli, *Hoc est
„verbum Fidei, quod prædicamus* &c. quædam verò alia pro verbo Consecrationis Sa-
„cramentalis, quale est illud Petri, *Quod & vos nunc salvos facit* &c. Hæc omnia
post Bellarminum prolixissimè *Vasquez*, suum Antecessorem in plerisque sequens,
in aliquibus explicans, & paucis hypothesibus exceptis, quas omninò occultare non
potuit, ita Augustinum illustrans, ut Evangelici Doctores non adeò multum possint
desiderare, quidquid sit de Sententiâ Calvini, cujus partes hic non aguntur. Pau-
cis, cùm Augustinus accedere dicit Verbum ad elementum, ut fiat Sacramen-
vid. D. Dannh. Mysteriosf. p. 138. tum, ex Evangelicorum, imò Augustini ipsius Sententiâ intelligitur Verbum *In-
stitutionis* sive mandati, non generalis, sed specialis, ad certam ac Sacramenta-
lem solennitatem restricti, quod in se continet Verbum *promissionis* Evangelicæ
de Gratiâ DEI & remissione peccatorum, ritui Sacramentali annexæ; simul
verò etiam complectitur Verbum *invocationis & gratiarum actionis*, quo & Di-
vina antecedenter Gratia rogatur, & consequenter pro acceptâ gratiæ haben-
tur, cùm sicut precatione omnes aliæ actiones, ita vel maximè hic etiam

actus

actus sanctificetur. Accedit quoque Verbum *adplicationis & determinationis* ad hunc vel illum, qui hujus vel illius Sacramenti particeps fieri desiderat. Omnia autem hæc Verba, in se unius tantum Verbi rationem habentia, dum non sine Sensu fideque in silentio demurmuranda, sed publicè recitanda & spectatoribus, præsertim ipsis communicantibus explicanda sunt, *Concionatoria* dici possunt, non in oppositione Verbi consecratorii, quasi hoc ab illis specificè sit diversum, cùm consecratio verbalis sit pars quædam Concionis, nullo causarum genere distincta, nec majorem illud verbum consecrationis, quasi practicum, præ verbo Concionis quasi speculativo, juxta Philosophiam Bellarmini habeat efficaciam; sed in oppositione taciti murmuris, quod in Sacramentali actu nullum habere locum aliàs docetur. Et horsùm respicere augustum Doctorem, dum non semel ad Apostoli Oraculum provocat scribentis: *Hoc est Verbum Fidei, quod* Prædicamus &c. debet esse indubium. Inde Bellarminus ipse suum inter eos Doctores professus est nomen, quos recentiores Theologos dixit *Vasquezius*, quorum Sententia fuit, Sanctum Patrem *nunc de Sacramentali, nunc de Concionali verbo* loqui; qui si illud tantum observassent, non diversa hæc Verba esse, sed unum idemque Verbum, diverso tantum respectu consideratum, facilè mentem Augustini percepissent. *Vasquezius* etiam qui omnibus aliis perspicacior & subtilior videri voluit, hanc Bellarmini & recentiorum, quos laudavit, Theologorum Sententiam dixit quidem esse veram, sed eâ solùm ratione, *si intelligatur de verbo Concionis in universum, non de illo verbo Concionis in specie, quod in Baptismo & aliis adhibetur Sacramentis.* Sed non adeò subtilis est hæc distinctio, ut, quæ in modo saltem proponendi aliquatenus differunt, pro diversis rebus in se habeantur. Sive enim Verbum in Concione & pro suggestu, sive in administratione hujus vel illius Sacramenti adhibeatur, idem est & manet Verbum DEI, suam habens ab Authore efficaciam. Quamvis etiam Augustinus eo in loco, unde testimonium, de quo hactenus, desumtum est, ex instituto & professo non agat *de Verbo Sacramentali* in specie, id est, de Verbo DEI, quatenus suam in administratione Sacramentorum exerit efficaciam, sed *de Verbo Concionis*, in universum, & de virtute illius per Fidem suscepti ad animam emundandam; egregiè tamen Augustinus per adductionem Exempli de Verbo in Sacramento Baptismi ostendit identitatem utriusque Verbi, & simul etiam Virtutis ab utroque, quod in se, ut dixi, unum est idemque, provenientis; de eodem Verbo, quod Concionis in specie dicitur, monens, *quod si accedat ad elementum, fieri Sacramentum*, Apostolo duce & præeunte, notanter ad præsentis Instituti rationem, contra quævis inaniter distingventium subterfugia testatus, *Hoc ipsum esse Verbum Fidei, quod* Prædicamus &c. & quod subintellectum voluit, quo interveniente & regeneramur & in Sacramento Eucharistiæ Christo hospite spiritualiter reficimur, Verbo hoc ad cæteras etiam actiones sacras ex Instituto Authoris efficaciter concurrente. Et hactenus de celebri Illo interque partes vexatissimo Augustini loco, brevitatis studio aliis prætermissis, quæ circa diversum ejus Sensum portò solent urgeri; extra dubitationis aleam posito, quod contra Bellarminum, & Vasquezium ad verum ejus intellectum ex ipso verborum contextu fuit observatum, unde Evangelicorum Sententia sine ullâ hæsitatione potest sufficienter perspici & percipi.

NB.

vid. D. Walth. Misc. Theol num. 5. p. 96. seq.

CAPUT VIGESIMUM & PRIMUM,

De

Rerum & Verborum Sacramentalium immutabilitate.

SI in hoc capite Bellarminus & suam candidè exhiberet Sententiam, & de Evangelicorum mente non iniquius statueret, nihil haberemus, quod circa præscriptum Lemma jure posset desiderari, nobis in eo omnimodè consentientibus. At quia non solùm quoad propriam, quam exhibet sententiam, rubrum cum nigro non convenit, sed & insuper Evangelicis Doctoribus, *Luthero* nominatim, & *Brentio*, peregrinam & omninò alienam adfingit mentem, quin illud Lectori ostendatur, prætermitti neque potest, neque debet, præsertim, quia & hic authoritas Augustini intercedit, quam Bellarminus Evangelicis opposuit, scribentis: *Certa sunt verba Evangelica, sine quibus non*

lib. 6. contra Donat cap. 25.

potest consecrari Baptismus. Quia ad hunc locum ex Juris Canonici Glossâ aliquid observandum erit, integer Textus huc adscribatur necessum est, qui ita habet: *Si non sanctificatur aqua, cùm aliqua erroris verba per imperitiam precator effundit, multi non solùm mali, sed etiam boni fratres in ipsâ Ecclesiâ non sanctificant aquam. Multorum preces enim emendantur quotidiè, si doctioribus fuerint recitatæ, & multa in eis reperiuntur contra Catholicam fidem. Numquid si manifestetur, aliquos baptizatos, cùm illæ preces dictæ super aquam fuissent, jubebuntur denuò baptizari? Quid ita? quia plerumque precis vitium superat precantis adfectus, & quia certa illa Evangelica verba, sine quibus non potest Baptismus consecrari, tantum valent, ut per illa sic evacuentur, quæcunque vitiosa in prece contra Fidei regulam dicuntur.* Glossa Juris Canonici ad hæc & sequentia Augustini verba à Gratiano laudata notat: *Ex hoc capitulo colligitur, quod non vitiatur forma Baptismi, si quid in eâ adponatur superfluum, quod admittunt quidam; ut si dicatur,* Baptizo te in nomine Patris, & Filii, & Spiritus Sancti, & Diaboli, *(horrendum!) vel,* Arma virumque cano, *vel quidquid sequatur, baptizatus est. Idem est, si quid præmittatur ante formam, ut si dicatur,* Arma virumque cano, Ego baptizo te in nomine Patris &c. *Si verò aliquid interponatur, ut si dicatur,* Baptizo te, & Deus est, in nomine &c. *non est Baptizatus.* Plura ibi pro explicatione horum extant, prolixè non exscribenda. Et quia Bellarminus hoc Augustini testimonio lectorem in Jus Canonicum deduxit, lubet ex eâdem distinctione, quæ id nobis cum Glossâ exhibuit, aliud in rem præsentem adducere, Definitionem videlicet Nicolai Pontificis ad Consulta Bulgarorum exhibens, his verbis: *A quodam Judæo, nescitis, utrum Christiano, an pagano, multos in Patriâ vestrâ baptizatos adscritis, & quid de iis sit agendum, consulitis. Hi profectò si in nomine Sanctæ Trinitatis, vel tantum in Christi nomine, sicut in actibus Apostolorum legimus, baptizati sunt, unum quippè idemque est, ut Sanctus exponit Ambrosius, constat, eos non esse denuò baptizandos.* Ultimis hisce verbis aliqua quidem interseruntur in corpore Glossato proximè citato, sub antecedentis Seculi initium, Anno nimirùm quarto, *Venetiis* per *Baptistam de Tortis* edito, quæ tamen Sensum eatenus non turbant, ut non Decreti finis sit, *tales rebaptizari non debere, etiamsi in nomine Christi tantum fuerint baptizati.* Glossator Definitionis Pontificiæ rationem dat vel dari jubet sequentem: *Tu dic, quod in nomine Trinitatis non intelligitur, nisi trium personarum essentiæ unitas; & in nomine Christi intelligitur unctus, ungens, & (à) quo ungitur. Dixit ergò Canon, concessum fuisse Apostolis, baptizare in nomine Christi, propter nomen Christi ampliandum.* Et post aliqua: *Dico, quod si dicitur quis baptizari in nomine Christi, si tamen baptizatur, valet Baptismus.* Ad ipsa hujus Decreti Verba, eorumque apud Interpretes Papæos valorem & sensum, in *Vindiciis Evangelico-Thomisticis* aliqua ex *Tannero* fuêre observata, sed quia id eo non factum est loco, ubi Lector Veritatis cognoscendæ cupidus inquirit, re hâc ex occasione tantùm & incidenter tractatâ; ideò placet hic in propriâ sede illud aliquantò amplius repetere, ut manifestum fiat, non causam habuisse Bellarminum, accusandi *Lutherum & Brentium* ob mutationem verborum in administratione Baptismi, eisque Augustini authoritatem opponendi, nullo planè modo opponendam. Ita autem Tannerus: *Ad rescriptum Nicolai* sanè difficilis est responsio. Etenim *primò* Thomas pariter docet, talem „ Baptismum Divinâ dispensatione ratum fuisse. Addit *Marsilius*, Nicolaum ha„ buisse singularem hujus Dispensationis revelationem. Sed licet horum Doctorum „ in Apostolicam Sedem observantia meritò sit laudanda, responsio tamen ipsa sanè „ est improbabilis, tùm quia nec Apostolis concessa fuit talis dispensatio, tùm quia „ saltem tam diu non durasset, octingentis videlicet post Christum annis, alioqui „ enim pari ratione etiamnùm durare dici posset; tùm quia Pontifex dictum suum „ fundat in testimonio Ambrosii, qui suam Sententiam minimè fundavit in dispensa„ tione, ut pluribus ostendit Svarez. *Secundò* alii respondent, Pontificem loqui in „ casu necessitatis. Sed nec verum est, quod ea responsio supponit. Quæ enim „ potuisset esse necessitas, Christi Invocationem admittens, Trinitatis exclu„ dens? Et si verum maximè esset, non tamen propterea Baptismi substantia„ lis forma absque Sacramenti jactura posset immutari. *Tertiò* alii dicunt, Pon„ tificem duntaxat negare, iterandum absolutè Baptismum, non tamen, quin „ sub conditione sit iterandus. Ita præter alios *Henriquez.* Sed sanè tunc non „ oportebat absolutè negare, eos denuò esse baptizandos. *Quartò* respon„ dent alii, particulam exclusivam *tantum* in casu, de quo Pontifex loquitur, non alias „ excludere personas, sed solùm expressam Filii mentionem, substituto ejus loco Christi nomi-

NB.

c. Si non, 4. de Consecr.

Theol. Scholast. Tom. 4. p. 668.

„nomine, ita ut dicatur in nomine Patris, & Christi, & Spiritûs Sancti. Quæ responsio „etiam adplicari potest ad testimonium Ambrosii, ut *Henriquez* quoque tradit. Atqui „hæc responsio pia est & probabilis, inquit Svarez, non nihil tamen videtur coacta. „Addé, quod Pontifex sub disjunctione loquatur de Baptismo in nomine SS. Trinita„tis, vel tantùm in nomine Christi collato. Quid quod etiam Baptismus ita collatus „nihilo minus saltem dubius foret. *Quintò* igitur Canus & alii quidam simpliciter „respondent, Pontificem circa hoc nihil definivisse, sed ut privatum Doctorem secutum „fuisse falsam sententiam. Quæ responsio potest in rigore sustineri, inquit Svarez. „Sed addendum est, Pontificem hâc de re non interrogatum, sed de aliâ, nempè, an „Baptismus à Judæo vel Pagano collatus esset validus? Hoc ergò ex Instituto definiens „Pontifex simul obiter & ex accidenti addidit, validum fuisse Baptismum, etiamsi in „solius Christi nomine esset collatus. Atque ita respondent *Bellarminus, Vasquez, Hen„riquez*, qui complures citat; nec Ego aliquid melius invenio. Non enim est neces„se, ut quidquid Pontifex obiter inserit alicui Decreto, *vim habeat definitionis*. Ego ad hæc aliud nihil observo, quàm quod ad Institutum præsens pertinet. Nimirùm si Pontifex Nicolaus, sive quà Pontifex, sive quà Doctor privatus, (quia etiam tanquam Doctor privatus non debuit veram Ecclesiæ Sententiam ignorare, aut de hâc quæstione consultus falsam aliis proponere:) Baptismum à Judæo, vel Christiano, vel pagano administratum judicavit esse validum, si in nomine Trinitatis, vel tantùm in nomine Christi baptizaverint; (quæ posteriora verba ad substantiam Definitionis Papæ, & non ad accidentia pertinere, particula conditionalis *si* indicat, & tam de formâ verborum in nomine CHRISTI tantùm, quàm de formâ verborum in nomine Trinitatis intelligi debet; ut non dicam, Definitiones Papæas, qualis hæc fuit, ita meritò comparatas esse debere, ut neque in iis, quæ obiter tantum & ex accidenti videntur inseri, aliquid falsi contineatur:) Si inquam, Pontifex, & quidem, ut ex omnibus patet circumstantiis, tanquam Pontifex, summus Ecclesiæ in terrâ Pastor, Doctorque publicus Baptismi administrationem à Judæo etiam & Pagano factam adprobavit, validamque censuit esse, si vel in nomine Trinitatis, vel in nomine Christi tantùm baptizaverit; Si porrò, quod insuper addo, *Cajetanus*, at, quantus Vir, quanti apud suos, præsertim Dominici Ordinis Professores æstimii, in suis ad *Thomæ* summam Commentariis expresè scripsit & docuit, *Baptismum in nomine Christi tantum, non expressis personis Trinitatis collatum esse validum*, utut non desint alii, qui hanc Ejus Sententiam deserant & reprobent, Ordinis Cyriacorum in pluribus aliis impugnatores hodie vehementissimi, & non semel justo rigidiores; Si, inquam iterum iterumque; Pontifex summus; si Cardinalis, ad *Lutherum* ab erroribus, si quos habuit, revocandum Româ missus, si Glossator etiam Juris Canonici, non infimi certè subsellii Scriptor, de verbali formâ Baptismi non uniformiter statuerunt, varietatem ejus permittentes, (quo jure, jam non decerno) & quidem ante *Lutherum*; quâ fronte potuit Luthero tanquam *hæreticorum omnium audacissimo* Bellarminus adscribere, *quod novam suo tempore excogitaverit hæresin*, docens, *non requiri certain Sacramentis verba*. Iniquitas accusationis manifestior erit, si verba *Lutheri* textu pleniore, quàm Bellarminus adduxit, huc exscribamus. Agens enim Megalander, & verè Thavmander in de *Captivitate Babylonicâ* Scripto, quod tertio post cœptum DEI Gratiâ Reformationis omninò necessariæ opus Anno edidit, de Ministro & formâ Baptismi suam hoc modo exposuit Sententiam: *Non dicit, Ego te baptizo in nomine meo*, q. d. *Id, quod facio, non meâ authoritate, sed vice & nomine DEI facio, ut non aliter habeas, quàm si ipse Dominus visibiliter fecisset. Author & minister diversi sunt, sed opus idem utriusque, imò solius Authoris per meum Ministerium. Hanc Sententiam Ego libentissimè sequor, quod sit plenissimum solatii & efficax Fidei adjutorium, nosse, se esse baptizatum non ab homine, sed ab ipsâ Trinitate per hominem, qui nomine Ejus rem gerit apud nos. Quo cessat illa contentio otiosa, quâ de Baptismi formâ, quam ipsa adpellant verba, litigant, Græcis dicentibus*, Baptizetur servus Christi; *Latinis*, Ego te Baptizo. *Item alii rigidissimè nugantes damnant, sic dici*, Ego te baptizo in nomine JEsu Christi, *quo ritu certum est Apostolos baptizasse, ut in actis Apostolorum legimus, voluntque nullam deinceps aliam valere, quàm istam*, Ego te baptizo in nomine Patris &c. *Sed frustrà contendunt, nihil enim probant, sua duntaxat adferunt somnia. Quocunque enim modo tradatur Baptismus, modò non in nomine hominis, sed in nomine Domini tradatur, verè salvum facit. Imò non dubitem, si quis in nomine Domini suscipiat, etiamsi impius Minister non det in nomine Domini, verè baptizatum esse in nomine Domini; non enim in conferentis tantum, quantum in suscipientis fide vel usu sita*

vid. D. Dorsch. Pentad. Disp. 4. §. 43. seqq.

vid. Gvimen. Opusc. Moral. pag. m. 363. conf. Andr. de Mendo in staterâ opin. p. 220. §. 23.

Tom. II. Jen. Lat. p. 272.

sita est virtus Baptismi. Perpendat hæc Lutheri verba Lector veritatis amans, cuicunque etiam parti sit addictus, & judicet, annon per insignem calumniam Bellarminus hanc ex eis consequentiam expresserit: *Itaque si quis dicat, Ego te baptizo in nomine Lutheri & Catharinæ uxoris ejus, vel etiam in nomine Diaboli; verus erit Baptismus, modò qui suscipit, in nomine Domini accipiat.* Increpet te DEUS! Videat etiam, quicunque potis est judicare, an, quæcunque hic de Ministro & de formâ Baptismi scripsit Lutherus, novam contineant hæresin, primùm à Luthero excogitatam, cùm inprimis ea, quæ formam verborum attinent, in terminis ante *Lutherum* docuerint Papa Nicolaus, Glossator Juris Canonici, Cardinalis *Cajetanus*; & quam inconsequenter per gravem injuriam, Luthero imposuit Baptismi formam in nomine Diaboli exprimendam, *horrendum!* dictus Juris Canonici Glossator itidem in terminis exhibuerit, nec Baptismi actum hâc verborum formâ invaliditatis accusârit, sed ratum haberi voluerit. Posito autem, *Lutherum* in his verbis, præsertim quoad formam baptizandi in actibus Apostolorum ex Ejus sententiâ commendatam, rem non acu tetigisse, hocque ductum Exemplo sufficientem Baptismi formam in nomine Christi habuisse, quo tamen ipso, ut jam monui, Antecessores habuit Pontificem *Nicolaum*, Glossatorem Juris Canonici, & *Cajetanum*, à quo singulari studio ad revocandum errores, quos ipsi ex Sacris Literis ostendere non potuit, fuit invitatus & tantum non vi adactus; agnoscere nihilo-minus debuit ipse Bellarminus, *Lutherum* hunc, si quis fuit, errorem retractâsse, & de formâ verborum Baptismi ita docuisse, ad quem modum docuit Augustinus, quem priori Ejus sententiæ opposuit. Nec est, ut quis indè Lutherum fuisse in doctrinâ inconstantem, inque horas, dies & annos mutabilem arguat. Si enim posthàc aliam & contrariam, vel priorem amplexus fuisset sententiam, aliquem hæc de inconstantiâ & mutabilitate Ejus accusatio haberet locum. Dum autem posteriori sententiæ, quæ & Augustini est, de servandâ verborum Baptismi formâ constanter & immutabiliter inhæsit, nec unquam ab eâdem recessit, vana est & inanis hæc accusatio, nisi ejus etiam particeps sit ipse Augustinus, quem non unam in aliis Quæstionibus retractâsse Sententiam, mentemque cum tempore, utpotè scribendo proficientem, in melius mutâsse, notius est inter Eruditos, quam ut prolixè indicari opus sit. Et si ad exemplum & imitationem Augustini, etiam *Thomæ* Aquinati, Angelico, ut vulgò audit, Doctori, quod in *Vindiciis Evangelico-Thomisticis* monui; si item ipsi Bellarmino, sine labe inconstantiæ & mutabilitatis, retractationum & recognitionum libros licuit scribere, suaque, quæ olim scripserunt, posteris temporibus meliora doctis emendare, ne pertinaciter alicui inhærere videantur errori; cur non & licitum fuisset Luthero, è tenebris errorum nuper DEI gratiâ ad Evangelicam Lucem emergenti, id, quod è Scholasticorum Theologiâ minus accuratâ prioribus adhuc Annis adhæsit, posterioribus abstergere, inque melius Scripturâ & Antiquitate orthodoxâ duce inque gratiam Veritatis mutare?

CAPVT VIGESIMVM & SECVNDUM,

DE

Necessitate Sacramentorum.

QUas de eâ formavit propositiones Bellarminus, ad examen jam non vocantur, dum circa earum explicationem nulla intercedit authoritas Augustini. Quia vero hic etiam *Chemnitio* in Examine Canonis Tridentini de Sacramentorum necessitate calumniam adscribit, & in specie quidem quoad ea Decreti verba, quibus vel ipsa Sacramenta dicuntur necessaria, *aut vota eorum*, quam additionem Chemnitius inter Patrum Tridentinorum insidias recenset, quas in hujus Decreti formatione ad Lectorem fallendum occultaverint, hæcque Vota ad eorum mentem esse dicit *pollicitationes certorum operum ad accipiendam Justificationis gratiam*; atque Bellarminus imitatur Chemnitii *impudentiam & imperitiam*, utpotè vel *de industriâ cavillari* volentis, vel ignorantis, *votum in Concilii verbis non pollicitationem, sed desiderium significare & voluntatem*, Augustino contra Donatistas docente, *sine Baptismo latronem esse salvatum, quia non ejus accipiendi voluntas defuit, sed quia non accipiendi necessitas adfuit.* Sed dicat, qui Bellarmini vindicias est susceptorus, quia conditores Canonum Tridentinorum singula in eis verba ponderantes nihil frustrà posuisse videri voluerunt, quod

lib. 4. de Bapt. c. Donat. cap. 23.

quod non contra eos inservire posset hæreticos, quos, etsi non auditos, anathematismis tamen configere laborârunt, an id, quod de Voto Canoni inseruerunt, Evangelicorum doctrinæ putet oppositum? Atqui eos in casu necessitatis, præsertim in adultis, Votum sive desiderium Baptismi requirere, alio tamen respectu, quàm à parte adversariâ solet fieri, *Chemnitius* ibidem loci, unde Bellarminus calumniam se eruere posse existimavit, verbis docuit sequentibus: *Qui verbum DEI non habet, is, quia non potest Fidem concipere, non potest salvari; qui verò ex auditu Verbi veram & justificantem habet Fidem, is, licet fide acceperit reconciliationem, Sacramentorum tamen usum nullo contemnet modo. Aut si contemnit, Fides non est vera; non enim retinet essentialem suam proprietatem, quæ consistit in mutuâ relatione Verbi & Fidei, ut scilicet Fides verbum promissionis, ubicunque DEus suâ institutione illud proponit, quærat & adprehendat. Sed si quis ex auditu Verbi veram habeat Fidem in Christum, & non concedatur ipsi facultas, ut possit Sacramentis juxta Institutionem Divinam uti, in tali certè casu non est statuenda necessitas Sacramentorum ad salutem præcisa, ut propterea salus denegetur illis, quibus non datur facultas utendi Sacramentis, licet Fide in verbo adprehendant Christum mediatorem. Latroni enim in Cruce Christum in verbo promissionis Fide adprehendenti certò promittitur Paradisus, licet ipsi non daretur facultas, ut posset accipere Baptismum. Ita qui in Deserto nati fuerant per Annos quadraginta, non sunt circumcisi propter continuas peregrinationis jactationes, quæ facultatem Circumcisionis accipiendæ non concedebant. Et tamen non est dubium, quosdam ex illis per quadraginta hos annos in deserto mortuos fuisse, quos nemo damnaverit, si Deo per Fidem in promissionem de venturo Messiâ fuerunt reconciliati.* Jam conferatur hæc Evangelicorum Doctrina de Voto & desiderio hominis per Fidem DEO jam reconciliati, cum doctrinâ Romanensium de Dignitate & merito illius Voti & desiderii, quod in casu necessitatis & in defectu facultatis accipiendi vel impetrandi Baptismum, Bellarminus hic in considerationem trahit, & clarè satis adparebit, multum ab hâc illam dissentire, & quod ex Augustino testimonium Bellarminus adduxit, non huic sed illi Sententiæ de Voto & desiderio hominis per Fidem DEO jam reconciliati favere. Ostendit id *Chemnitius*, qui dum per Votum Patres Tridentinos intellexisse dixit *pollicitationem certi operis ad accipiendam Justificationis gratiam*, neque impudenter vel cavillatoriè, neque ignoranter scripsit, sed communem Romanensium Doctrinam de Votis expressit, eam ad Votum Baptismale hic loci non adeò impertinenter adplicans, à genere ad speciem argumentatus. Et ut Augustinum sibi non contrarium, sed omninò consentientem esse ostendat, quoad videlicet votum vel desiderium hominis per Fidem Deo jam reconciliati, ad idem Ejus provocat testimonium, quod pro se suâque sententiâ contra *Chemnitium* laudavit Bellarminus, ubi in proximè antecedentibus hunc in modum scripsit Augustinus: *Invenio, non tantum passionem pro nomine Christi id, quod ex Baptismo deerat, posse supplere, sed etiam Fidem conversionemque cordis, si fortè ad celebrandum Baptismi mysterium in angustiis temporum succurri non potest. Neque enim Latro ille pro Christi nomine crucifixus est, sed pro meritis facinorum suorum; nec quia credidit, passus est, sed dum patitur, credidit. Quantum itaque valeat etiam sine visibili Sacramento Baptismi id, quod ait Apostolus*, Corde creditur ad Justitiam, ore autem fit confessio ad salutem, *in illo Latrone declaratum est. Sed tunc impletur invisibiliter, cùm Baptismi mysterium non contemtus religionis, sed articulus necessitatis excludit.* Et huc referri debent ejusdem Sancti Patris de Baptismo Cornelii & familiarium Ejus verba, quæ ex eodem loco *Chemnitius* ad suæ sententiæ illustrationem ibi citat: *In Cornelio & amicis Ejus posset videri superfluum, ut aquâ etiam tingerentur, in quibus jam erat Spiritûs Sancti donum, quod non nisi baptizatos alios accepisse sancta testatur Scriptura. Baptizati sunt tamen, & in hoc facto Apostolica extat authoritas. Vsque adeò nemo debet in quolibet provectu interioris hominis, si ante Baptismum fortè usque ad spiritalem intellectum pio corde profecerit, contemnere Sacramentum, quod ministrorum operâ corporaliter adhibetur, sed per hoc DEus hominis consecrationem spiritaliter operatur. Nec ob aliud existimo munus baptizandi fuisse Iohanni attributum, nisi ut DOMINVS ipse, qui dederat, cùm servi Baptismum non sprevisset accipere, dedicaret Humilitatis viam, & quanti pendendum esset suum Baptisma, quo Ipse baptizaturus erat, tali facto apertissimè declararet. Videbat enim tanquam peritissimus æternæ salutis Medicus, quorundam non defuturum tumorem, qui cùm intellectu Veritatis & probabilibus ita profecissent moribus, ut*

multis

multis baptizatis vitâ atque doctrinâ præponere se minimè dubitarent, supervacaneum sibi esse crederent baptizari, quando ad illum mentis habitum se crederent pervenisse, ad quem multi baptizati adhuc conarentur adscendere. Libuit hæc duo augustissimi Doctoris loca præeunte *Chemnitio* ad Ejus Innocentiam contra Bellarmini accusationem prolixius huc exscribere, quia suo postmodum loco iterum usui erunt, ubi in specie de Baptismi necessitate erit agendum, bono cum Deo.

CAPVT VIGESIMVM ET TERTIVM,
De
Sacramentorum authore vel Institutore.

DE hoc quidem nulla videtur esse inter Evangelicos & Papistas controversia, utrisque solùm pro Sacramentorum institutore agnoscentibus Christum. Et tamen, ne quid controversiæ desit Bellarmino, Evangelicos etiam hic sibi facit adversarios, docentes, *Sacramenta, ea nimirùm, quæ ipsi pro veris agnoscunt Sacramentis, à solo Christo esse instituta, Baptismum videlicet & Eucharistiam, cætera verò, quæ Papæi hisce duobus addunt, non esse à Christo.* Adversus hunc, quem dicit, errorem monet decrevisse Synodum Tridentinam, *omnia novæ Legis Sacramenta esse à Christo instituta*, & quidem, ut Bellarminus Concilii Interpres (nescio, an authenticus,) intelligit & explicat, *non mediatè, sed immediatè.* Inter cætera, quibus Decretum hoc ivit confirmatum, sequentia etiam Augustini verba laudavit, scribentis, *ipsum primò Dominum, Apostolicam deindè Disciplinam tradidisse Ecclesiis Sacramenta.* De hoc Sancti Patris testimonio antè jam circa vocis Sacramenti usum apud Patres fuit actum, ageturque de eo pòst etiam in enodandâ Quæstione de Sacramentorum numero? Nunc ad Instituti præsentis rationem pertinet, ut iteratè hic observetur, quia pluribus suprà testimoniis ex non uno Scriptorum augustissimi Doctoris fuit demonstratum, vocem Sacramenti ab Eo aliisque Doctoribus Ecclesiæ in ampliori longè sensu fuisse adhibitam, quàm hodiè; impertinenter planè ad Ejus provocati authoritatem in hâc de authore eorum Sacramentorum quæstione, quæ strictiori sensu dicuntur Sacramenta, cùm ipse agnoscat Bellarminus, aliter judicandum esse de authore ceremoniarum Ecclesiasticarum, vel juxta alios Sacramentalium, utpotè circa quas non planè nihil valere Disciplinam, quam Augustinus dicit Ecclesiasticam, non inviti largiuntur Evangelici, in eo quoque Augustinum suæ Sententiæ agnoscentes antecessorem & Veritatis orthodoxæ testem, ut infrà amplius demonstrabitur, dum hoc ipso in loco, quem Bellarminus in suæ Sententiæ, septemque Sacramentorum propriè ita dictorum confirmationem citavit, eorum tantummodò Sacramentorum facit mentionem, quæ ab Evangelicis pro Sacramentis propriè ita dictis habentur, Baptismi nimirùm & Eucharistiæ, quæ traditioni Dominicæ & Apostolicæ Disciplinæ adscribens Sanctus Pater aliter intelligi vel explicari non debet, quàm eo sensu, quo Paulus de semetipso scripsit, quod à Domino acceperit Corinthiis in expositione Mysterii Eucharistici & præscriptâ celebrationis methodo traditum.

lib. III. de Doctr. Christ. cap. 9

CAPVT VIGESIMVM ET QVARTVM,
De
Ordinario Sacramentorum Ministro.

NOn attentâ in examine hujus capitis illâ grandi injuriâ, quâ Lutherum de insigni heterodoxiâ facere laborat suspectum Bellarminus, dum, quæ is ex hypothesi non concessâ, & fortè non dabili, de ministerio verbi & Sacramentorum in Ecclesiâ per Sathanam facto vel faciendo innocenter scripsit, eidem imputavit, ac si de ordinariâ administratione Verbi & Sacramentorum illud intellectum voluerit, contra quam alibi Apologias pro *Lutheri* orthodoxiâ scriptas legere est, huc, utpotè ad præsens Institutum impertinentes prolixè non exscribendas; ea nunc Lutheri Sententia per authoritatem Augustini est vindicanda, quâ Laico etiam homini, sed Christiano & baptizato, in casu necessitatis, sicut ministerium Verbi, ita & Sacramentorum, Baptismi præsertim, utpotè magis necessarii, quàm Eucharistiæ, non denegavit, neque illius administrationem esse invalidam judicavit. Quem enim ad modum *Lutherus* nusquam omnibus in universum Christianis, absolutè & simpliciter, potestatem Verbi & administrationem Sacramentorum

vid. D. Dannh. Mysterios. p. 115. & 116.

torum conceſſit, ipſo agnoſcente Bellarmino, quod Lutherus docuerit, *ad tollendam in Eccleſiâ confuſionem non oportere omnes hac uti poteſtate, ſed eos tantum, qui legitimè ſunt vocati*; ſed locutus eſt de aptitudine quadam generali Chriſtianorum, quam ad hoc officium reſpectu infidelium habent, utpotè per Baptiſmum in fœdus gratiæ à DEO recepti, eoquemet ipſo ad illud idonei, ſi vel legitimè vocentur, vel caſus neceſſitatis extra ordinem illorum requirat operam nomine publico & Eccleſiæ præſtandam; ita ſi Auguſtini reſpiciendum ſit in hoc etiam puncto authoritatem, à Bellarmino prætermiſſam, nihil contra eam *Lutherus* docuiſſe erit manifeſtum. Reſponſurus enim Doctor auguſtus ad illud Donatiſtarum ex oraculo Pauli argumentum, quo contra Baptiſmum ſchiſmaticorum & hæreticorum uſi vel potius abuſi fuerant, Apoſtolo ſcribente: *Quid habes, quod non accepiſti?* inter alia hæc in rem ſcripſit præſentem: *Eſt Laicus aliqua pereuntis dederit neceſſitate compulſus, quod, cùm ipſe acciperet, dandum eſſe addidicit, neſcio, an piè quiſquam dixerit eſſe repetendum?* Videtur quidem Auguſtinus aliqua ex parte dubitanter hoc proferre, ſed videtur tantum. Si enim mens ejus ritè attendatur, de valore adminiſtrationis per hominem Laicum, ſed Chriſtianum & baptizatum factæ eum non dubitaſſe, certum eſt id quod ſequentia confirmant, dum porrò ſuam ita explicavit ſententiam: *Nullâ cogente neceſſitate ſi fiat, alieni muneris uſurpatio eſt: ſi autem neceſſitas urgeat, aut nullum aut veniale delictum eſt. Sed & ſi nullâ neceſſitate uſurpetur, & à quolibet detur cuilibet, quod datum fuerit, non poteſt dici non datum quamvis rectè dici poſſit illicitè datum.* Et tamen non invalidam omninò dixit ejusmodi adminiſtrationem verbis ſequentibus: *Illicitam ergò uſurpationem corrigit reminiſcentis & pœnitentis affectus. Quod ſi non correxerit, manebit ad pœnam uſurpatoris, quod datum eſt, vel ejus, qui illicitè dedit, vel ejus, qui illicitè accepit; non tamen pro non dato habebitur.* De ipſa hac Auguſtini ſententia meâ nunc non interpono, re hac ad ſuũ infrà locum remiſſa, id jam ſufficit, habere *Lutherum* in eo, cujus gratiâ à Bellarmino falſitatis eſt accuſatus, Auguſtinum ſibi conſentientem, quem Bellarminus tamen accuſare hic non eſt auſus. Quia etiam *Lutherus* in demonſtrandâ hâc Chriſtianorum ad Miniſterium verbi & Sacramentorum idoneitate ad ea provocavit S. Scripturæ loca, quibus DEI Sacerdotes dicuntur, omninò huc pertinet, quod idem Auguſtinus ad Apocalypticum de hoc Elogio oraculum notanter obſervavit, ſcribens: *Non utique de ſolis Epiſcopis & Presbyteris dictum eſt, qui propriè jam vocantur in Eccleſiâ Sacerdotes; ſed ſicut omnes Chriſtianos dicimus propter myſticum chriſma, ſic omnes ſacerdotes, quoniam membra ſunt ſacerdotis.*

lib. II. contra Epiſt. Parmen. cap. 13.

NB.

lib. 20. de Civit. Dei, cap. 10.

CAPUT VIGESIMUM & SEXTUM
De
Miniſtri Sacramentorum qualitate.

IN hoc capite illud præprimis attendendũ venit, quod Bellarminus de Cypriani Sententiâ circa anabaptiſmum vel rebaptizationẽ hęreticorũ vel ab hæreticis baptizatorum non ex eâ ratione & reſpectu lectorẽ informaverit, quatenus Stephanus Pontifex Romanus ſe eidem oppoſuit, Illo omnes hæreticos ab adminiſtratione Sacramentorum, Baptiſmi nominatim, excludente, hoc eſt contrario indiſcriminatim omnes admittente; Sed quatenus Donatiſtæ Sententiam Cypriani revocantes & renovantes multa eidem addiderunt à mente Cypriani omninò aliena. Non fruſtra autem nec abſque ſingulari causâ Bellarminus collationem ſententiarum Cypriani & Stephani omiſit, quia ſicut illius, ita etiam neque hujus partes ad defendendum auſus & ſuſcipere, quas ad duo extrema declinaſſe, præter ipſam rei ex ſcriptis Cypriani notitiam inprimis ex illo Auguſtini teſtimonio patet, quod ex libri de unico tantum Baptiſmo contra *Petilianum* capite poſt decimum quarto, ſuprà non ſemel ex occaſione laudatum, Sorboniſta *Launojus*, in primâ quintæ partis ad *Carolum Magiſtrum*, Pariſienſem Theologum Epiſtola, de non errandi privilegio Romanis hodiè Pontificibus adſcribi ſolito, ex Auguſtini authoritate agens, primâ in acie locavit, primumque ei & præcipuum ex debito locum adſcripſit, his expreſſum verbis: *Duo erant eminentiſſimarum Eccleſiarum, Romanæ ſcilicet & Carthaginenſis Epiſcopi, Stephanus & Cyprianus, amboin unitate Catholicâ conſtituti, quorum Stephanus baptiſmum Chriſti in nullo iterandum eſſe cenſebat, & hoc facientibus graviter ſuccenſebat; Cyprianus autem in hæreſi vel ſchiſmate baptizatos, tanquam non habentes Baptiſmum Chriſti, baptizandos in Eccleſiâ Catholicâ exiſtimabat.* Addit & obſervat *Launojus*, Auguſtinum in Recenſione Stephani ſententiæ non fallere, cùm id ipſum conceptis tradiderit verbis ipſe Stephanus in fragmento Epiſtolæ

vid. D. Dannh. Chriſt. Act. 1. p. 486. ſeqq.

inter Epistolas Cypriani hodienùm extante. Et quia in alio quodam testimonio idem Augustinus hanc ex professo controversiam tractans in specie de Marcionis baptismo ita judicavit : *Si Evangelicis verbis in nomine Patris, Filii & Spiritus Sancti Marcion baptismum consecrabat, integrum erat Sacramentum, quamvis fides ejus sub ejusdem verbis aliud opinantis, quàm veritas Catholica docet, non esset integra, sed fabulosis inquinata falsitatibus,* de quo Augustini pronunciato itidem hic, loco minimum indebito, non pronuntio, ad specialem de Baptismi Dono soli Ecclesiæ Christi veræ & orthodoxæ proprio instituendam aliàs tractationem id reservans; ex eodem *Launojo* tamen notatu dignum hic est, ad ejus mentem ex Augustini judicio errasse Stephanum Pontificem, Marcionis baptismum recipiendo, quem non verbis, ut dixit, Evangelicis, id est, *in nomine Patris* &c. fuisse consecratum, duobus ex Cypriano testimoniis ostendit ibi *Launojus*. Alia quæ ibi plura in hanc rem à laudato Sorbonistâ ex Augustino diligentissimè collecta leguntur non exscribo, proximè eundem ad partes contra Bellarminum pro verâ Augustini mente tuendos revocaturus, ea inter quasi mediam inter *Cypriani* & Stephani extremos sententiam proponens, quam sub Augustini nomine & inter ejus opera exhibet Author scripti de *Ecclesiasticis Dogmatibus*, quem maximâ ex parte ex operibus Augustini esse collectum, ipse Bellarminus in de *Scriptoribus Ecclesiasticis* agnoscere fuit coactus, & cujus tanquam ipsius Augustini authoritate in aliarum quæstionum controversarum explicatione alii scriptores Papæi indubitanter sunt usi, adeoque idem jus Evangelicis concedentes, nisi singulare aliquod Privilegium sibi solis proprium in laudandis pro suâ parte Veterum scriptis velint attribuere. Ita verò tanquam Dogma Ecclesiasticum Augustini sententia ibi proponitur : *Baptisma unum est, sed in Ecclesiâ, ubi una Fides est, ubi in nomine Patris, Filii & Spiritus Sancti datur. Et ideò, si qui apud illos baptizati sunt hæreticos, qui in Sanctæ Trinitatis confessione baptizant, & veniunt ad nos, recipiantur quidem ut baptizati, ne Sanctæ Trinitatis invocatio vel confessio annulletur, sed doceantur integrè & instruantur, quo sensu Sanctæ Trinitatis mysterium in Ecclesiâ teneatur; & si consentiunt credere vel adquiescunt confiteri, purgati jam Fidei integritate confirmentur manus impositione. Illos autem, qui non Sanctæ Trinitatis invocatione apud hæreticos baptizati sunt, & veniunt ad nos, baptizari debere pronuntiamus, non rebaptizari. Nequeenim credendum est, eos fuisse baptizatos, qui non in nomine Patris, Filii & Spiritus Sancti, juxta regulam à Domino positam tincti sunt.* Et ubi aliquot hujus generis vel speciei hæreticos nominetenus recensuit Author, ab Augustini sententiâ non abludens, quos *impietatis germina & pestes* verè dixit, idem repetens subjunxit : *Ex istis, si qui ad nos venerint, non requirendum est ab eis, utrum baptizati sint, annon; sed hoc tantum, si credant Ecclesiæ fidem, & baptizentur Ecclesiastico & Baptismate.* Advertendum verò etiam est, maximam hujus Definitionis partem & in *Ivonis* decreto & in *Gratiani* Concordiâ, quæ sub titulo Juris Canonici hodiè venit, Augustino adscribi, & quidem non immeritò, cùm ex fonte Augustini fluxerit, quod ex laudatis modò & aliis pluribus testimoniis est indubium, è quorum numero nunc illud addere placet, quod sub initium operis de Baptismo contra Donatistas legitur, & dignum est, ut aureis, iisque majoribus literis hodiè ante eorum oculos scribatur, quibus non sine manifesto contemtu Divini cultus apud Evangelicos perindè est, ubi & à quibus infantes baptizentur quos per gratiæ cœlestis fœdus veræ Christi in his terris Ecclesiæ cupiunt insertos, parum solliciti etiamsi id ab ejus Ecclesiæ ministris fiat, quam non veram Christi sponsam esse, eo ipso agnoscant, dum se ab eâ separant, cœtuque Evangelico per publicam Fidei confessionem adjungunt, certi, se non alibi veram ad æternam Beatitudinem invenire viam. Ita autem contra hos Doctor, si unquam, hic certè augustissimus : *Si quem fortè coegerit extrema necessitas, ubi Catholicum, per quem accipiat, non invenerit, & in animo, Catholicâ pace custoditâ, per aliquem extra unitatem Catholicam positum acceperit, quod erat in ipsâ unitate Catholicâ accepturus, si etiam de hâc vitâ statim migraverit, non eum nisi Catholicum deputamus. Si autem fuerit à corporali morte liberatus, cùm se congregationi Catholicæ etiam corporali præsentiâ reddiderit, undè nunquam corde discesserat, non solùm non improbamus, quod fecit, sed etiam securissimè verissimeque laudamus, quia præsentem DEVM credidit cordi suo, ubi unitatem servabat, & sine sancti Baptismatis Sacramento, quod, ubicunque invenit, non hominum, sed DEI esse cognovit, noluit ex hâc vitâ migrare.* Hactenus videtur quidem partes eorum tueri sanctus Pater, qui ubicunque vel ipsi sint

Lib. II. de Bapt. c. Donat. cap. 15.

vid. Rob. Coc. Cens. p. m. 540.

cap. 52.

lib. I. cap. 2.

sint baptizati, vel sui, quos à DEI manu acceperunt, liberi baptizentur, non adeò multum interesse putant, etiam extra necessitatis casum qui non rarò præter necessitatem aliis ex respectibus, non Divinis, sed purè humanis fingitur & pro formâ tantum prætenditur. Sed si proximè sequentia attendantur, quæ liberali manu concessisse visus est, non parùm restrinxisse manifestum erit, his nimirum verbis: *Si quis autem, cùm possit in ipsâ Ecclesiâ Catholicâ accipere, per aliquam mentis perversitatem* (nota phrasin, Lector optime,) *eligit in schismate baptizari, etiamsi postea venire ad Catholicam cogitat, quia certus est, ibi prodesse Sacramentum, quod alibi quidem potest accipi, prodesse autem non potest, procul dubio perversus est & iniquus, & tantò pernitiosius, quantò scientius. Ita enim non dubitat, rectè illic accipi, sicut non dubitat, illic prodesse etiam, quod alibi acceperit.* Hæc verba, dum ab *Ivone* iterum & *Gratiano* sunt descripta, eò magis notari merentur, quod apud ipsos Papistas ea plurimùm valere certum sit, ad quorum tamen Baptismum hodiè non paucos Evangelicorum extra necessitatis casum confugere, plusquam notum est, id quod non nisi per aliquam mentis perversitatem & inquitatem, tantoque pernitiosius, quantò scientius fieri, si evangelicis Doctoribus hanc mentis minus Evangelicæ iniquissimam perversitatem & perversissimam iniquitatem ex debito & justissimo erga sinceritatem Evangelicam Zelo detestantibus credere dubitant & abnuunt, quibus hæc res quidem adiaphora videtur, Augustino saltem credant, Doctori augustissimo & Patri sanctissimo, Donatistis quidem Baptismi Sacramentum concedenti, attamen expressè neganti, rectè ab illis accipi, quod non nisi in Catholicâ prodesse potest Ecclesiâ, à quâ utplurimum per turpem Apostasiam insequentibus postmodum annis secedere solent, adque eam se per publicam Fidei, vel Infidelitatis professionem conferre, in quâ se per susceptum Baptismi Sacramentum regeneratos à Parentibus audiverunt argumentum non adeò infirmum, ut ipsis videtur, indè desumentes, dum in eâ se Ecclesiâ securè & sine omni animæ periculo vivere existimant, in quâ Christus hoc spirituali ex Verbo regenerationis sacramentum conservat, utpotè portam & januam Ecclesiæ regnique Cœlorum; cujus apostasiæ liberorum rationes annon parentes justissimo Judici reddere teneantur; deque eorum animæ interitu respondere, imò peccati hujus, cui non plane nullam præbuerunt occasionem, in se reatum susceipere, æternumque luere, nunquam verò eluere, videant & de eo seriò cogitent, quibus & propria & liberorum salus æterna curæ est cordique. Sed ut à digressiunculâ, ad quam Bellarminus ipse manu quasi duxit, Augustinum inprimis commendans, Anabaptismi olim à Cypriano, post à Donatistis, quamvis non unâ ratione, nec ex uno eodemque fundamento defensi historiam examini subjicientem; ut, inquam, redeamus in viam & ad Bellarminum, de eo adhuc videndum est, an verè in hoc capite scripsit, hæresin Donatistarum damnatam esse in Synodo Nicænâ, quam intellexisse Augustinum putat, dum frequentissimè in suis contra Donatistas scriptis plenarii mentionem facit Concilii. Etsi enim agnoscat, *quia Augustinus ipse nullibi plenarium hoc Concilium expressè dicit Synodum fuisse Nycænam, multos dubitasse, de quo loquatur Concilio*; existimat tamen, *nullam esse dubitandi causam, cum Augustinus nullum aliud Concilium generale, vel plenarium noverit, nisi Synodum Nicænam*, in proximè sequentibus sibimet ipsi apertissimè contradicens & scribens, dum fatetur, *quatuor* (additâ insuper particulâ, *tantum*) *Augustini tempore generalia fuisse Concilia, nempè præter Nicænum, Sardicense, Constantinopolitanum & Ephesinum*, utrumque numero & ordine primũ, utut de Ephesino excipiat, *id indictum fuisse quidem paulò antè mortem Augustini, sed demùm post mortem ejus celebratum*; de Constantinopolitano etiam dicat, *illud hanc quæstionem non tractasse.* Addit Bellarminus pro uberiori confirmatione opinionis suæ, quod Augustinus per plenarium illud Concilium, cujus repetitam toties mentionem in causâ Donatistarum facit, non nisi Synodum Nicænam intellexerit, *ipsum Augustinum testari, Concilium illud plenarium ante-quam ipse nasceretur, fuisse celebratum, id quod de Synodo Nicænâ verum sit, Concilium verò Sardicense*, quod aliàs communiter pro Nicænæ Synodi adpendice haberi solet, *nec notum fuerit Augustino, nec istam quæstionem tractarit*, quod de Constantinopolitano etiam monuit. Subjungit insuper Bellarminus, *in Synodi Nicænæ Canone decimo & nono, juberi Paulianistas rebaptizari*, ex quo aperte diduci putat, *cæterorum hæreticorum Baptisma à Concilio fuisse adprobatum.* Denique id unum sufficere pro suæ opinionis valore existimat, *quod Hieronymus in Dialogo contra Luciferianos scripsit*, Synodum Nicænam omnes hæreticos susicipere, exceptis Pauli Samosateni discipulis, *ubi apertissime dicit à Synodo Nicænâ adpro-*

NB.

ad probatum Baptisma hæreticorum omnium, exceptis quibusdam, qui nimirum forma legitima non utebantur. Equidem in hujus quæstionis, quæ purè historica est, & in facto consistit, evolutione Evangelicis neque seritur, neque metitur, cum quid Augustinus per *plenarium* intellexerit Concilium, salvâ rei veritate etiam possit ignorari. Verum quia laudatus proximè Sorbonista *Launojus* peculiarem huic Bellarmini sententiæ de *plenario* apud Augustinum in causâ Anabaptismi contra Donatistas Concilio Dissertationem opposuit, eamque iteratò & auctiorem recudi fecit, & ubi à quodam ordinis Prædicatorii homine impugnata fuit, singulari ante annos non multos confirmatione munivit, synodum *Arelatensem* primam nomine plenarii apud Augustinum Concilium intelligens; quia hujus Viri scripta fortè non in plurium manus veniunt, juvat aliquain hanc rem ex eodem breviter excerpere, digna, quæ Lectorem in hâc quæstione historicâ non planè nullius momenti exerceant. Ante omnia autem venit observandum, quod statim sub initium ex *Sirmondo*, quem acerrimi Judicii Virum dicit, Lectori curioso sistit, rationem videlicet reddente, cur in primo Conciliorum Galliæ Tomo hanc Arelatensem Synodum omnibus aliis antepositam, his verbis: *Aptissimum est visum, his omissis, quarum obscurior erat memoria, Synodos nostras ab eo capite inchoari, unde originem ducunt etiam oecumenicæ, primamque omnium statui Arelatensem, quæ sive spectentur Episcopi, qui adeam convenire, sive res in eâ gestæ, nulla usquam post oecumenicas habita sit illustrior. In eâ quippè & Donatistarum pertinax contentio, quæ Africam vexabat, iterum est discussa, ac pro parte composita, & de Baptismo hæreticorum Lex Ecclesiæ tradita, ejusque iterandi prava consuetudo, quæ in eadem Africa inoleverat, penitus repressa in posterum & interdicta. Episcopi verò tam multi, tam diversis ex Italiæ, Africæ, Hispaniæ, Britanniæ, Galliæque Provinciis confluxere, ut propterea Concilium hoc non dubitarit S. Augustinus contra Donatistas disputans plenarium & universale, & universæ Ecclesiæ Concilium adpellare.* Ut autem Launojus hanc *Sirmondi* sententiam contra Bellarminum defensurus probet, non Nicænam, sed Arelatensum Synodum nomine *plenarii* apud Augustinum Concilii venire, duo in antecessum notanda præsupponit, *unum*, certiorem locutionis hujus notitiam ex Augustino haberi, utpote citra dubium certiore sui ipsius interprete, quàm ex aliis scriptoribus, qui plenarium, orbis terræ, universale & universæ Ecclesiæ Concilium aliter accipiant, vel accipere pro arbitrio possint; *alterum*, hæc quatuor, plenarium, orbis terræ, universale & universæ Ecclesiæ Concilium, cùm in significatu pari Augustinus usurpet, nihil esse omninò, cur in unius, quàm alterius explicatione potius mora nectatur, sed quod de unâ locutione dicitur, de alterâ etiam rectissimè dictum existimari debere. *Nempè*, si Augustinus, ubi de plenario verba facit Concilio, de Arelatensi Synodo intelligendus sit, de eadem quoque intelligendum esse, ubi de universali, orbis terræ, & universæ Ecclesiæ Concilio loquitur. *Ad hæc ritè percipienda ulterius observat*, apud Africanos omnes, sive Communionis essent Catholicæ, sive non idem esse plenarium ac universale Concilium atque significatu eodem gaudere. *Deindè*, apud eosdem Africanos bifariam tantum dividi Concilia, in Provincialia nimirum & universalia; & sic apud eos, quod non est provinciale Concilium, universale dici & esse. *Tum*, dubitari meritò non posse, quin Augustinus, qui in Afrorum Conciliis principatum doctrinæ obtinuerit, idem quod alii senserint. Et hoc diligenter esse observandum, ut quænam fuerit hâc in re Augustini sententia cognoscatur. *Post ex ipsomet Augustino varia conquirit testimonia, quibus luculenter doceri posse existimat*, Augustinum hâc denominatione nullum aliud, quam Arelatense Concilium ordine & numero primum intellexisse; inter quæ istud primo exhibet loco, quo Augustinus plenarii universæ Ecclesiæ Concilii mentionem faciens, post aliqua in eadem adhuc materiâ occupatus, expresse Judicium Arelatense contra Donatistas memoravit, *quo nihil clarius, nihil expressius* dici potuisse aut scribi monet *Launojus*. De cæteris ex Augustino locis ad hoc demonstrandum prolixè non ago, utpote in quibus mentionem facit Concilii *transmarini*, quod non de Nicæno, sed Arelatensi potius intelligi debere, ex ipso Textu & paralleliśmo quodam ostendit *Launojus*. Accedunt verba ejusdem de Baptismo Marcionis jam antè laudata. Illud præprimis hic contra Bellarminum venit notandum, *quod in Canone Synodi Nicænæ*, ad quem Bellarminus provocavit, *nullus de Donatistis, sed solum de Paulianistis sermo habeatur*, dum è contrario inter canones Synodi Arelatensis ordine & numero octavus, paulò post producendus & à falsâ lectione vindicandus, disertam Afrorum faciat mentionem. Et quamvis Hieronymus scribat, *Synodum Nicænum omnes hæreticos* (ut verè baptizatos) *suscepisse Pauli Samosateni discipulis*, perindè tamen id intelligendum esse, quasi, cùm solos Pauli Samosateni

vid. Eph. Erud. T. 4. pag. 45. & 46. conf. Gail, in Summâ Concil. Tom. II. pag. 26.

Epist. 162. ad Glorium &c.

reni discipulos rebaptizari jubeat Nicæna Synodus, ab eâ cæterorum hæreticorum baptismum tacito quodam consensu vellet recipi quâ ratione collatum ab aliis hæreticis Baptismum in hâc Synodo receptum facilè crediderit, neq; aliam expressiorem Synodi Nicænæ regulam inveniri apud *Rufinum*, vel apud *Gelasium* Cyzicenum, vel apud *Dionysium exiguum*, vel etiam apud *Turcianum*; at in Concilio Arelatensi, quod Augustino juxta *Launoÿ* sententiam universale & *plenarium* dicitur de Baptismo hæreticorum ultrò citroque disputatum esse. Quæ de testimonio Nicænæ Synodi negativo quoad controversiam cum Donatistis habitâ dixit *Launojus*, authoritate *Basilii & Epiphanii* postmodum confirmat, eorum videlicet testium, qui hic ante plures alios veniunt attendendi. Ante autem, quàm ad ea respondeat loca, quæ ex Augustino pro Nicænâ Synodo nomine plenarii & universalis Concilii intellecto solent proferri, monet iteratò contra Bellarminum *Launojus*, ad intelligendum in hâc notione Augustinum non vel parum juvare factam à *Gregorio* primo & magno, vel alio quodam scriptore generalium Conciliorum recensionem, utpotè ex quâ solâ Bellarminus cum suis sequacibus in hujus quæstionis decisione disputet, oblitus, se, de Ecclesiæ Conciliis cùm ageret, animadvertisse, *aliam atque aliam fuisse olim non modò apud Africanos, sed Romanos etiam generalis seu universalis Concilii acceptionem*; & cùm diversa fuerit ejusmodi nominum acceptio, & Africani præsertim aliter ac nos hodiè plenarium, universale, & universæ Ecclesiæ Concilium usurpaverint, solidam esse non posse extra codices usumque Augustini & aliorum ex Africâ æqualium scriptorum de hâc re totâ ratiocinationem. Post examen locorum ex Augustino, quæ pro Nicænâ Synodo aliquatenus militare videntur, illud etiam addit *Launojus*, Arelatense Concilium ex eo etiam rectè dici posse plenarium juxta Augustinum, *quod deducta ab Apostolis non re baptizandi eos, qui ab hæreticis erant baptizati, consuetudo multas in Conciliis Provincialibus Disputationes habitas fuerit adserta, & ad magnum Arelatense Concilium velut ad unum compitum confluxerit*. Rejectâ post etiam novâ *Francisci Hallerii*, Theologi itidem Parisiensis sententiâ, qua in de *sacris electionibus & ordinationibus* opere per plenarium hoc & universale Concilium intelligi putavit Synodum Alexandrinam sub Liberio Pontifice celebratam, inter ea, quæ ad majorem Dissertationis & argumenti hujus illustrationem inservire existimavit, ipsum Arelatensis Concilii canonem, qui contra hæreticorum in specie anabaptismum factus est, & ex quo cumprimis probabile videtur, id nomine plenarii apud Augustinum Concilii intelligendum esse, à falsâ Bellarmini & aliorum inscriptione vindicandum sibi sumsit, qui in plerisque Conciliorum editionibus, sive amplioribus, sive contractioribus, sicut & in *Gratiani* Concordiâ, & hinc apud omnes ferè Papæos scriptores, ita legitur: *De Arianis, qui propriâ lege suâ utuntur, ut rebaptizentur, placuit, si ad Ecclesiam aliqui de hâc hæresi venerint, interrogent eos nostræ fidei Sacerdotes symbolum; & si perviderint, eos in Patre, Filio & Spiritu Sancto baptizatos, manus eis tantum imponant, ut accipiant Spiritum Sanctum. Quod si interrogati, non responderint hanc Trinitatem, baptizentur*. Launojus contra Bellarminum inprimis, hoc Canone abutentem, quem alii plures agmine pleno sunt secuti, depravationes ejus & falsas citationes fideliter describentes, observat, perperam ab eo hunc Canonem de Arianis intelligi & explicari, idque hanc ob causam, quia, quo tempore & anno Synodus hæc Arelatensis habita est & celebrata, Arianorum facto nondum sustulerit vexillum, doctrinâ temporum id testante; inductumque Bellarminum in hanc fraudem per *Gratiani* citationem, corruptamque Concilii hujus editionem, ubi pro *Afris* vitiosè scriptum fuerit *Arianis*. Et quia Bellarminus in hoc ipso capite circa cujus examen occupamur, existimavit, ex Canone Synodi Nicænæ, de quo jam aliquid dictum est, apertè deduci, *cæterorum præter Paulianistas hæreticorum Baptisma à Concilio fuisse adprobatum*; non capere se scribit *Launojus*, quomodo tempore Concilii Arelatensis, pluribus scilicet ante Nicænum annis, duæ inter Arianos fuerint baptizandi formæ, quarum alterâ qui baptizarentur, frustrà & cassum baptizantur, esseque aliud genus erroris, quod vitari non possit, si Bellarminus crediderit, Concilium hoc Arelatense post Nicænum fuisse celebratum. Ante *Launojum* de hujus Concilii Arelatensis tempori & laudati Canonis correctione *Ferdinandus de Mendoza*, Hispanus, Concilii Illiberitani ad Clementem octavum sub finem præcedentis seculi illustrator ita scripsit: *Ex multis est observare, Concilium Arelatense primum decem & eò amplius Annos ante Nicænum fuisse. Fuisse autem Concilium illud, quod Constantini consilio indictum & habitum est, ad causam Afrorum, Cæciliani & Donati, quod fuit initio Pontificatus Silvestri, Canon octavus abundè declarat, in quo agitur de Afris, sic enim legi debet, ut in vetustis & emendatis Codicibus, non Arianis, ut perperam in communibus,*

Lib. 1. de Bapt. c. 3.

Lib. 1. c. 2. pag. 21.

& in Decreto Gratiani, non antiquo tantum, sed & in recentiori Gregoriano legitur,
NB. *quod emendandum est. Nam quamvis Ariani rebaptizationes admiserint, ut ipsius Decreti censores ex Augustino scitè & literatè adnotarunt. Concilii tamen Arelatensis tempore hæresis Arii non modo in Galliâ, sed nec Alexandriæ, in quâ primùm est orta, agnosci potuit, nedum coërceri & puniri. Donatus verò uti ex Augustino liquet, multò ante rebaptizationem in Africâ admiserat, & ante Donatum Cyprianus, & ante Cyprianum Agrippinus, Carthaginensis Ecclesiæ Præsul. Is enim primus omnium fuit mortalium, ut Vincentius Lirinensis author est, qui contra Divinum Canonem, contra universalis Ecclesiæ regulam, contra sensum omnium sacerdotum, contra morem atque institutа Majorum, rebaptizandum esse censebat in Africa, à quo postea pars Ecclesiæ multa est contaminata. Quemerorem refutare voluit Concilium Arelatense primum, ut graviori sententia & acriori tot Episcoporum judicio damnaretur Donatus Afer, qui pertinacius in eo persistebat.* Neque etiam prætermitti debet, quod de hoc Canone, in alio tamen argumento & alia ex occa-
de Confir. pag. 170. sione, contra Bellarminum observavit *Dallæus*, lectionem à *Mendoza* ex emendatis Codicibus laudatam, & à *Launojo* defensam, authoritate etiam *Sirmondi* ex Tomis Conciliorum Galliæ confirmans, testatus, *Canonem hunc Arelatensem non quidem in unam tantum hæresin, sed in quamvis, adeoque in omnes respexisse, attamen Canonis constituendi occasionem fuisse vulgarem Afrorum eo tempore errorem, è quavis hæresi venientes promiscuè rebaptizantium, quod à Cypriano haustum tunc temporis retinuerint non soli Donatistæ, sed ut videtur etiam Catholici, Anno certè post Arelatensem Synodum circiter quinquagesimo optatam Afrum, tametsi Catholicum Parmeniano Donatistæ concessisse*, nihil valere ministratum ab hæreticis Baptismum. *Itaq; ex eo Afrorum errore occasionem decernendi*
NB. *hujus Canonis arripuisse Patres Arelatenses, definientes sapientissimè*, baptizandos, qui ab eâ hæresi venirent, in qua Baptismus non in Trinitatem, sed alius esset; minimè autem baptizandos, si qui ab eâ hæresi converterentur, in quâ ritè baptizati essent in Patrem, Filium & Spiritum Sanctum. *Atq; ita duos extremos ac contrarios errores, Cypriani quidem omnes Stephani autem Pontificis Romani nullos ab hæresi ad Ecclesiam venientes baptizantium correxisse commodissimè.* Ita Dallæus, à quo ad *Launojum*, vel eo duce ad Augustinum & laudatum ab eo plenarium & universale Concilium adhuc semel redimus, per quod Arelatensem Synodum, non verò Nicænam intelligi debere, contra Antagonistam suprà dictum strenuè defendit, qui dum ad alium quendam à superius laudato Canonem Synodi Nicænæ provocat, contra hæreticorum anabaptismum ibi conditũ, sed cum pluribus aliis temporum injuriâ deperditum, ex publicâ tamen famâ aliquatenus adhuc tempore Augustini cognitum, ad quem in comendatione plenarii illius Concilii toties iterata respexerit, non impertinenter objicit *Launojus* silentium de hoc Canone apud Authores æquales vel ætate suppares Nicæna Synodo, in specie *Athanasium*, qui eidem interfuerit, & tamen nec Canonem, nec publicam de eo famam testetur, imò ea potius scribat, quo & Canon & publica de eo fama comprimatur potius, quàm erigatur; cumque in ad Africanos Prætules Epistolâ in comendandâ Synodo Nicænâ totus sit, nullumque caput illius commendandæ prætermiserit, ut videlicet eam Ariminensi & aliis, quæ Ario favebant, anteponendam esse persuaderet, nihilo-minus nullam ejus controversiæ fecerit mentionem, quæ Romanos & Afros acerrimè inter se commissos tenuerat, quasi inter alias causam celebrandæ Synodi Nicænæ præbuisset, non omissurus, si, quidquid Augustinus de plenario & universali Concilio totius iteratis vicibus memoravit, in Synodo Nicænâ gestum fuisset. Obeundi certè in eodem cum Judæis die Paschatis controversiam, quæ *Athanasio* secunda sit Synodi Nicænæ causa, nec majorem tunc, nec majori studio incensam fuisse, quàm hæreticorum Baptismi controversiam, quæ Arelatensis Concilii tempore viguerat. *Accedere*, quod res hæc Epistolæ, quam Athanasius ad Africanos scripsit Episcopos, instituto serviisset quamplurimum, & persuadendi, quod persuadere cupiebat, rationes auxisset. *Itaque*, cùm ex professo ibi de causis Synodi Nicænæ tractaverit, qui præsens benè auritus & oculatus adfuit, nec inter illas hæreticorum baptismi vel anabaptismi referat controversiam, indicium videri certissimum, quod in alia Synodo, quàm Nicænâ ab Augustino tractata Baptismi hæreticorum controversia, tanquam in Concilio ad formam loquendi tunc temporis usitatam universali & plenario, finem suum acceperit, Objicit præterea Launojus *optatum Milevitanum*, à Dallæjo quoque hic commendatum, qui itidem nec de Canone Nicæno contra Anabaptismum hæreticorum, nec de publica ejus fama attestetur, imò potius utrumque non obscurè rejiciat, partim, quia hæreticorum Baptismata promiscuè & indifferenter nominet *profana & sacrilega*, non ita nominaturus, si Nicæna Synodus

nodus omnium hæreticorum exceptis Paulianistis baptismum admisisset, aliàs hujus Synodi mentionem non omittens; partim quoque, quia, dum in nomine Trinitatis Baptismum omninò dandum esse contendit, videatur ad Arelatensis Synodi canonem respicere, ubi Baptismus hoc nomine conferendus præscribitur. *Basilium* porrò Magnum, eodem silentio prætensum Synodi Nicænæ canonem publicamque de eo famam in suis de hoc argumento scriptis involventem, imò utrumque in Canonica ad *Amphilochium* epistola non obscurè rejicientem, dum in rebaptizatione, hæreticorum, eorum etiam, qui in nomine Trinitatis haptizarunt, (de quibus proximè laudatus etiam Athanasius pronuntiavit, *quod non rectè sentientes, etsi nomine tenus istum pronuntiantes ritum, neque sanam retinentes Fidem, inutilem possideant aquam, Nu-* NB. *mine nimirùm & Religione destitutam, quâ qui adspergantur ab illis, sordescant potius pravâ Religione, quam redimantur*) ad Cypriani authoritatem receptamque ab ejus tempore in ecclesiis orientalibus consuetudinem provocavit, non provocaturus, si in Nicæna Synodo mos baptizandi hæreticos omninò fuisset abolitus, id quod tamen, quod pace *Launoji* addo, de Concilio etiam Arelatensi dici posset, nisi fortè illud Basilio incognitum, vel authoritatem ejus, utpotè transmarinam, non adeò magni ab eo æstimatam fuisse, excipere velit quod an locum habere hic possit, alii dispiciant. Addit his insuper *Epiphanium*, de quo tamen id, quod de Basilio, habendum. Subjungit *Ambrosium*, nullam hujus canonis, publicæ de eo famæ mentionem iis in locis facientem, ubi sese offerebat occasio. *Cyrillum* quoque Hierosolymitanum, quin & ipsum ex abundanti Augustinum, hujus Nicæni Canonis mentionem ibi omittentem ubi quam-maximè poterat & debebat, de cætero ita de hæreticorum anabaptismo docentem, quomodo in Canone Synodi Arelatensis erat præscriptum. Et quia inter alia illud etiam contra Synodum hanc Arelatensem fuit objectum, non posse vocari plenarium & universale, vel universæ per totum orbem Ecclesiæ Concilium, quia in eo ex oriente nullus adfuerit, & magna pars occidentis etiam defuerit; egregiè & multâ cum observatione respondet *Launojus*, hoc ipsum de Tridentinâ Synodo dici debere, *cui ex oriente nullus adfuerit, & magna pars occidentis etiam defuerit*, post plura ad hujus demonstrationem addens, *Arelatensi Concilio longè plures, quàm Tridentino Episcopos interfuisse*. Alia in hanc rem à *Launojo* contra antagonistam notata, præsertim, quæ ipsam oecumenicæ & universalis Synodi notionem in se attinent, ne digressio hæc, utut de mente Augustini occupata, adeoque hic non omninò impertinens, nimis excrescat, prætermitto, ea tantum adhuc subjecturus, quæ ad conciliandam huic sententiæ de Concilio Arelatensi fidem ex authoritate aliorum porrò monuit, & quidem ante cæteros ex ipsomet Bellarmino, illud de plenario & universali Concilio testimonium Augustini, cujus suprà mentio est facta, ob ipsum Augustini indicium satis manifestum, ubi de Conciliorum authoritate cum vel sine Papâ suam exposuit & defendit sententiam, de Arelatensi Concilio incunctanter & inhæsitanter intelligente & explicante, id quod ad contradictionem in Bellarmino numerum aliàs satis amplum & sine numero ferè debet referri. Lib. II. de Concil. cap. 19.

Post Bellarminum laudat Launojus *Gabrielem Altaspinæum*, Aurelianensem Episcopum, celebrem & Ecclesiasticæ Antiquitatis peritissimum scriptorem, in ad *optatum Milevitanum* observatione decimâ hoc plenarium ex Augustino Concilium de Arelatensi explicantem; & *Petrum de Marca*, ex Tolosano Archi-Episcopum Parisiensem, illustrissimi operis *de Concordia Sacerdotii & Imperii* Authorem, supra non semel ex merito laudatum, pari modo de hâc Synodo scribentem, & *Launoji* de hâc sententia Dissertationem peculiari ad eum epistola adprobantem. Addit *Iacobum Sambœuvium*, Theologiæ in Sorbona Professorem, idem de eadem publicè in scholis docentem; *Philippum* quoque *Labbæum*, nominatissimum in Societate Ignatiana scriptorem, non solùm in Conciliorum Synopsi paucos ante annos Lutetiæ edita, sed & in ampliori Conciliorum editione ab eodem cœpta, ex *Sirmondo* hujus sententiæ defensorem. Et ut numerus, qui à partibus Launoji stant, augeatur, addo, venisse non ità pridem in manus Disputationem, Anno demùm post sesquimillesimum, centesimum & sexagesimum sexto, in *Sorbonâ* habitam, in qua eadem plenarii apud Augustinum Concilii de *Arelatensi* explicatio fuit proposita, & sine dubio etiam defensa. His jam omnibus in fasciculum collectis, quæ laudatus Sorbonista *Launojus*, ex quo hactenus excerpta quædam fuerunt proposita, amplissimè & prolixissimè in peculiari de hoc argumento dissertatione, ac ejusdem contra Antagonistam Dominicanum confirmatione & defensione exhibuit nemo prudens non advertit,

vertit, si hodie *Moralis Theologiæ* Doctores pro sententiâ probabili posse haberi & agnosci contendunt, quæ uno tantum celebri & ob eruditionem laudato Authore nititur, de quo tanquam res in-dubia habetur, tum nihil sine ratione certa statuere, & quidem, quod *Bordonus*, Parmensis Theologus, ordinis Franciſci, non ita quidem Propugnaculo opinionis probabilis, à se edito, contra quosvis ejusdem adversarios notanter titulo-tenus præscripsit, in concursu opinionis etiam probabilioris; hanc *Launoÿ* de Synodo Arelatensi tanquam Concilio ad Augustini mentem universali & plenario sententiam vix posse numero opinionum quam-maximè probabilium excludi, utpote probabilitate non solùm extrinsecâ, authoritate videlicet eorum, qui eidem adstipulantur, sed & intrinsecâ, rationibus nimirùm ex ipsis testimoniorum Augustini & coætaneorum visceribus singulari studio depromtis gaudentem, hâc tamen additâ protestatione meâ, me hanc Controversiam non facere meam, sed hæc eum in finem adduxisse, ut lectori veritatis studioso hoc etiam exemplo constet, testimoniorum Augustini explicationes Bellarminianas, iis quoque in rebus, quæ fidei controversias non attingunt, sed tantum historicæ sunt, sincerioribus in Papatu Romano Doctoribus non semper placuisse vel acceptos fuisse.

CAPUT VIGESIMUM & OCTAVUM

De

Intentione Ministri Sacramentorum.

DUo in hujus Quæstionis tractatione vindicari debent Augustini loca, ad quæ contra intentionem directa & directè satis militantia Bellarminus respondere conatur, quo successu & causæ emolumento, statim indicabitur. Et quia priorem locum ex *Chemnitio* citat, aliquantò prolixior ex eodem huc adscribendus est, quia Bellarminus justo breviorem exhibuit, ne vis ejus & efficacia contra intentionem lectori tam apertè ob oculos poneretur. Observavit autem *Chemnitius*, Augustinum de Baptismo contra Donatistas disputantem sequentes quatuor movisse quæstiones, *primam*, Lib. 7. c. 53. Si quis fallaciter, hoc est, animo simulato Baptismum in Ecclesiâ accipiat; *secundum*, si quis in Mimo cum fide accipiat; *tertiam*, si quis ab eo, qui non est baptizatus, accipiat; *quartam*, si tradens in Ecclesiâ baptismum fallaciter agat. Et de his quæstionibus notat, Augustinum primò in utramque partem disputare, his verbis: *An, quantum ad ipsos quidem attinet homines, plurimum distat inter eum, qui fide Baptismum accipit à Mimo, & qui animo simulato Baptismum in Ecclesiâ accipit; ad ipsius autem Sacramenti integritatem nihil interest? Si nihil interest ad integritatem Sacramenti in ipsa Ecclesia Catholica, utrum id aliqui fallaciter an veraciter agant, cùm hoc idem utrique agant; quomodo extra Ecclesiam interfit, non video, quando ille, qui accipit, non simulatione palliatus, sed religione mutatus est. An plus valent ad confirmandum Sacramentum illi veraces, inter quos agitur, quàm ad frustrandum illi fallaces, à quibus agitur & in quibus agitur, & tamen, si postea prodatur, nemo repetit? Sed nobis tutum est in ea non progredi aliquâ sententiæ temeritate, quæ nullo in Catholico regionali Concilio cæpta, nullo plenario Concilio terminata sunt.* Et mox: *Verùntamen si quis fortè in eo me Concilio constitutum, ubi talium rerum quæstio versaretur, talibus non præcedentibus, quorum sententias sequi mallem, negaret, ut dicerem, quid ipse sentirem; si eo modo adfectus essem, quo eram, cùm ita dictarem, nequaquam dubitarem, eos habere Baptismum, qui, ubicunque & à quibuscunque illud verbis Evangelicis consecratum, sine suâ simulatione & aliquâ tum fide accepissent.* Item, *Præteritis majorum statutis non dubito, illos etiam habere Baptismum, qui quamvis fallaciter id accipiunt, in Ecclesia tamen accipiunt, vel ubi putatur esse Ecclesiâ ab eis, in quorum societate id accipitur, de quibus dictum est.* Ex nobis exierunt &c. *Ubi autem neque societas ulla esset ita credentium, neque ille, qui acciperet, ita crederet, sed totum ludicre & minimè & joculariter ageretur, utrum ad probandus esset Baptismus, qui sic daretur, Divinum judicium per alicujus revelationis oraculum oratione implorandum esse censerem, ita sanè, ut post me dictura sententias, si quid jam exploratum & cognitum afferrent, humiliter expectarem.* Subjungit *Chemnitius*: Hæc Augustinus pro solita sua verè christiana modestia. Usque adeo autem ex institutionis veritate & certitudine, non ex hominum sive dantium sive suscipientium quaque vel qualitate vel intentione vult metiendam esse veritatem & integritatem Sacramentorum, ut ne de mimica quidem seu joculari actione ausit pronuntiare. De hoc autem joculari Baptismo addit *Chemnitius* ex Lombardo, ejus postmodum tempore hanc Quæstionem ita disputatam fuisse,

fuisse à sapientibus, ut visum fuerit, *non esse Baptismum, quia non intentione baptizandi illud geratur*, hâc cum additione, *& in hoc & in aliis Sacramentis, sicut forma & servanda, ita & intentionem illud celebrandi esse habendam*; Lombardum verò intentionem intelligere de ipso actu baptizandi, non de fine & effectu Baptismi, ob sequentem Augustini sententiam: *Illud te non moveat, quod quidam non eâ fide parvulos ad Baptismum ferunt, ut per spiritum ad æternam regenerentur vitam, sed eos putant hoc remedio temporalem accipere sanitatem; non enim propterea illi non regenerantur, quia nec ab illis hâc intentione obferuntur.* Monet porrò *Chemnitius*, Hanc Lombardi præeunte Augustino sententiam de intentione celebrandi actionem Baptismi nihil aliud velle, quàm institutionem esse servandam, ut verum sit Sacramentum; non enim hoc velle institutionem Baptismi, ut vulgaris aliqua lotio fiat, vel quæ ex professo nihil aliud sit, quàm vel lusus ridiculus, vel mimica subsannatio, vel profanatio institutionis cum recitatione verborum, sed requirere, ut peculiaris instituatur actio, & illa quidem, quam Christus instituit, *& hoc sufficere ad servandam institutionem.* Post alia in hanc rem plura, ne quid ad illustrationem Controversiæ desit, illum tandem *Chemnitius* notat, distinctas & multum diversas esse duas has Quæstiones, *quid ad veritatem & integritatem Sacramenti requiratur & necessarium sit*; &, *quid à ministro requiratur, ut quantum ad suam personam fidelis & bonus sit, quo animo, quâ fide, intentione & devotione Sacramenta tractare debeat, ne sicut Paulus inquit, aliis prædicans & ministrans ipse reprobus efficiatur?* Ministrum enim, qui animo profano, irrisorio, negligenti & irreverenti Sacramenta tractat, peccare, dubium non esse; sed hæc Ministri vitia, si tamen Sacramenta juxta Christi institutionem administret, non posse veritatem DEI irritam facere, non enim ad substantiam & veritatem Sacramenti pertinere vel qualitatem, vel fidem, vel devotionem Ministri. Et hanc distinctionem elegantissimis Augustini sententiis Lombardum illustrare, scribentis: *Ego dico, & nos dicimus omnes, quia justos oportet esse, per quos baptizatur; justos oportet esse tanti Judicis ministros. Sint ministri justi, si volunt; si autem noluerint esse justi, qui sedent in Cathedrâ Moysis, securum me facit meus Magister Christus, de quo Spiritus Sanctus dicit: Hic est, qui baptizat.* Item: *Quos baptizavit Judas, Christus baptizavit. Si quis ergò baptizavit ebriosus, homicida, adulter, si Christi erat Baptismus, Christus baptizavit. Non timeo adulterum, nec ebriosum, nec homicidam, quia columbam attendo, per quam mihi dicitur: Hic est, qui baptizat.* Item: *Baptismus talis est, qualis est ille, in cujus potestate datur; non qualis ille per cujus ministerium datur.* Et iterum: *Habent ergò non modò boni, sed etiam mali ministerium baptizandi, sed neutri potestatem Baptismi; ministerium enim dedit Christus servis, sed potestatem sibi retinuit.* Et rationem addit, quare hanc potestatem servis non dederit: *Ne scilicet servus in servo spem poneret.* Hæc omnia ex Augustino contra intentionis omnimodam necessitatem à Tridentinâ Synodo sub Anathematis fulmine rigorosius justo adsertam *Chemnitius*, uno in loco, ad unum eundemque Canonem & tamen Bellarminus, quâ solitus est negligentia Adversariorum libros evolvere, priorem modò Augustini locum quasi à *Chemnitio* laudatum lectori exhibuit, posteriorem verò quasi ab aliis commendatum in hoc argumento, quem in *Chemnitio* tamen cum priori videre potuisset & jure debuisset, si debitam in evolvendo *Chemnitius* examine adhibere voluisset diligentiam, hinc inde quædam, prout comodum ipsi fuit visum, excerpens, potiora verò ut plurimum & notatu digniora, adeoque & difficiliora, quasi à se non visa aut lecta prætermittens, utut & hunc quoque posteriorem locum non omni responso destitutum voluerit, ubi satis priori à se factum existimavit. Ita autem ad priorem Bellarminus, *esse eum contra adversarios*, dicere enim Augustinum, *se eâ de re dubitasse, quia in nullo res definita fuerit Concilio*; nunc autem in duobus Conciliis generalibus, Florentino nimirum & Tridentino esse definitam. Neq; referre, quod ea non recipiantur à Lutheranis, cùm neq; Nicænum fuerit receptum à Donatistis in causâ Anabaptismi, & tamen Augustinus ubique adfirmet, rem esse certam & definitam ob illius Concilii authoritatem. *Deinde* ibidem Augustinum, cùm petendam esse DEI revelationem dicit, an Baptismus joco traditus sine verâ conferendi intentione sit ratus, aperte testari, non esse certum ex scripturis, ut Adversarii jactitant, Sacramenta non requirere intentionem Ministri. *Præterea* sine dubio Papæos longè melius facere secundum Augustini sententiam, eos baptizando, *verius rebaptizando*, qui sine intentione sunt baptizati, quàm Lutheranos non baptizando; nam in re dubiâ præstare Baptismum repetere, saltem sub conditione, quàm exponere se periculo Baptismum amittendi.

Lib. 4. distinct. 5.

tendi. *Ad posteriorem* verò locum paucis se expediri posse existimavit, excogitatâ animi-rum subtili *inter ebrium & ebriosum* distinctiunculâ, de hoc tantũ, non autem illo Augustinum esse locutum respondens, adeoq; Baptismum ab ebrioso quidem, non autem ab ebrio collatum rati eum habuisse. Perpulchrè & nimis subtiliter! quasi verò ebriosus, qui per crebrius exercitiũ temulentiæ habitum contraxit, etsi non semper in statu ebrietatis perfectę, si modò vitiis aliqua perfectio adscribi potest, seriam illius rei intentionẽ & quod idem ferè est, attentionem habeat, quam ex officii & muneris ratione effectui dare tenetur, & non potius ut plurimum sine & intentione & attentione id agere dici possit, quod quâ ratione à se factum, ipse forsitan finito labore ignorat, nedum ut aliis testimonium de eo prębere sit idoneus, quod nisi exẽplis, neq; adeò paucis ex dignorum fide testium relatione constaret, ut hic contra Bellarminum urgeretur, non opus adeò fuisset. *Ad priorem* nunc regredimur Augustini locum, visuri, an responsum Bellarmini habere possit locum, & an *Chemnitius* impertinenter eum pro se laudaverit, quem Bellarminus ei contrarium dicit. Agnoscimus autem meritò & ex debito prædicamus cum *Chemnitio* singularem augustissimi Doctoris modestiã, in re facti, quoad mimicam Baptismi administrationem, ejusq; vel nullitatem vel valorem, proprio non fidentis judicio, sed Concilii alicujus plenarii definitionem desiderantis; ita tamen, ut in hujus defectu eaq; inter suã non dissimularit sententiam, de veritate & integritate Sacramenti non ex hominum sive dantium, sive accipientium quacunq; vel qualitate vel intentione, sed ex Institutionis veritate & certitudine judicans, *eos videlicet habere Baptismum, qui ubicunq; & à quibuscunque, verbis consecratum evangelicis, sine sui à simulatione & aliquâ cum fide accepissent*, quod contra intentionis Sacramentorum ministri omnimodam necessitatem satis clarè & aperte dictum & scriptum est. De cætero, quæ Augustini mens de Conciliorum, in rebus fidei authoritate fuerit, suprà in hujus argumenti illustratione fuit ostensum, ubi verba ejus contra Maximinum Arianorum Episcopum scripta à Bellarmini fraudulentâ expositione fuerunt vindicata, scribentis: Lib. III. c. 14. *Nec ego Nicænum, nec tu debes Ariminense, tanquam præjudicaturus, proferre Concilium; nec ego hujus authoritate, nec tu illius detineris. Scripturarum authoritatibus, non quorumcunque propriis, sed communibus utrisque testibus, res cum re, causa cum causâ, ratio cum ratione concertet.* Et legi hic quoque iteratò merentur ejus verba, quibus in hoc ipso de Baptismo ejusque inter hæreticos valore contra Donatistas argumento, quod cum præsenti Controversiâ de intentione Ministri in aliquibus coincidit, Conciliorum authoritatem scripturarũ authoritati postposuit & subjecit, singulari cum confidentiâ scribens: Lib. II. c. 3. *Quis nesciat, sanctam scripturam Canonicã, tam Veteris, quàm Novi Testamenti, certis suis contineri terminis, eamque omnibus literis Episcorum posterioribus ita præponi, ut de illâ dubitari omninò & disceptari non possit, utrum verum vel utrum rectum sit, quidquid in eâ scriptum esse constiterit; Episcoporum literas autem, quæpost confirmatum Canonem vel scriptæ sunt vel scribuntur, & per sermonem fortè sapientiorem cujuslibet in eâ re peritioris, & per aliorum Episcoporum graviorem authoritatem, doctiorumque prudentiam, & per Concilia licere reprehendi, si quid in eis fortè à veritate deviatum est, & ipsa Concilia, quæ per singulas regiones vel Provincias fiunt, plenariorum Conciliorum authoritati, quæ fiunt ex universo orbe Christiano, sine ullis cedere ambagibus, ipsaque plenaria sæpè priora emendari à posterioribus, cùm aliquo rerum experimento aperitur, quod erat clausum, & cognoscitur, quod latebat, sine ullo sacrilegæ superbiæ typho, sine ullâ arrogantiæ inflatâ cervice sine ulla lividæ invidiæ contentione, cum sanctâ Humilitate, cum pace Catholicâ, cum charitate Christianâ.* Concilia, Florentinum & Tridentinum, quæ tanquam generalia pro necessariâ Ministri intentione jactat Bellarminus, sicut Evangelici justis de causis non recipiunt, ita certum est, neque ab Augustino receptum iri, si post ea vivere datum ipsi fuisset, ejusdemque sententiæ constans Adsertor mansisset, quam contra intentionis necessitatem satis manifestè expressit. Quod autem de valore Baptismi mimici & per jocum administrati agens Divinam expectari debere revelationem putavit Augustinus, eo iterum singularem modestiam exhibuit, in casu tam singulari suum magis suspendens, quàm imprudenter aliis obtrudens judicium. Et si, ad hominem disputo, Augustinus ideo juxta Bellarminum, non esse certum existimavit, Sacramenta intentionem Ministri non requirere; sequitur, cum æquè incertam habuisse intentionis necessitatem, contra quam tamen & hic & alibi luculenter satis scripsit. Pertinent præter jam laudata huc, quæ notanter contra parem Donatistarum errorem notavit sanctus Pater: lib. I, cont. liter. Petil. cap. 3. *Baptizentur à bonis, ut possint fidem percipere, non reatum. Sed quomodo & de istis securi erunt, si con-*

si conscientia (Intentio & attentio) *dantis attenditur, quæ latet oculos accepturi. Ita secundum eorum sententiam,* (notetur vis consequentiæ) *fit salus illa spiritualis incerta, dum contra scripturas sanctas est, quæ dicunt:* Bonum & confidere in Domino, quàm confidere in homine. *Et,* maledictus omnis, qui spem suam ponit in homine. *Spem baptizandorum auferunt à Domino DEO, & in homine ponendam esse persuadent. Undè fit omninò, ut non incerta, sed prorsus nulla sit salus, quia Domini est salus, & vana est salus hominis. Itaque quisquis in homine spem posuerit, etiam quem justum & innocentem novit, maledictus est.* Et post pauca: *Idagunt isti, ut origo, radix & caput baptizati non nisi ille sit, à quo baptizatur. Ita sit, ut, quoniamplerumque, qualis sit baptizator, incertum est; incertâ origine, incertâ radice, incerto capite, spes etiam hominis incerta sit. Et cùm fieri possit, ita esse conscientiam dantis, ut scelerata atque maculosa sit, & hoc ignoret accepturus; consequenter fit, ut scelerat à origine, scelerat à radice, scelerato capite, spes quoque baptizati vana & inanis existat. Omnis enim res origine & radice consistit, & si caput non habet aliquid, nihil est.* Et iterum post aliqua: *Quærimus nos, cùm baptizator perfidus latet, & sit tunc ille, quem baptizat, fidem percipit, non reatum, si tunc ei non est baptizator ejus origo & radix & caput; quis est, à quo accipit fidem? Ubi est origo, de quâ oritur? ubi radix, undè germinat? ubi caput, undè incipit? An fortè, cùm baptizantem perfidum ille, qui baptizatur, ignorat, tunc Christus dat fidem, tunc Christus est origo, & radix & caput? ô humana temeritas & superbia! Cur non finis potius, ut semper Christus det fidem, christianum dando facturus? Cur non finis, ut semper sit Christus origo christiani, in Christo radicem christianus figat, Christus christiani sit caput?* Ultima hæc Augustini verba, quibus similia plura ibi in sequentibus leguntur, inservire possunt contra eam *Thomæ Aquinatis* (de cujus circa Intentionis necessitatem in administratione Sacramentorum sententia in Vindiciis *Evangelico-Thomisticis* prolixè actum est) doctrinam, quam ei *Amadæus Guimenius* adscripsit, quasi nimirum statuerit, *Si desit mentalis intentio in baptizante puerum, piè credi, quod summus Sacerdos scilicet Deus, defectum suppleat & salutem ei conferat.* Etsi enim *Vincentius Baro*, ordinis Cyriacorum scriptor hodiè celebris, in alterâ Manuductionis ad *Moralem Theologiam* parte, contra *Guimenium* sicut in pluribus aliis capitibus, ita in hoc etiam demonstrare conatus est, aliam & alienam Doctori Angelico adscribi sententiam, hæcque ab eo verba non ad propriam, sed aliorum mentem esse scripta; non tamen deseruit suam, quam semel defendendam suscepit, causam, inque supplici ad *Sacræ* (verius, Sacerrimæ) *Congregationis* Cardinales contra *Baronem* Libello, hanc ipsam ipsius *Thomæ* sententiam fuisse contendit *Guimenius* cujus Controversiæ decisionem iis nunc relinquimus, ad quos semel est delata, visuri, in quam partem sit inclinatura, si modò publicæ exponetur huic, inque hæreticorum manus suo tempore deventura. Ea inter sufficit observasse, hanc, quæ de supplemento gratiæ baptismatis ob defectum intentionis in Ministro adscribitur *Thomæ*, doctrinam non adeò multum differre ab eâ, quam post alios plures nuper modò proposuit Pacifex *Volusius*, scepticismum prætensæ necessitati intentionis objectum ab eâ amoliri studens, dum ad Pacem inter partes ineundam ita ex suâ mente scripsit: *Quæritur*, An *possis scire, te baptizatum esse, cùm id pependerit ab intentione Ministri? Respondeo, Non possum scire certitudine fidei, cui nullum omninò falsum subesse possit. Transeat. Non possum aliâ piè & prudenter præsumtâ certitudine, quæ Divinæ innititur Providentiæ, haud permissuræ, ut homo absque suâ culpâ tam necessario Sacramenti fructu privetur, & non aliundè hic defectus suppleatur. Sic nego.* Ita Volusius. Applica, Lector, Augustini verba ultimò citata, & videbis, idem contra hodiernos valere Intentionistas, quod sanctus Doctor contra Donatistas suo tempore graviter monuit, omnem Sacramenti vim, virtutem, veritatem, certitudinem soli DEO institutori adscribens. Plura jam possent contra hanc augustissimi Patris observationem notatu in hâc Controversiâ dignissimam, sicut in aliis modernorum scriptis, ita præsertim in *Caramuelis Theologiâ Intentionali & Præter-Intentionali* (qualem prior Ætas non vidit, præsens stupet, & si quæ est futura, nisi omnem amittat sensum, detestabitur) occurrentia notari & ostendi, quantum in hâc re à simplici modestiâ Augustini sit discessum, & quam liberè non tantum in fingendis casibus nunquam debilibus vel possibilibus versentur, qui in casibus quotidiè occurrentibus vel hærent vel graviter errant, sed & in fictorum & simul intricatissimorum casuum decisionibus temerariè procedant, liquida cum illiquidis, pura cum impuris, certa cum incertis ut plurimùm permiscentes, & Lectorem rarò aut nunquam nisi dubium & suspensum à se dimittentes, & si res quam optimè

Opusc. Moral. pag. m. 365.

vid. Eph. Gallor. T. II. p. 368.

apud Hon. Fabri, in Apol. Doctr. Moral. p. 453.

in Aurorâ Pacis, pag. 48.

optimè succedat, malè informatum, & solis Probabilitatibus plerumque improbabilissimis, & omni verâ ratione carentibus innixum. Sed non licet aut libet jam ad hæc progredi, peculiari plenariam tractationem requirente operâ.

Non possum, quin breviter subjungam, quæ hisce jam conscriptis legere fuit concessum in Vindiciis Augustinianis *Henrici de Noris*, qui peculiarem huic etiam Quæstioni in iisdem consecravit operam, *an Augustinus putaverit, Baptismum sine intentione datum esse validum*, observans, *Antonium Moraines* vel *Iohannem Martinonum* errore Augustinum involvere, quia de hâc re dubitaverit, *Macedone* in opere de *Clavibus* eũ quoque inter recentiores numerante, de quibus scripsit, *insolenter eos se gerere, qui Augustinum ob id reprehendunt*, de hoc *Martinono* singulariter monens, *cum Augustino esse inquisitissimum*. Quia verò hic *Macedo* subscripsit sententiæ *Aquinatis*, quæ alia planè est ab eâ, quam ei adscribere *Guimenium* dixi, nimirum statuentis, dupliciter posse quempiam baptizare inciso rè, *vel propter solam oblectationem*, absque intentione id faciendi, quod facit Ecclesia, vel conferendi rem sacramenti, nempè gratiam, *vel cum intentione quidem* id faciendi, quod facit Ecclesia, sed non conferendi rem sacramenti, quod nimirum ipse falsum atque nullum arbitratur, *atque non priori, sed posteriori quidem sensu validum esse Baptismum*, sed cùm nesciamus, quo ex his duobus modis ludicrè baptizans alterum abluerit, *expectandam esse ex Augustini Sententia Divinam revelationem*; apertè fassus est *Nocisius*, hanc explicationem mentis Augustinianæ nullo sibi modo posse probari, sequenti additâ ratione: Nam in dubio, inquit, Baptismus repeti debet, ut communis Doctorum sententia tradit ex Concilio Carthaginensi, sub initium seculi quinti celebrato, ubi in dubio, an puer barbarus venundatus sit baptizatus, decernitur, illum esse baptizandum. Expedit enim ita *Vindex Augustinianus*, Sacramentum potius exponere periculo nullitatis, quam hominem periculo damnationis; neque dicunt Patres, in eo dubio implorandam revelationem Divinam. Porrò, sic pergit *Nocisius*, illud Decretum Augustino notum fuit, quo præsente repetitum cum cæteris Canonibus Synodorum Africanarum sub *Aurelio* Carthaginensi habitarum in plenario Concilio Africano, Anni ejusdem seculi post decimum noni. Igitur voluntate baptizantis per ludum non adparente, Baptismus iterùm est repetendus. Quando autem Augustinus ait, *Divinum Iudicium per alicujus revelationis oraculum* &c. *esse implorandum*, non intelligit in dubio facti, sed *in dubio juris*; nam persona talis sic baptizata iterùm esset baptizanda. At *de sufficientia & valore talis modi*, ut inter dogmata Ecclesiæ definitio certa reponeretur, *expectandam dixit revelationem*. Et postquam inter cæteros, qui de hujus dicti Augustiniani intelligentia egerunt, primas ferre dixit *Vasquezium & Lugonem*, ipse eâdem ferè incedit via, quâ *Chemnitium* in scrutando Augustini sensu usum fuisse vidimus, utut sub finem Tractationis nihil sibi cum *Chemnitio* esse negotii protestatus sit. Inter alia, ubi responsum Augustini ad quæstionem primam & secundam proposuit, sequentem adjecit observationem notatu dignissimam: *Itaque ex Augustini sententia sufficit ad valorem Baptismi, quod in alterutro tantùm vera sit Fides, licet in uno possit esse fallacia & simulatio*. Porrò, non est certũ, an de intentione ad Baptismũ necessaria loquatur; nam *Vasquez* putat, per fallaciam & simulationẽ excludi veram intentionẽ aut dantis (de qua hic tantum sermo est) aut accipientis Baptismũ. Quare, cùm dicit Augustinus, *qui fallaciter accipiunt Baptismum*, ex sententia *Vasquezii* idem sonat, ac *absque intentione*; & concludit idem *Vasquez*, Augustinum putasse, Intentionem non esse necessariam in dante & accipiente Baptismum, *sed satis esse, quod sit in alterutro*, quæ sententia, inquit *Nocisius*, modò tuta non est, ob decreta Conciliorum, quæ tamen *Vasquezio* non fuerunt incognita. Addit idem, Explicationem hanc *Vasquezii* hanc pati difficultatem; quod Augustinus apertè scribit: *Præteritis Majorum statutis non dubito, illos etiam habere Baptismum, qui, quamvis fallaciter id accipiant, in Ecclesia tamen accipiunt*. Si igitur, ita *Vindex Augustinianus* argumentatur ex hypothesi & explicatione *Vasquezianâ*, Baptismum accipere fallaciter est, Baptismum recipere sine intentione, Majorum statutis decretum erat, recipientem sine intentione esse baptizatum verè; hoc enim testatur Augustinus, qui ob Decessorum statuta Baptismum cum fallacia & simulatione recipientem non dubitat baptizatum validè. Pergit consequentias nectere *Nocisius*, Quod si fallacia & simulatio significant carentiam intentionis, quis non videat, communem olim in antiquâ ecclesia sententiam fuisse à Synodo Tridentinâ damnatam, nempè, non requiri intentionem ad valorem Sacramenti? Augustinus enim statuta Majorum adpellat, quibus decretum erat, fallaciter, hoc est, *sine Intentione*, ut Vasquez explicat, accipientem Baptismum habere verum. Item testatur

p. 120. & seqq.

testatur tales cum ea fallacia baptizatos, si prodatur ea simulatio excommunicare, *non verò rebaptizari*, quod illis significat verbis, supra etiam citatis, *nemo repetit*, scilicet Baptismum; cujus oppositum, inquit *Vindex* modo docet ecclesia, quæ, cùm definiat, *Baptismum sine Intentione collatum esse nullum*, repeti jubet illum. Itaque explicatio, quâ Augustini dicta *Vasquez* interpretatur, stare nullo potest modo, nisi dicamus vel antiquos errâsse Patres, & eos non rebaptizantes, qui cum simulatione Baptismum peregissent, eorundem damnationis causam fuisse, vel certè Tridentinos ac Florentinos Patres contra vetustioris Ecclesiæ sententiam statuisse, *Intentionem esse necessariam ad valorem Sacramenti*, quod utrumque falsum & absurdum est. Sic contra *Vasquezianam* explicationem sententiæ Augustini Evangelicis non parùm propitiæ & propitiam ex solâ authoritate Conciliorum argumentatur *Norisius*, non rejecturus eam, si nõ obstante hâc authoritate cum *Vasquezio* Augustini & Ecclesiæ tum orthodoxæ sententiã hoc modo explicare fuisset ausus, quo utpotè difficiliori rejecto, de alio fuit sollicitus, quem sequentibus explicat verbis: *Fallacia & simulatio duplici sensu possunt accipi*, vel quatenus excludunt intentionem faciendi, quod facit Ecclesia, in conficiendo Sacramento; *vel quatenus excludunt Fidem*, seu credulitatem vel existimationem de re & effectu Sacramenti, qui est Sanctificatio animæ per gratiæ infusionem, *quæ duo valdè sunt diversa*. Nam si quis gentilis velit baptizari ob lucrum, quod indè sperat à Principe Christiano, fallaci animo ac simulato Baptismum accipit, fallacia tamen & simulatione intentionem necessariam ad valorem Sacramenti non excludente, per quam intendit facere, quod facit Ecclesia, sed rem & effectum Sacramenti, nempè gratiam sanctificantem. Quare cùm ex dictis contra *Vasquezium* intelligi non possit Augustinus de fallacia & simulatione, intentionẽ id faciendi, quod facit Ecclesia excludente, quam Synodi posteriores statuerunt necessariam esse ad valorem Sacramenti, accipiendus est *de fallacia & simulatione intentionem seu credulitatem, & existimationem de re & effectu Sacramenti excludente*. Hæc ad quæstiones Augustini duas priores. De tertia, quam *Chemnitius* ordine secundam proposuit, ita scribit: *Sanctum Patrem de aliquo dubitasse, quod modò ponitur extra dubium necessariò dicendum est*. Quando enim ait Baptismum minimè & ludicrè collatum, vel ita intelligebat, ut proculdubio esset non solùm intentio de effectu Sacramenti, sed etiam intentio id faciendi, quod facit Ecclesia; vel ita, ut hæc intentio secunda excluderetur minimè. Si de hoc secũdo dubitavit, jam modò constat, satis esse hanc intentionem id faciendi, quod facit Ecclesia, ad valorem Baptismi. Si autem de primo fuit dubiũ, item modò certum est inter Catholicos, *(Romanenses)* Baptismum exclusâ quâlibet intentione non esse validum. Profectò, ex verbis Augustini patet, omnem & quamcunq; tunc intentionẽ excludi; siquidem si adesset intentio id seriò faciendi, quod facit ecclesia, jam non totum, h. e. omni ex parte joculariter & ludicrè ageretur. Quis autẽ Augustino hanc dubitationẽ vertat vitio, nisi *Moraines*, parùm æquus Augustino, qui eas sancto Doctori sententias adficiat, quarum oppositas sine dubio idem se tenere pronuntiat. Jure autem Augustinus judicium suspendit, eâ præsertim tempestate, quâ ob rebaptizationem Donatistarum, si quæcunque iteratio Baptismi per ludum dati fuisset asserta, fideles rerum minus periti ac simplices longâ via à schismaticis rebaptizantibus in errorem trahi poterant, cui periculo cavit prudenter Augustinus. Ita post omnes alios, & inprimis *Vasquezium*, subtilissimum aliàs ut plerisque videtur Mentis Augustinianæ interpretem, sensa Doctoris sancti indagâsse & simul penetrâsse videri voluit *Norisius*, exceptus, ut in plerisque omnibus, malè à perpetuo & jurato hoste *Neusero*, qui rejectâ expositione *Norisiana*, per quam simulatio Baptismatis, de quâ agit Augustinus, esse dicitur infidelitas, *Vasquezianam* reproducit, vocabulo simulationis negationem intentionis id faciendi, quod Ecclesia facit, intelligentem, contra objectionem *Norisii*, quasi sententia Augustini sic intellecta contrarietur Synodorũ Florentinæ & Tridentinæ decretis, nihil aliud habens, quod respondeat, quàm *Augustini tempore rem hanc nondum fuisse definitam*, his expresè subjectis: *Nihil obest, Augustinum eo tempore ita sensisse*, præsertim, cùm perinde sit, an de re, quam posteà definivit Ecclesia, dubitârit, an verò secus senserit? *Deindè*, nihil facit validitatem Baptismi, sive in Ecclesia, sive extra Ecclesiam conferatur, in quo tamen Augustinus agnoscit discrimen. *Denique*, vellem, ut mihi indicaretur, quænam essent illa Majorum statuta quorum meminit Augustinus hoc loco? *Tandem post plura*, quod Augustinus Baptismum, ubicunque & à quibuscunque Verbis evangelicis consecratum, id est, cum debitâ formâ, sine simulatione, & cum Fide, sed charitate minimè formatâ susceptum, validum esse quidem, sed ad salutem spiritualem, id est, ad justificationem non prodesse ibidem adserit, veritati consentaneum non est; nec enim actus charitatis ad

Prodr. Vedit. pag. 3. c. 10. §. 7. pag. 214. & seq.

effectum Baptismi percipiendum in adultis est necessarius. Si contra Vindicem Augustinianum *Neuserus*. In utriusque Discursu essent, de quibus Lector moneri posset, & fortè deberet, nisi ex ante dictis cum judicio discernendum videretur non adeò difficile, quidquid ad Veritatis Evangelicæ testimonium exindè referendum est. Paucis & vel tribus, ut ajunt, verbis, etsi omnes ferè hanc Augustini sententiam explicare conati, utplurimùm contra sancti Doctoris accuratè distinguentis mentē, confundunt intentionem conferentis Baptismum cum intentione eundem susci pientis, quod fieri non debebat, cùm de utrâque non indifferenter sit judicandum; neq; tamen *Vasquezii* explicatio à *Neusero* ad defendendum readsumta, neque etiam nova *Norissii* inventio de exclusione Fidei seu credulitatis vel existimationis da re & effectu Sacramenti, evangelicorum sententiæ quidquam præjudicii creat aut periculi infert, sed utraque potius non parùm confirmat. De *Vasquezianâ* per se patet ad oculùm, ac suprà jam id indicatum fuit. Sed & *Norisiana* eorsum concurrit; qui quamvis valdè diversa patet, intentionem faciendi, quod facit Ecclesia, & existimationem de fructu Sacramenti, si tamen rem accuratius ponderâsset, prout fas erat atque justum, facilè potuisset observare, ubi hæc posterior deest, de priori non magnam adeò spem esse faciendam, quod quivis aliquali præditus ingenio videt. Grati de cætero acceptant Evangelici ingenuam *Neuseri* confessionem, Augustini tanquam Testis Evangelici in hoc etiam puncto, uti in pluribus aliis, consensum ultrò largientis. Desinant igitur nobis posthàc Romanenses objicere authoritatem Augustini, utpote à Patribus Tridentinis rejectam.

LIBRI SECVNDI,

De

SACRAMENTIS IN GENERE,

CAPUT PRIMUM, SEPTIMUM, & DECIMUM,

De

Efficiâ Sacramentorum ex opere operato.

vid D. Hutteri Locor. Theol. p. 615.

OMnem ferè statûs & cultûs Papistici rationem in hâc doctrinâ de opere, quod barbarè & nove contra stylum orthodoxæ Antiquitatis vocant, *operato*, à Scholasticis Doctoribus tanto hactenus opere commendata, quamvis non uno eodemque modo explicata, & nihilo tamen minus per Synodi Tridentinæ decretum stabilita sitam esse, facilè agnoscet & fatebitur, cui datum est atque concessum, arcana ejus singulari studio penetrare. Remoto certe hoc opere *operato*, etiam ad eorum sensum intellecto, qui Scholasticorum non adeò subtiles, sed nimis crassos de eo conceptus aliqua ratione student emollire & pro viribus mitigare, maximam, si non omnem plane cultûs publici molem cadere est necessum, quo è contrario aliquatenus adhuc stante stat res Ecclesiæ publica Romanorum. Mirum hinc non immeritò videtur, esse & vivere inter Evangelicos, quibus præ nimio Pacis & interpartes vix unquam componendos præposteræ reconciliationis studio, hic loquendi modus in libro *Augustanæ Confessionis* Symbolico expresè rejectus placet, & cujus usum non planè nullum in re Sacramentaria ad sensum & mentem Analogiæ Fidei ac orthodoxæ Veritatis esse, sibimet ipsis & simul aliis, utut frustrà persuadere conantur. Nos jam missis eorum syncreticis incrustationibus, rectà ex instituto ad Bellarminum, & eo duce ad Augustinum convertimur, visuri, quæ ejus de opere hoc operato fuerit sententia, & num hæc doctrina (phrasin namque eum ignorasse, ejus defensores ultrò agnoscunt & fatentur) ipsi fuerit cognita aque eo defensa, Bellarminus certe, ut hoc obtineat, tribus rem modis adgreditur, triplici demonstrationis genere usus; quo iterùm successu, examen docebit. *Primum* sequentibus etsi prolixioribus exhibet verbis, quæ ad ejus de hac phrasi mentem penitius intelligendam omninò adscribi debent. *Vt intelligamus, quid sit opus operatum, notandum est, in justificatione, quam recipit aliquis, dum percipit Sacramenta, multa concurrere, nempe mirùm, ex parte DEI, voluntatem utendi illâ re sensibili; ex parte Christi, passionem ejus; ex parte Ministri, potestatem, voluntatem, probitatem; ex parte suscipientis, voluntatem, Fidem & pœnitentiam; denique ex parte Sacramenti, ipsam actionem externam, quæ consurgit ex adplicatione debitâ formæ & materiæ. Cæterùm ex his omnibus id, quod activè & proximè atque instrumentaliter efficit gratiam*

vid. D. Krom. in in Locis Anti Sync. p. 222.

gratiam justificantem est solailla actio externa, quæ Sacramentum dicitur, & hæc vocatur opus operatum, accipiendo passivè, ita ut idem sit, Sacramentum conferre gratiam ex opere operato, quod, conferre gratiam ex vi ipsius actionis Sacramentalis à DEO ad hoc institutæ, non ex merito agentis vel suscipientis, quod Augustinus illis expressit verbis: Ipsum per seipsum Sacramentum multùm valet. *Nam voluntas DEI, quæ Sacramento utitur, concurrit quidem activè, sed est causa principalis. Passio Christi concurrit, sed est causa meritoria, non autem effectiva, cùm non sit actu, sed præterierit, licet in mente DEI maneat objectivè. Potestas & voluntas Ministri concurrunt necessariò, sed sunt causæ remotæ, requiruntur enim ad efficiendam actionem ipsam Sacramentalem, quæ posteà operatur immediatè. Probitas ministri requiritur, ut ipse Minister non peccet Sacramenta non tamen ipsa est causa gratiæ in suscipiente, nec juvat suscipientem per modum Sacramenti, sed solùm per modum impetrationis & exempli. Voluntas, Fides & pœnitentia in suscipiente adulto requiruntur necessariò, ut dispositiones ex parte subjecti, non ut causæ activæ; non enim Fides & pœnitentia efficiunt gratiam Sacramentalem, neque dant efficaciam Sacramenti, sed solum tollunt obstacula, quæ impedirent, ne Sacramenta suam exercere possent efficaciam, unde in pueris, ubi non requiritur dispositio, fit sine his rebus justificatio.* Lib. 4. de Bapt. cap. 24. Multùm sine dubio sudavit Bellarminus & alsit, usque dum rem hanc à Scholasticis anterioribus quam-maximè intricatam ad suam mentem & sententiam extricavit, adque liquidum reduxit, si modò id præstitit, quod ante & post omnes alios præstitisse voluit videri. Sunt autem, quod omninò notandum in his Bellarmini vobis bona malis mixta, & versâ vice bonis mala. Rectè dixit & scripsit Bellarminus, *Sacramenta gratiam conferre non ex merito agentis vel suscipientis*, id quod Augustinum verbis à se laudatis testatum esse voluit, de quibus post. Neque id Evangelicis potuit aut debuit opponi, qui Sacramentorum virtutem & efficaciam, non ex Ministri operantis, aut hominis illud suscipientis, dignitate ac merito, attentione & devoto erga illud adfectu æstimari, sed ex Authoris DEI institutione, potentiâ & gratiosâ operatione in solidum dependere statuunt. Minus autem rectè & orthodoxè voluntatem, fidem & pœnitentiam quasi dispositiones ad gratiam Justificationis in Sacramentorum usæ accipiendam prævias requisivit, neque id ullibi docuit Augustinus, ut suo tempore & loco uberius demonstrabitur; Evangelicis fidem in specie quidem ad Sacramenti usam requirentibus, sed non quasi virtus & efficacia Sacramenti in se pendeat ex Fide nostrâ, sed quia Fides ex instituto DEI organon est & instrumentum salutare, per quod Beneficiorum, quæ in Sacramentis liberali & benignâ DEI manu obferuntur, participes reddimur, Fide tanquam manu opis divinæ indigâ & verè mendicâ amplectimur, ac per eam ipsa suam in nobis efficaciam operantur Sacramenta. Quæ de pueris & infantibus, quod sine fide per Sacramenta justificentur, Bellarminus subjungit, quia suum infrâ locum illa habebit quæstio, eorsum quoque reservantur. Nunc id insuper adhuc notandum venit, quod, etsi Bellarminus contra veteres Scholasticos videatur in defendendâ Sacramentorum efficaciâ *ex opere operato* non excludere Fidem, sed includere, pro calumniâ habens & mendacio, si aliter de sententiâ Papistarum judicetur; aliâ tamen id ratione fiat, quam ut Evangelicos ad consensum pertrahere possit. Ut enim non repetam, quod modò animadversum, Fidem ab eo non considerari ut organon, beneficia Sacramentalia adprehendens, sed inter dispositiones prævias tantùm numerari, obstacula efficaciam Sacramentorum impedientia removentes; illud præsertim venit observandum, quod infrà itidem in sede propriâ uberius monebitur, Bellarminum & Papæos in communi scriptores Fidem per notitiam modò & qualemcunque adsensum describentes huic rei satis omninò non facere, ubi ipsa salutaris fiducia & fiducialis beneficiorum in Sacramentis à DEO gratiosè oblatorum adprehensio requiritur, ut Sacramenta in se efficacia utentibus etiam sint salutaria. Dictum Augustini à Bellarmino in descriptione *operis operati* laudatum penitus & accuratè conspectum ostendit, Bellarminum, nescio, an singulari studio, an laudatâ minus inobservatione, iterum in foro contradictionis versari. Dum enim pro efficaciâ Sacramentorum in genere *ex opere operato* pugnat, hâc inprimis Augustini authoritate munitus, quæ, ut integer contextus statim plenè adscribendus habet, de Sacramento Circumcisionis in Veteri Testamento agit; & Bellarminus in sequenti Controversiâ de *Differentiâ Sacramentorum Veteris & Novæ Legis* expressè scripsit, *omnes Catholicos convenire, Sacramenta Veteris Testamenti & Legis, quæ Mosaica propriè dicuntur, quibus circumcisio adnumeratur, non contulisse gratiam ex opere operato*, hanc sententiam

tiam ex Divinis literis, Patrum scriptis, rationibus etiam in scriptura fundatis, quia & solutione objectionum in contrarium adduci solitorum prolixissimè conatus demonstrare, eometipso manifestam incurrit contradictionem, nullo plane modo conciliabilem vel conciliandam. Quamvis nec Circumcisionis Sacramento in se spectato Augustinus efficaciam ex solo *opere operato*, excluſa Fide, non historica, sed salvifica & fiduciali bonorum in hoc Sacramento oblatorum adprehensione, his adscripserit verbis, quæ cum antecedentibus & ad capiendum augusti Patris sensum quam-maximè pertinentibus loco per Bellarminum citato ita leguntur: *Veraciter conjicere possumus, quid valeat in parvulis Sacramentum Baptismi, ex circumcisione Carnis, quam prior accepit populus, quam prius, quam acciperet, justificatus est Abraham, sicut Cornelius etiam dono Spiritus Sancti prius-quam baptizaretur, ditatus* (aliàs, donatus) *est. Dicit tamen Apostolus de ipso Abraham, signum accepit Circumcisionis, signaculum Fidei Justitiæ, quia jam corde crediderat, & deputatum illi erat ad justitiam. Cur ergò ei præceptum est, ut omnem deinceps masculum octavo die circumcideret, qui corde nondum poterat credere, ut ei deputaretur ad Justitiam, nisi quia* & ipsum perseipsum Sacramentum multùm valebat, *quod in Filio Mosis per Angelum est manifestatum, qui cùm adhuc incircumcisus à Matre ferretur, præsenti & evidenti periculo, ut circumcideretur, exactum est, & cum factum esset, depulsa est pernicies. Sicut ergò in Abraham præcessit Fidei Justitia, & accessit Circumcisio, signaculum Fidei Justitiæ; ita in Cornelio præcessit sanctificatio spiritualis in dono Spiritus Sancti, & accessit Sacramentum regenerationis in lavacro Baptismi. Et sicut in Isaac, qui octavo suæ Nativitatis die est circumcisus, præcessit signaculum Justitiæ fidei, & quoniam Patris fidem est imitatus, secuta est ipsa in crescente Justitia cujus signaculum in Infante præcesserat; ita & in baptizatis infantibus præcedit regenerationis Sacramentum, & si Christianam tenuerint pietatem, sequitur etiam in corde conversio, cujus mysterium præcessit in corpore.* Videtur quidem infantibus hic denegare fidem Augustinus, sicut in aliis pluribus locis; & hinc statuere, Baptismum iis collatum habere efficaciam ex *opere operato*, eum videlicet in modum, qui in Veteri Testamento Sacramentum Circumcisionis in octiduanis infantibus fuit *Signaculum Justitiæ Fidei*; dum è contrario in Abrahamo præcessit Justitia Fidei, sicut in Cornelio sanctificatio spiritualis per oblatum Spiritus Sancti donum, antequàm & ille jussu DEI circumcideretur, & hic baptizaretur. Atqui hæc adultorum & infantum sive circumcisorum, sive baptizatorum differentia, quam & Evangelici suo quodam modo cum Augustino attendunt, non cogit, ut vel Baptismum vel Sacramentum Circumcisionis suam habere & habuisse efficaciam in Infantibus ex solo *opere operato*, ac Infantes baptizatos & ex DEI mandato circumcisos in illo statu gratiæ, quam per usum Sacramenti acceperunt, Fidem non habuisse ex Augustini sententiâ statuendum sit; cùm si mentem ejus ritè attendamus, id quod debito infrà loco amplius è collatione plurium testimoniorum demonstrabitur, sanctus Pater non tàm baptizatis, vel circumcisis, quàm baptizandis adhuc vel circumcidendis Fidem denegarit, eam ante Circumcisionem & Baptismum Abrahamo & Cornelio adscribens, id quod inde præprimis constat, dum Sacramentum Circumcisionis, absque respectu & non attentâ inter adultos & infantes differentiâ, Apostolo præeunte dixit *Signaculum Fidei Justitiæ*, ad quem modum alibi Baptismum esse dixit *Sacramentum Fidei*, sive adultis, sive instantibus conferatur, in illis Fidem ex auditu Verbi accensam obsignans & confirmans, his autem conferens primùm & in corde accendens, modo nobis hominibus imperscrutabili. Et hoc sufficere potest ad primum genus demonstrationis ex Augustino, quo Bellarminus pro efficacia Sacramentorum ex opere operato militavit.

Secundum nunc sequitur, in quo etsi pleraque contra Calvinianos, virtutem Sacramentis tantum adscribentes signativam & significativam, producta videantur argumenta, Evangelicorum sententiam non oppugnantia; quia tamen expresse Lemma præscripsit Bellarminus, *quod Sacramenta ex opere operato conferant gratiam*, ea examinari opus est loca, quibus ex Augustino ad illud demonstrandum usus est, ut lectori porrò constet, an operis operati figmentum, si non in verbis, in sensu tamen venerit ei unquam in mentem. Tria autem sunt loca, quibus id evincere se posse existimat Bellarminus. Primus hic est: *Invenio, non tantum passionem pro nomine Christi, id, quod ex Baptismo deerat, posse supplere, sed Fidem etiam cordisque conversionem, si fortè ad celebrandum Baptismi mysterium in augustiis temporum succurrinon potest.* Addit de suo Bellarminus, *Si ergò Martyrium aliquando, aliquando*

Lib. 4. de Bapt. cap. 22.

Fides

Fides cum cordis conversione supplet Baptismi vicem, manifestè sequitur, non justificare Fidem excitando, sed immediatè Christi merita adplicando ac immediatè justificando. Et post repetitionem illius testimonii, quod demonstrationis primum genus proximè exhibuit, quo Augustinum probasse scribit, *Sacramentum Baptismi multum parvulis prodesse etiamsi Fide careant, ex Circumcisione, quæ octavo dabatur die*; & docuisse, *Sacramentum non operari excitando Fidem, sed vi suâ efficiendo*, Secundum producit locum hoc verborum tenore: *Sacramentorum vis inenarrabiliter valet plurimùm, & ideò contemta sacrilegos facit; impiè quippe contemnitur, sine quâ non potest perfici Pietas.* Bellarminus hæc subjungit: *Si tantum excitarent Fidem objectivè, non modò non inenarrabiliter valerent plurimùm, sed vix aliquid valerent. Nam de Concione nemo diceret, eam inenarrabiliter plurimùm valere, cùm multis sæpissimè Concionibus vix aliqui moveantur; & tamen fatetur Lutherus in libro contra Iohannem Cochlæum, multò efficaciorem esse Concionem Baptismo, quod verissimum est, si agatur de efficacitate Fidem provocandi.* Tertius super adhuc & locus: *Vndè tanta virtus Aquæ, ut corpus tangat, & cor abluat?* Et infra: *Mundatio nequaquam fluxo & labili tribueretur elemento, nisi adderetur in Verbo.* Sed nullus ex his Augustini locis quidquam ad efficaciam Sacramentorum ex solo *opere operato* demonstrandam confert. *Non primus*, utpotè de statu & casu necessitatis agens, in quo Fidem solam, sed veram & vivam, ipsam videlicet Fiduciam, & fiducialem gratiæ DEI ex Verbo promissionis & simul etiam benevolæ beneficiorum oblationis adprehensionem sufficere absque Sacramento docet, latronis in cruce conversi exemplo verum id esse testatus. Dum verò Bellarminus sequi inde putat, *non justificare Sacramenta Fidem excitando, sed immediatè Christi Merita adplicando, ac immediatè justificando*; præter & contra Augustini mentem opponit non opponenda, idque in actu Baptismi excludit, quoad vi propriæ hypotheseos quam-maximè includi debet. Si enim Baptismus hominem justificat, & Apostolus hominem per Fidem justificari docet, id quod infra ex Augustino demonstrabitur, qua, quæso, ratione Fides, medium videlicet & instrumentum, per quod homo gratiam Justificationis, quasi manu extensa à benigna DEI justificantis manu accipit, abesse posset? Et si ex sententiâ Bellarmini Sacramentum Baptismi hominem justificat, *Christi merita adplicando*, & immediate quidem, seclusis nimirùm operibus, neque attentis dispositionibus præviis, quas Papæi Doctores in antecessum ab homine justificando prærequirunt, ut de aliis hic intercurrentibus jam non dicam; necessum omninò est adesse Fidem, per quam ex Instituto DEI merita Christi adplicantur, & sine quâ Fide Christi merita, utut in se pretii & valoris infiniti, nemini etiam baptizato prosunt vel adplicantur. Quam illi testimonio, quod in primo demonstrationis genere etiam occurrit, Bellarminus adfricavit glossam, jam est ostensum, provenire eam ex non intellectâ Augustini mente, non baptizatis jam, sed adhuc baptizandis infantibus Fidem salvificam denegantis, interque statum adultorum & infantum accuratissimè distinguentis, quod ab eo itidem in descriptione Sacramenti Circumcisionis tempore Veteris Testamenti est observatum. Estque è diametro Doctrinæ Augustini contrarium, quod Bellarminus ex laudato Augustini testimonio perperam, ut dixi, intellecto sequi putat, docuisse eum, *Sacramenta non operari Fidem excitando, sed vi suâ efficiendo*, gratiam videlicet Justificationis; cùm tamen, ut itidem suprà monui, Sacramentum Circumcisionis non semel dixerit *Signaculum Iustitiæ Fidei*, quo autem modo illud, nisi Fidem simul conferat, per quam Justitia impetratur, & per ipsum Sacramenti usum & actum obsignatur, accessuris proximè aliis ex eodem testimoniis, quibus etiam Baptismus expressè *Sacramentum Fidei* dicitur, quod elogium Baptismi Sacramento non competeret, si Fidem in Infantibus non accenderet, in adultis verò augmenta non conferret & obsignaret.

Lib. 19. contra Faustum cap. 2.

Tract. 80. in Joh.

Neque *secundus* ex Augustino locus à Bellarmino laudatus quidquam prodest, ut efficacia Sacramentorum ex solo opere operato, excluſa Fide beneficia adprehendente, demonstretur; fallaciterque & pro more satis perversè egit, inque ipsam simul Fidei analogiam impegit, hanc ex eo & non sufficienter expressâ Evangelicorum circa Sacramentorum efficaciam mente nectens consequentiam, omninò inconsequentem: *Si tantùm excitarent Sacramenta Fidem objectivè, non modò non inenarrabiliter valerent plurimùm, sed vix aliquid valerent.* Ubi enim Bellarminus legit hanc Evangelicorum, (contra quos hic eum agere patet inde, quia Fidem à Sacramentis quoad eorum efficaciam & usum salutarem excludit, quam illi quam-maximè includunt, & per Sacramenta conferri & obsignari doceat) sententiam, Sacramenta *tantum* excitare

Fidem objectivè, quam tamen non aliter, nec alium in finem ea conferre statuunt, nisi quatenus ex instituto Dei medium & Fides, per quam homo salutariter utens Sacramentis ea accipit & sibi adplicat beneficia, quæ Deus per Sacramenta confert & obsignat. Et pro non planè nullo contemtu ac vili nimis æstimio Fidei habendum est, quod, posito, si Sacramenta *tantum* excitarent Fidem objectivè, non modò non inenarrabiliter plurimum, *sed vix aliquid valerent*, judicio Bellarmini, hominis Fide vetâ & salvificâ indignissimi. Quid enim? An vix aliquid valere Fides objectivè considerata à Theologo dici debet, cui in sacris utriusque Testamenti literis tanta adscribuntur prædicata, & inter omnia illud quam-maximè dignum notatu, quod fides, objectiva nimirum, *imputetur ad justitiam*, ea videlicet Fides, quæ gratiam Dei Patris, ex omni respectu non nisi merè gratuitam, Meritum Christi omni ex parte sufficientissimum & valore infinitum, indeque provenientia & largiter profluentia Spiritus Sancti dona & bona amplectitur? Tale quid Bellarminum de fide ausum scribere, non immeritò mirantur, quicunque Fidei ex instituto Dei magnitudinem & pretium æstimare sacrâ duce scripturâ didicerunt. Æque leviter & inconsideratè scriptum est, quod in comparatione verbi visibilis & audibilis, verbi nimirum Sacramentalis & Concionalis vel prædicatorii, de hoc effutiit, illud non inenarrabiliter plurimùm valere, *quia multis sæpè Concionibus vix aliqui moveantur*; utut statim sibimet in hoc ipso contradicens & scribens, dum verè Lutherum scripsisse debuit agnoscere, *multò efficaciorem esse*, non absolutè, sed certo quodam respectu, *Concionem Baptismi, si nimirum agatur de efficacitate Fidem promovendi*, quo dum ea, quæ imprudenter in anterioribus scripsit, aliquatenus corrigere videtur voluisse, labore ulterioris Censuræ me sublevavit. Sed & *tertius* Augustini locus à Bellarmino pro Sacramentorum efficaciâ ex *opere operato* frustra producitur, ut supra jam in prolixo ejus examine fuit ostensum, & proximè, ubi solutiones objectionum ex pluribus Augustini testimoniis ponderabuntur, iteratò demonstrabitur. Ut enim Bellarminus suo satis videatur facere officio, sex diversa ex Augustino testimonia examinat, quæ contra efficaciam Sacramentorum ex *opere operato* solent commendari.

Primum est, quo Augustinum docuisse, *non Sacramentum, sed Fidem Sacramenti justificare*, Lutherum & Melanthonem scribere, sine tamen loci mentione, monet Bellarminus, de suo addens, *nihil ejusmodi Augustinum verbis dicere expressis, sed potius contra-*

Epist. 23. ad Bonifac. *rium*, videlicet, *parvulos esse fideles & salvari, si moriantur post Baptismum, quia, etiamsi non habeant Fidem, habeant tamen Fidei Sacramentum*, quod idem sit, ac si diceret, *parvulos non salvare Fidem, sed Fidei Sacramentum.* Subjungit, *Fortasse Lutherus* (& Melanthon) *hanc Augustini sententiam collegit ex iis verbis*, quibus alibi docuit, *Aquâ Baptismi*

Tract 80. in Joh. *cor mundari, id faciente verbo, non quia dicitur, sed quia creditur.* Sed, respondet Bellarminus, *suprà jam ostendimus, nimirum in quæstione de formâ Sacramenti, illud*, quia creditur, *non significare actum fidei, sed objectum.* Monet autem porrò, *quod si inveniretur alicubi disertis hæc sententia verbis, sine dubio exponenda esset pro eo tempore solo, quo quis non potest habere Sacramentum; in ejusmodi enim necessitate sufficit fides Sacramenti cum voto*

Lib. IV. de Bapt. c. 22. *ejusdem*, ut alibi dicit Augustinus, *sicut etiam è contrario in parvulis, qui non possunt actualem habere fidem, sufficit Fidei Sacramentum.* Ad hoc triplex responsum Bellarmini tria veniunt observanda, iisque in genere præmittendum, dum Lutherus & Melanthon Augustino hanc adscripserunt sententiam, *non Sacramentum, sed fidem Sacramenti justificare*, eam efficaciæ Sacramentorum ex opere operato juxta Papisticam explicationem opponentes, nihil aliud eos extra omne dubium respexisse, quàm sæpius occurrentem in scriptis Augustini formulam loquendi, quâ Baptismum in specie non semel dixit *Fi-*

Conf. D. Carpzov. Isag. in libr. Symb. pag. 415. *dei Sacramentum*, ea de causa hoc elogio ornatum, quia non tam ipse actus Sacramentalis externus, quàm ipsa Fides Sacramenti, per Sacramenti collationem in corde baptizati accensa, & qua Dei dona & bona acceptantur, in salutari usu Sacramenti respicitur & requiritur. Et hinc contra Bellarminum *primò* notari debet, fallere eum & falliquamplurimùm, Augustino contrariam huic adscribendo sententiam, imò mentem ejus non parùm invertendo. Dum enim sanctus Pater de infantibus baptizatis & post Baptismum morientibus scribit, *eos, etiamsi non habeant fidem, habere tamen fidei Sacramentum* non idem est, quod Bellarminus vult, ac si diceret, *Parvulos non salvare fidem, sed fidei Sacramentum.* Id ut ostendam, non ipsam nunc tractabo de fide infantum baptizatorum ex Augustini sententiâ quæstionem, suo infrà loco exhibendam; sed ex eatantum Augustini Epistolâ, unde Bellarminus contra Lutherum & Melanthonem arma mutuò sumsit quædam lectori exhibebo, ut videat, Bellarminum Augustini mentem & sententiam omninò pervertisse. Ita autem ibi Doctor augustissimus: *Sicut secundum quendam*

dam modum Sacramentum corporis Christi est corpus Christi, Sacramentum sanguinis Christi est sanguis Christi, ita & Sacramentum fidei est fides. Nihil est autem aliud credere, quàm habere fidem; ac per hoc, cùm respondetur parvulus credere, qui fidei nondum habet adfectum (in vindiciis Evangelico-Thomisticis conjecturam his adposui verbis, suspicatus, fortè legendum esse, effectum, neque adhuc muto sententiam) *respondetur, fidem habere propter fidei Sacramentum, & convertere se ad Deum propter conversionis Sacramentum, quia & ipsa responsio pertinet ad celebrationem Baptismi.* NB. Et post aliqua: *Itaque parvulum, etsi nondùm fides illa, quæ in credentiũ voluntate consistit, jam tamen ipsius fidei Sacramentũ facit fidelem. Nam sicut credere, respondetur, ita etiam fidelis vocatur, non rem ipsa mente annuendo, sed ipsius rei Sacramentum percipiendo.* Potuissetne sanctus Pater suam mentem clarius exponere, falsamq; Bellarmini glossam manifestius evertere, quàm dum ipsum Fidei Sacramentum esse scripsit Fidem, dum credere dixit nihil aliud esse, quàm habere Fidem, dum infantem baptizatum habere Fidem, adeoque & credere docuit propter ipsum Fidei Sacramentum, eumque se ad Deum convertere propter ipsum Conversionis Sacramentũ, quod Conversionis opus Fide & credendi acta privare, est solem è mundo tollere, perpetuasque orbi universo inferre tenebras? *Secundò* accedit notatu dignũ, quod si Lutherus & Melanthon in ejus dicti commendatione, quod Augustinum, *non Sacramentum, sed fidem Sacramenti justificare* scripserunt docuisse, ad ea respexerunt augusti Doctoris verba, quibus aquâ Baptismi cor hominis mundari statuit, *id faciente verbo, non quia dicitur, sed quia creditur*, non sine causa & ratione certâ id factum esse. Quod verò hic etiam Bellarminus, sicut suprà, *non fidei actum, sed objectum* intellexisse sanctum Patrem putat, in eo iterùm mali interpretis officio est functus. Anne enim putandum est, eum in Baptismi susceptione ipsum fidei actum, id est, beneficiorum in baptismo collatorum susceptionem & adplicationem exclusisse, qui baptismum tam apertè totiesque vicibus iteratis *Fidei Sacramentum* dixit, non aliam ob causam, ut sæpè hactenus dictum, quàm quia per id Fides infanti confertur, quasi medium & organon, quo gratiam fœderis Divini cum omnibus ad eam pertinentibus, sicut mendicus extensa manu Eleemosynam, adprehendit? Sit ita, agnoverit Augustinus aliquam in modo & gradibus Fidei inter adultos & infantes differentiam, quam nec Evangelici omninò diffitentur; ipsum tamen actum Fidei, vi propriarum hypotheseων, infantibus in baptismi susceptione denegare non potuit, Fidem tantùm objectivam, sive solùm Fidei objectum respiciens, in quod nisi ipsa Fides actu feratur, Fides erit nulla, ipsum quoque objectum, etsi valoris maximi nullius erit usus, sicut pretiosissimus etiam cibus famelico nihil proderit ante oculos expositus, nisi usu ejus famem sedare, inque succum possit convertere & sanguinem. Et mirum omninò videri debet, quod, cùm paulo ante Bellarminus ex Evangelicorum sententiâ, quamvis non ritè perceptâ & expressâ, *Sacramenta tantùm objectivè fidem excitare*, hanc nexuerit consequentiam, *Sacramenta vix aliquid valere*, quæ tamen inenarrabiliter plurimùm valere scripsit Augustinus; nunc Bellarminus tam citò sui, & eorum, quæ in eodem argumento non diu ante scripserat, oblitus & immemor, Augustino ausus fuerit imponere, quod in Sacramento Baptismi, quod toties *Sacramentum fidei*, imò ipsam dixit Fidem, videlicet, ob gratiosam Fidei in Baptismo collationem, non actum Fidei, id est, beneficiorum in hoc Sacramento collatorum adplicationem, sed objectum modò, absconditum quasi thesaurum, attendi debere statuerit, quod à mente sancti Patris est quàm alienissimum, & simul quoque absurdissimum, qui, utut in laudatâ ad *Bonifacium* Epistolâ, productisque ex eâ verbis agnovit & fassus est, *parvulum non eâ fide, quæ in credentium* (adultorum) *voluntate consistit, fidelem esse*, notanter tamen addidit, *ipsius fidei Sacramentum facere eum fidelem*, quod hactenus esse potest satis, donec uberius hoc argumentum in sequentibus proximè tractetur. Nunc *tertio* illud in Bellarmini ad primum Augustini testimonium responso insuper noto, quod sancti Doctoris verba, *non Sacramentum, sed fidem Sacramenti justificare*, si alicubi, prout jacent, in ejus scriptis invenirentur, sine dubio exponenda esse putat *pro eo tempore solo, quo quis non possit habere Sacramentum, utpotè in quâ necessitate sufficiat fides Sacramenti cum Voto.* Atqui si structura Verborum, quæ cum aliis Augustini in hoc argumento scriptis conveniunt, attendatur, non ipsius Sacramenti usus defectui ejusdem in casu necessitatis opponitur, sed ostenditur potius, quid in ipso Sacramento usu ex parte hominis illud susципientis ante omnia sit respiciendum, videlicet, non ritus exterior, paucis quibusdam circumstantiis munitus, sed ipsa Sacramenti Fides, quâ beneficia per Sacramentum collata susципiuntur, quo respectu Baptismum

simum inprimis *Fidei Sacramentum* rectè dici, ex Augustino hactenus orthodoxè didicimus.

Succedat jam *secundum* ex eo contra efficaciam Sacramentorum ex *opere operato* testimonium, ad quod Bellarminus respondere studet, Sequentia id exhibet verba: *Qui Baptismum putat ratione carnali consistere, hic non est spiritualis; nec donum cœleste poterit consequi, qui se per Aquam, non per Fidem commutari credit.* Duo ad hæc reponit Bellarminus. Dicit *primò*, librum hunc non esse Augustini, sed alicujus hæretici, qui multa doceat & contra Fidem & contra Augustinum. *Deindè*, Testimonium hoc non esse contra opus operatum, sed pro opere operato. Nam Authorem ejus non loqui de causa formali, nec de efficiente Justificationis; ac dicere, hominem immutari & renovari non per externam lotionem, quasi Baptismus noster nihil sit, nisi carnis mundatio, ut olim baptismata Judæorum; sed per Fidem, quæ cùm est perfecta & viva, formaliter mundat & justificat. Et hanc Fidem, id est, formalem Justificationem dari in Baptismo, Authorem hunc dicere his verbis: *Aqua cernitur, sed, qui non videtur, spiritus operatur, ut Fides in ipso sit.* Ubi non potest loqui, inquit Bellarminus, de Fide imperfectâ & inchoatâ, quæ secundum nos disponit ad Justificationem, & quæ secundum Lutheranos adprehendit Justificationem; ita enim præcedere debet Baptismum. *Igitur de fide perfectâ loquitur, quæ infunditur in Baptismo, & quæ justificat formaliter.* In genere iterum hic observo, non laudare Bellarminum nominetenus scriptorem Evangelicum, qui hoc Augustini testimonio in præsenti materiâ usus sit. In specie, exceptionem Bellarmini contra valorem & authoritatem ejus, quasi Augustinum Patrem non agnoscentis, fortè aliquem habere locum posse, nisi, quod & suprà ex occasione notatum, præter alios scriptores Papæos, ipse etiam Bellarminus hoc Authore sub Augustini nomine fuisset usus, & quidem in argumento satis gravi, nimirùm de Petri primatu agens, ubi hunc quoque Authorem inter eos viginti & quatuor Patres recensuit, quos totidem Seinoribus Apocalypticis comparavit, *Escobario* in libro Theologiæ Moralis referato, horum loco totidem scriptores suæ Societatis, id est, Ignatianæ, non sine orbis verè Catholici scandalo impudenter succenturiante. Quia autem nihilo-minus & hoc non obstante, ob causæ, scilicet! bonitatem, Bellarminus ad hoc testimonium respondere conatus est, videamus, quid bonarum vel malarum attulerit mercium. Dicit, *non destruere illud efficaciam Sacramentorum ex opere operato, sed potius adstruere. Quomodo? Quia Author hic inquit, non de causa Justificationis efficiente vel formali, neq; etiam de externâ lotione agit, sed de fide perfectâ & vivâ, quæ formaliter mundat & justificat.* At qui, iterùm ad hominem disputo, si in hoc Augustini, vel quicunq; sub Augustini nomine latet Author, testimonio non agitur de causa Justificationis formali, quo, Bellarmine, modo in proximè sequentibus intelligi debet, dum apertè scribis, Fidem, quam cum distinctione singulari dicis perfectam & vivam, ex ejusdem Authoris mente, formaliter in Sacramento Baptismi, de hoc enim agitur, hominem mundare & justificare? Si præterea id quod itidē ex hypothesi Bellarminianâ fluit, Fides perfecta & viva in Baptismo mundat & justificat, efficacia Sacramenti non potest operi operato adscribi, quam excludere Fidem, suprà ex descriptione operis operati Bellarminianâ, quæ solam actionem externam commendat, vidimus. Sed hæc & talia, ut contraria & sibi invicem opposita, fortè Bellarmino tanti non visa fuerunt, quæ vim responsi possent eludere. Adque hæc pertinet etiam, quod cùm alia insuper ejusdem Authoris nomen Augustini præ se ferentis verba proximè sequentia, Evangelicorum sententiam contra opus operatum confirmantia adduxit Bellarminus, ea, vi etiam adhibitâ, contra mentem scriptoris ad suas aptare hypotheses studuerit, postulata nondum probata, nec unquam probanda ingeminans, simul quoq; Evangelicorum sententiam, more solito, sed minus laudato, turpiter pervertere conatus. Ibi, dum fidem imperfectam & inchoatam disponere dicit ad Justificationem, fidemq; perfectā & formaliter justificantem infundi docet in Baptismo, ex quibus neutrum Augustino, vel huic scriptori non pauca ex Augustino mutuanti, hic quidem loci venit in mentem; hic autem, dum Evangelicos statuere scribit, quod fides inchoata & imperfecta, quam fidei perfectæ & vivæ in antecedentibus contradistinxit, adprehendat Justificationem, quod falsò iis imputari, suo infra loco demonstrabitur.

Quæst. V. & N. T. qu. 59.

Vid. R. Coci Cēſ. pag. 347.

Tertium nunc sequitur ex Augustino testimonium, quo sanctum Doctorem duo dicere & docere monet Bellarminus. *Primò*, Ministrum hominem solum præbere Sacramentum visibile, DEUM verò præbere invisibilem gratiam. *Secundò*, ita separari hæc duo, ut in quibusdam si Sacramento sensibile sine gratia invisibili, ut in Simone Mago per Philippum baptizato, in quibusdam sine Sacramento visibili gratiam invisibilem, ut in latrone converso. *Bellarminus*

In Levit. Quæst. 84.

Respon-

respondet, duobus modis hominem ministrare Sacramenta, uno modo, faciendo, quod potest ex naturali sua virtute; alio autem modo, adplicando Sacramenta ut Instrumenta à DEO mota & elevata ad actionem faciendam supernaturalem. Primò, inquit, modo verè dicimus, hominem non justificare, sed solùm corpus lavare, aut aliquid hujusmodi, & sic loquitur Augustinus. Alio autem modo itidem verè dicimus, hominē justificare, sed non actione aliâ, quàm illa, quâ DEUS ipse utitur ad justificandum. *Ad secundum dico*, inquit porrò Bellauminus, illa posse separari, non quod Sacramentum sensibile non sit causa invisibilis gratiæ, sed quod impediri possit effectus per obicem vel indispositionem subjecti, *& quod possit DEVS etiam sine Sacramento suam dare gratiam.* Ut nullitas, ne dicam, nugacitas hujus responsi duplicis eò manifetior adpareat, opus est omninò, ut ipse Textus Augustini, quamvis aliquantò prolixior à Bellarmino obidipsum omissus, ut eò facilius in turbido piscari possit, huc adscribatur, qui loco per eum citato ita habet: *Advertendum est*, quoties dicit, ego " Dominus, qui sanctifico eum, loqui de sacerdote, cùm hoc Mosi etiam dixerit, & " sanctificabis eum. Quomodo ergò & Moses sanctificat & Dominus? Non enim " Moses pro Domino, sed Moses visibilibus Sacramenti per suum Ministerium, Domi- " nus autem invisibili gratiâ per Spiritum Sanctum, ubi totus est fructus invisibilium et- " iam Sacramentorum; nam sine istâ sanctificatione invisibilis gratiæ visibilia Sacra- " menta quid prosunt? Meritò autem quæritur, utrum ista etiam invisibilis sanctifica- " tio sine visibilibus Sacramentis, quibus homo visibiliter sanctificatur, pariter nihil pro- " sit? Quod utique absurdum est. Tolerabilius enim quisque dixerit, sine illis istam non " esse, quàm si fuerit, non prodesse; cùm in istâ sit omnis utilitas eorum. Sed etiam " hoc, quod sine illis ista esse non possit, quomodo rectè dicatur, intuendum est. Nihil " quippe profuit Simoni Mago visibilis Baptismus, cui sanctificatio invisibilis defuit. Sed " quibus ita invisibilis, quoniam adfuit, *(etiam)* profuit, visibilia quoque Sacramenta " perceperant, similiter baptizati. Nec tamen Moses, qui visibiliter sacerdotes sancti- " ficabat, ubi fuerit ipse ipsis sacrificiis vel oleo sanctificatus, ostenditur; invisibiliter ve- " rò sanctificatum negare quis audeat, cujus tanta præeminebat gratia. Hoc & de Jo- " hanne Baptista dici potest, priùs enim baptizator, quàm baptizatus adpa- " ruit; undè eum sanctificatum nequaquam negare possumus, id tamen in eo visibili- " ter factam non invenimus, antequam ad baptizandi veniret ministerium. Hoc & de " Latrone illo, cui secum crucifixo Dominus ait, *Hodiè mecum eris in Paradiso*, neque " enim sine sanctificatione invisibili tantâ felicitate donatus est. Proindè colligitur, in- " visibilem sanctificationem quibusdam adfuisse ac profuisse sine visibilibus Sacramen- " tis, quæ pro diversitate temporum sunt mutata, ut alia tunc fuerint, & alia modò sint; " visibilem verò sanctificationem, quæ per visibilia fiat Sacramenta, posse sine istâ invi- " sibili adesse, non posse autem sine ista prodesse. Nec tamen ideò Sacramentum vi- " sibile contemnendum est, nam contemtor ejus invisibiliter sanctificari nullo potest " modo. Hinc est, quod Cornelius, & qui cum eo erant, cùm jam invisibiliter infuso " Spiritu Sancto adparerent sanctificati, baptizati sunt tamen; nec superflua est judicata " visibilis sanctificatio, *quam invisibilis jam præcesserat.* Quamvis autem id, quod de Lib. II. c. 55.
Latrone non baptizato hic habet, in retractationibus correxerit Augustinus, magis credendum esse statuens, *eum fuisse baptizatum*; ipsi tamen propositæ quæstionis tractationi nihil detrahit, in quâ sanctus Pater ita apertè efficaciam Sacramentorum ex opere operato destruxit, ut mirum sit, ausum fuisse Bellarminum aliquid contra in medium producere, ne dicam, nugari. Ipse nimirùm ex verborum claritate debuit agnoscere, *Sacramentum visibile*, id est, juxta Bellarmini descriptionem, externam in administratione Sacramenti actionem, *& gratiam DEI invisibilem ita* ad Augustini mentem *separari, ut in quibusdam sit Sacramentum sensibile vel visibile sine gratiâ invisibili, in quibusdam verò sine Sacramento visibili gratia DEI invisibilis*; & tamen ne res liquida maneat, sed aliquatenus obscuretur, diversas hominis Sacramenta ad normam divinitùs præscriptam administrantis actiones est commentus, quam distinctionem si nihil ad rem facere dicam, ulteriori non opus erit responso, nec quidquam pro efficaciâ Sacramentorum ex opere operato per eam obtinebitur, non attentâ nimirùm quod salutarem Sacramenti usum externâ Ministri actione, quæ tamen ad ipsum necessaria & ex Instituto DEI Sacramentum, sed invisibili Spiritus Sancti operatione & internâ illuminatione, qua homo in ipsa Sacramenti susceptione per fidelem donorum & bonorum divinitus collatorum adprehensionem verè justificatur, sanctificatur, æque DEO in fœdus gratiæ, recipitur, in numerum filiorum adoptatur, Ecclesiæ militanti tanquam fidele mem-

membrum inseritur, ac firmâ spe hæreditatis æternæ Christi morte & merito partæ etigitur. Sed & neque alterum Bellarmini responsum Augustini & Evangelicorum contra opus operatum sententiæ quidquam impedimenti adfert. Etsi enim illud rectè Calvinianorum opinioni opponatur, quod nimirùm Sacramenta non nuda sint signa gratiæ DEI, sed & simul causæ & media, organa & instrumenta, per quæ DEUS instituit & pro liberrimâ voluntate suâ ordinavit hominibus ordine hoc suo legitimè utentibus suam dispensare gratiam; utut etiam non male dicatur, Sacramentorum salutarem effectum posse ab hominibus Sacramento non ritè utentibus per obicem positum impediri; tamen neque illud vim frangit argumenti contra efficaciam Sacramentorum ex opere operato ad Augustini sententiam formati, cùm si Sacramenta ex opere operato prodessent sine verâ Fide, nunquam non gratia DEI invisibilis visibili Sacramento esset conjuncta, quod tamen posterius expressè negat Augustinus, adeoque & per consequens neque prius potest admittere; & hoc quoque, quod de obice dicitur, quammaximè locum habet, ubi de infidelitatis obice fortissimo in hâc quæstione sermo est, utpotè omnibus modis operationem Spiritus Sancti per Verbum & Sacramenta agentis impediente, ne ea salutarem consequantur effectum.

Lib. 15. de Trin. c. 26.

Ad *quartum* nunc accedimus Augustini testimonium, quod iterùm sine mentione Authoris contra opus operatum adferri solere scribit Bellarminus, inque eo sanctum Doctorem dicere monet, *solum Deum posse dare Spiritum Sanctum, & ideo Apostolos non dedisse Spiritum Sanctum, quibus imponebant manus sed orasse, ut descenderet.* Respondet autem, *aliud esse dona Spiritus Sancti, aliud ipsum Spiritum Sanctum. Dona Spiritus Sancti dare & conferre Sacramenta; ipsum verò Spiritum Sanctum propriè dare non posse nisi eum, à quo ille procedit.* Posse etiam dici, *Spiritum Sanctum ex authoritate non*

cap. 8.

dari, nisi à Deo, à quo procedit; instrumenta liter tamen dari etiam ab hominibus. Legi enim in actis Apostolorum, per eorum manus datum fuisse Spiritum Sanctum, quod etiam ibi fatetur Augustinus. De hoc Augustini testimonio in posterum quoque, ubi de Confirmationis Sacramento agetur. Nunc id solùm ex eo notetur, quod sicut ex Augustini sententia olim per manus impositionem non ipsemet Apostoli Spiritum Sanctum conferebant, sed orabant, ut veniret in eos, quibus imponebant manus, & sic exterior manuum impositionis ceremonia in se ad ipsam Spiritus sancti collationem nihil quidquam est operata; ita etiam de externâ in administratione Sacramentorũ actione contra gloriâ jactati operis operati statuendum sit. Nec juvare causam opinionis Papisticę potest distinctio inter ipsum Spiritum Sanctum & Spiritus Sancti dona, à Bellarmino hic commendata, àque Evangelicis non invitis agnita. Quem enim ad modum non-nisi is, à quo procedit, propriè Spiritum Sanctum dare credendus est, ita etiam dona ejus non nisi ab eodem conferuntur, mediatè quamvis per Verbum & Sacramenta. Et quia neque DEUS immediate suam nobis revelat voluntatem, neque etiam ipse Sacramenta dispensat, sed utrobique pro liberrimâ dispositione & dispensatione utitur hominum ministerio; hinc propriè magis dicitur DEUM id agere & operari, quàm homines ut per homines id agat & operetur, quod ipsum de Donis Spiritus Sancti olim per Apostolos mediante manuum impositione concessis venit intelligendũ, nec alia hic Augustini mens fuit, cujus nunc porrò *quintum* videamus contra efficaciam Sacramentorum ex opere operato testimonium, his expressum verbis: *Quid sunt corporalia quæque*

Lib 19. contra Faust. cap. 16.

Sacramenta, nisi verba quædam visibilia? Ad quod Bellarminus respondet, *Sanctum Patrem eo in loco unum Sacramenti effectum adsignare, id est, significationem; sed non propterea cæteros negare, quos alibi sæpè posuerit. Cur autem eo in loco solum de significatione agat, fuisse causam, quia disputaverit de Sacramentis utriusque Testamenti in genere, ac proinde effectum ponere omnibus Sacramẽtis communem debuisse. Cur verò Sacramenta adpellaverit Verba visibilia, illam fuisse causam, quia disputaverit contra Manichæos, qui veterum Sacramentorum in novam mutationem reprehẽdebat, ac dixerat, necessariò fuisse mutanda etiam verba post Christi adventum. Nam cùm Veteres dicerent, Christus veniet, morietur, resurget; dicere nos debere, Christus venit, mortuus est & resurrexit. Et inde Augustinum colligere, Sacramenta etiam fuisse mutanda, ne jam falsò significarent.* Ad præter id, quod augustum Patrem rectè contra Manichæos eorumque deliria disputare indubium est, Bellarminum quoque hunc locum contra Calvinianos, Sacramentis vim tantùm signativam & significativam adtribuentes, non malè concedendum est tractasse; illud inprimis tamen observari debet, omisisse Bellarminum ea in hoc Augustini testimonio Verba, quæ Evangelicis quam-maximè contra opus operatum inserviant. Ubi enim sanctus Doctor, id quod de Sacramentis in genere pronuntiavit, corporalia dicens Sacramenta, ad Sacramentum Baptismi in specie adplicavit aliter

aliter DEUM, aliter Aquam, aliter Verbain ejus administratione considerans, notanter subjunxit: *Hæc omnia fiunt & transeunt, sonant & transeunt; Virtus tamen, quæ per ista operatur, manet jugiter, & donum spirituale, quod per ista insinuatur æternum est.* Certe si Augustinus ullibi & unquam, hic omninò opus operatum commendare potuisset, sede quasi propria, & ubi ejus non plane nullus vel exiguus contra adversarios fuisset usus. Sed adeò nihil de eo hic exhibuit, ut phrasi potius notatu digna illud non obscurè impugnaverit, efficaciam Sacramentorum ex opere operato non externę solùm actioni juxta descriptionem Bellarminianam adscribens, sed expressè statuens, Virtutem divinam per istam operari & Donum spirituale per istam insinuari, tanquam illud medium, quod Voluntati Divinæ visum fuit accommodum, per quod hæc hominibus gratia conferatur.

Jam super adhuc est *Sextum* & ultimum Augustini testimonium à Chemnitio commendatum, quo Bellarminus scribit eos Augustinum reprehendere, *qui sentiebant, non posse eos damnari, qui Sacramenta Baptismi & Cœnæ Domini percipiunt, licet nec Fidem, nec bonam teneant vitam; utpotè qui omninò videantur sensisse, Sacramenta ex opere operato justificare, ita ut vi suâ justificent, non per Fidem.* Bellarminus respondet, *Augustinum illos meritò reprehendisse, quia non solum credebant, Sacramenta ex opere operato justificare, sed etiam non posse amitti gratiam & salutem semel in Sacramento acceptam per quæcunque peccata postmodum accedentia.* Et hanc sententiam Lutheri esse in de Captivitate Babylonica scribentis: *Vides, quàm dives sit homo Christianus seu baptizatus, qui etiam volens non potest suam perdere salutem quantiscunq; peccatis, nisi credere nolit.* Quæ Lutheri in his verbis mens fuerit & sententia, aliàs indicatur, ubi de bonis & malis operibus ex professo agitur. Nunc id solùm ex ultimis ejus in hoc testimonio verbis observetur, non statuisse Lutherum, gratiam in specie Baptismalem per peccata omninò non amitti, sed non finaliter amitti, nisi homo post Baptismum peccans credere nolit, cùm intercedente Fide & fiduciali gratiæ DEI adprehensione ad concessum ob morosam nimis Pœnitentiæ procrastinationem inque dies & annos dilationem elabatur, ac janua gratiæ justo DEI punientis judicio tandem præcludatur. De cætero quam Luthero Bellarminus adfingit sententiam, per consequentiam ad ipsos pertinet Papæos, qui eam per jactationem operis operati propriam ferè sibi faciunt. Si enim vis & efficacia Sacramentorum operi operato debet adscribi, quod plerique Doctores Papęi volunt, sequitur inde per nexum satis manifestū, eos qui Sacramentis divinitùs institutis, & in externâ actione, qua opus operatum circumscribit Bellarminus, ad normam ab institutore præscriptam utuntur, DEO placere, & per hunc Sacramentorum usum justificatos olim salvos fore, quidquid sit de Fide & vitâ suscipientium, quæ hic non attenditur. Ubi inprimis notandum est, etsi Sacramenta & Institutio DEI nobis hominibus sint instar medicamentorum contra morbum à peccato contractum & contra mortem æternam, quæ morbum, nisi in tempore subveniatur, certò sequi solet; non in omnibus tamen eandem esse Sacramentorum & medicamentorum rationem, his quidem sine utentis fide suam exercentibus virtutem, in subjecto etiam nauseante & Medicinam omnibus modis respuente, adeoque non nisi per vim exterius admotam suscipiente, illis verò non item, quæ utut in se efficacia ac juxta Augustini phrasin inenarrabiliter multum valentia sint, nihil tamē prosunt sine Fide suscipientis & fiduciali Bonorum in iis oblatorum & collatorum adprehensione & adplicatione. Et hunc debet referri, quod alibi Doctor augustissimus de necessitate Fidei graviter docuit, scribens: *Non prosunt syllabæ nominis Christi & Sacramenta Christi, ubi resistitur Fidei Christi. Fides autem Christi est, credere in eum, qui justificat impium, credere in mediatorem, sine quo interposito non reconciliamur DEO; credere in Salvatorem, qui venit, quod perierat, quærere atque salvare; credere in eum, qui dixit, sine me nihil potestis facere.* Alibi in specie de Baptismo notanter monuit: *Baptisma, quod semel adhibetur, per Fidem mundat; Fides autem intus est, non foris. Unde dicitur & legitur in Actibus Apostolorum: Fide mundans corda eorum.* Et iterùm alibi de eodem: *Sicut de lege dicit Apostolus, bona est Lex, si quis eâ legitimè utatur; ita de Baptismo rectè possumus dicere, bonus est Baptismus, si quis eo legitimè utatur.* Nec prætermitti hic debent verba, quæ Augustinus idem in eodē argumento versatus ad eò melius exprimendam suæ mentis sententiam scripsit: *Unum atque idem sacrificium propter nomen Domini, quod invocatur & semper sanctum est, tale cuiq; fit, quali corde ad accipiendum accesserit. Qui enim manducat & bibit indignè, judicium sibi manducat & bibit; non ait aliis, sed sibi. Qui autem manducat digne & bibit, gratiam sibi manducat & bibit.* Atque hoc sanctus Pater in omnibus ferè talibus intelligendum monet quæstionibus, scilicet, *quod omnia cum obsint*

Lib. XXI. de Civit. DEI, cap. 25.

Tract. 53. in Joh.

Serm. 30. de Verb. Dom. lib. IV. de Bapt. c. 8.

lib. II. contra Epist. Parmen. cap. 6.

Ibid. c. 10.

obsint indignè tractantibus Sacramenta, prosint tamen per eos dignè sumentibus, sicut & Verbum DEI testatur &c. Quæ augustissimi Doctoris verba dum unà cum pluribus antecedentibus & consequentibus juri Canonico inseruit Gratianus, canonicam eis eo-met ipso conciliavit authoritatem.

CAPUT DECIMUM QVINTUM & SEPTIMUM

De

Differentiâ Sacramentorum Veteris & novæ Legis.

FAtetur Bellarminus, agnoscere Evangelicos, quos per calumniam solito more dicit hæreticos, differentiam inter Sacramenta utriusque Testamenti. Addo, quod eâdem ratione, quâ Sacramentis in genere virtus & efficacia ex opere operato denegatur, sicut hactenus Augustini authoritate est evictum, Sacramentis in specie Veteris Testamenti eadem denegetur, in quo omnes convenire Catholicos, Bellarminum antè jam legimus scribentem. Super ergò adhuc est controversia, an ex Instituto DEI Sacramenta veteris Testamenti æquè ac novi habuerint virtutem & efficaciâ obferendi, exhibendi, adplicandi & obsignandi gratiam homini salutem æternam desiderandi necessariam? Hanc vim sicut Papæi Doctores Sacramentis Testamenti veteris eunt ablatũ, Sacramentis Novi Fœderis eâm modo adscribentes, & ex opere quidẽ operato, ut proximè vidimus; ita evangelici è contrario scripturâ duce, & teste veritatis orthodoxę Augustino quoad hunc finẽ Sacramentorũ in genere, eumq; principalem inter utriusq; Testamenti Sacramenta nullum faciunt discrimẽ, sed tam illis, quàm his à Deo eandem fuisse vim inditam agnoscunt, per Sacramenta V. T. æquè olim fideles, ac hodiè per Sacramenta Novi Fœderis, in fœdus gratiæ à DEO susceptos, donis & bonis tùm necessariis instructos, spe hæredes futuræ Beatitudinis factos, Fide autem verè in Christum sæpè promissum, Typis & præsertim sacrificiis præfiguratum, in tempore præfixo incarnandum justificatos esse, firmiter persuase, id quod jam ex instituto Augustini authoritate confirmandum, ejusq; doctrina à perversis Bellarmini glossis vindicanda est. Etsi enim Bellarminus suæ ex scripturæ dictis & Patrũ testimoniis demonstrationi illud præfixerit Lemma, quod Evangelicis non oppositum videtur, scilicet, *nullum legis Naturæ aut scriptæ Sacramentum justificasse ex opere operato*, in ipsâ tamen deductione satis adparet, eum sibi hunc præfixisse scopum, ut evinceret, Sacramentorum Veteris Testamenti non eam, quæ Sacramentorum Novi Fœderis est, fuisse efficaciam, vel, ut ipse Bellarminus suam proponit sententiam, *Sacramenta legis Naturæ aut scriptæ non eo justificasse modo, quo Sacramenta novæ legis* justificant, idq; contra omnes hujus temporis hæreticos, in quorum numero eum præprimis etiam recensuisse Evangelicos in ipsâ tractatione satis manifestè ostendit. Ut autem omnibus remotis ambagibus rectà ad Augustinum nos conferamus, dupliciter is in hâc quęstione vindicari debet atq; ostendi, partim impertinenter eum à Bellarmino ad suas trahi partes, partim iniquè eum subtrahi partibus Evangelicorũ, qui constanter in defendendâ Sacramentorum utriusq; Testamenti quoad efficaciam & fructum identitate præter scripturæ sacræ ad Augustini quoque provocant authoritatem. Prius quod attinet, Bellarminus post laudatos viginti & unum scriptores Ebręos, Græcos, Latinos Augustini sequentia in rem suam producit verba: *Sacramenta non sunt eadem; quia alia sunt Sacramenta salutem dantia, alia Salvatorem promittentia Sacramenta N. T. dant salutem, Sacramenta V. T. promiserunt salutem.* Duplex ad hæc Augustini verba responsum *Chemnitii* exhibet cum ejus solutione Bellarminus. Primò dicit eum respondere, *loqui Augustinum de Sacramentis veteribus, quæ non adnexam habuerint promissionem, sed mera fuerint signa, juxta Lutheri distinctionem.* Deindè eum cum Calvino respondere, *loqui Augustinum non de efficaciâ Sacramentorum, sed de significatione, & hoc velle solùm interesse inter illa & ista, quod illa Christum significarent venturum, hæc verò eum significent datum & exhibitum.* Ad primum respondet Bellarminus, *loqui Augustinum in genere de Sacramentis veteribus & maximè de sacrificiis, & dicere, omnia esse mutata quia non dederint salutem.* Præterea, *cùm Augustinus dicit illa Sacramenta fuisse Salvatorem promittentia, videri eum de illis maximè loqui, quæ adnexam habuerint promissionem, si modò promiserint Salvatorem.* Ad secundum, *non dicere Augustinum, Sacramenta novæ legis significare Salvatorem, sed dare salutem.* Præterea *eundem ibi dicere, mutata esse Sacramenta, & facta esse faciliora, pauciora, salubriora, feliciora. Atqui hæc non ad significationem, sed ad efficaciam pertinere.* Deniq; *eundem Augustinum aliis in locis apertè discrimen ponere quoad efficaciam.* In hunc finem quatuor Augustini testimonia colligit Bellarminus, è quibus primum est: *Cur non dicam, illa veterum Sacramentorum præcepta nec bona fuisse, quia eis non justificantur homines; umbra enim sunt, præanuntiantes*

in Psal. 37.

Epist. 19. ad Hieron.

antes gratiam, quâ justificamur. Secundum: *Instituta sunt alia Sacramenta, virtute majora, utilitate meliora.* Addit Bellarminus: *Igitur Sacramenta novæ Legis excellunt antiquis utilitate & virtute, non sola significatione.* Tertium: *In Sacrificiis non erat expiatio peccatorum, sed umbra futurorum.* Quartum: *Si veteraper se attendantur, nullo possunt mederi pacto; si autem res ipsæ, quarum hæc Sacramenta sunt, inquirantur, in eis inveniri poterit peccatorum purgatio.* Hæc omnia ex Augustino Bellarminus, de quibus ordine agendũ, & quidem ex *Chemnitio*, quem sibi refutandum sumsit, conatu quamvis irrito & in vanum fumumq;. Ita autem examinator Anti-Tridentinus ad illud augustissimi Doctoris testimonium, quod in acie Bellarminus collocavit: *Si rectè & diligenter expendatur*, quo Augustinus modo in allegato loco illam disputet quæstionem, non tantum liquidò constabit, quę fuerit ipsius sentẽtia, sed etiam vera monstrabuntur fundamenta, ex quibus quæstio hæc rectè explicari & dijudicari poterit. Non autem promiscuè de omnibus figuris & signis T. V. disputamus, sed de illis, quibus verbum promissionis gratiæ fuit adnexum. Multæ enim fuerint in V. T. figuræ & umbræ, quæ aliquid sanè de Mysterio Incarnationis, Redemtionis & Justificationis significarunt, nõ autẽ omnes adjunctam habuerunt expressam promissionem divinam, quod per illa signa Deus obferre, adplicare & obsignare vellet promissionem Justitiæ fidei singulis, ritibus illis fide utentibus. Quædam verò non tantum significarunt, sed etiam habuerunt adjunctam promissionem, quod per illa signa an Verbo Deus Justitiam Fidei obferre, adplicare, obsignare & confirmare vellet in singulis, signis illis fide promissionis utentibus, quale signũ extra omnem controversiam fuit Circumcisio. Duplicia igitur fuerunt signa T. V. quædam significativa tantum, quędam verò simul etiam virtute promissionis exhibitiva seu obsignativa gratię. *Augustinus* verò omnia illa signa aliquando unâ & eadem Sacramenti adpellatione comprehendit. Quando igitur figuras & umbras, quæ signa sunt tantùm significativa, Sacramenta vocat, tunc dicit, de discrimine V. T. & Novi agens *Sacramenta non eadem, promissa non eadem.* Et illud declarat: *Promissa non eadem, quia promissa terra Canaan, Regnum temporale, felicitas terrena. Sacramenta non eadem, quia alia sunt salutem dantia, alia Salvatorem promittentia. Sacramenta Novi dant salutem, Sacramenta V. T. promiserunt Salvatorem.* Addit plurimâ cum observatione Chemnitius: Numquid autem dicemus, Augustinum sensisse, Patres in V. T. terrena tantum habuisse promissa, & prorsus destitutos fuisse spirituali promissione de Justitiâ coram Deo, vitâ & salute æternâ; aut Patribus in V. T. non fuisse datam salutem? Certè nemo sanus *Augustino* sententiam hanc manifestè falsam tribuere audebit, quam multis in locis ipse refutavit. In promtu igitur est colligere, quid Augustinus illo in loco velit; collationẽ enim seu mutuam potius relationem & individuam connexionẽ instituit inter promissa & Sacramenta, ut qualia sint promissa talia sint etiam Sacramenta; & quidem ex promissis sumendum esse de Sacramentis judicium. Et hoc fundamentum diligenter monet observandũ esse Chemnitius, hæc porrò ex Augustino subjungens: *In V. T. fuerunt promissa quædam terrena seu temporalia Politiæ Mosaicæ, & illis promissis etiam Sacramenta quædam fuerunt adjuncta.* Concludit igitur Augustinus, inquit, sicut ipsa promissa terrena fuerunt figuræ spiritualium promissionum, ita etiam Sacramenta illarũ promissionũ significasse futuram Salvatoris οἰκονομίαν. Manifestum igitur est, *Augustinum* primo ibi de signis loqui, quę tantùm sunt significativa, quę non adnexam habuerunt spiritualem promissionem. Deinde etiam inter ipsas spirituales promissiones in V. & N. T. Augustinus tale facit discrimen, quod in V. T. sint promissiones Christi venturi, in Novo autem sit annuntiatio Christi exhibiti. Non minus autem promissio de futuro semine benedicto in V. T. fuit potẽtia Dei ad salutem omni credenti, quam annuntiatio in N. T. de Christo exhibito. Et ex hoc fundamento, de discrimine nimirùm promissionis gratiæ in utroq; Testamento, *Augustinus* differentiam sumit & constituit inter Sacramenta, quæ in utroque Testamento promissioni gratiæ voce Divinâ fuerunt adnexa, inquit enim: *Cum ergò jam teneas promissa, quid quæris promittentia, Salvatorem jam habens? Hoc verò est, quod dico, te promissa tenere, non quod jam accepe-rimus vitam æternam, sed quia Christus jam venit, qui per Prophetas prænuntiabatur.* Et hanc differentiam in multis aliis locis repetit & explicat Augustinus. Obsignat hunc discursum suum Chemnitius verbis sequentibus: Iste igitur locus Augustini, quo fermè solo nituntur Pontificii, nihil ipsis patrocinatur, quasi tempore V. T. nulla planè fuerint Sacramenta, per quæ Deus in verbo obtulerit, exhibuerit & obsignarit gratiam, cùm certum sit, promissionem gratię tunc adnexam fuisse certis quibusdam ritibus seu Sacramentis. Id ubi Chemnitius prolixè è sacris comprobasset scripturis, & post aliquot utriusque Testamenti oracula huc pertinentia Paulum quoque testem adduxisset, de

lib. 19 contra Faust. cap. 13.

Tract. 41. in Joh. quæst. 25. in Num.

„ escâ & potu spirituali Israelitarum in deserto Corinthios informantem, quem postea
„ etiam uberius ex Augustini sensu audiemus; aliqua iterùm sancti Patris dicta rem hanc
„ illustrantia lectori comendat, ut quod Concionem Christi de Mannâ explicans hunc
„ Apostoli locum cum Baptismo & Cœnâ Domini contulerit, scribens: *Sacramenta illa*
Tract 26. & 45. in Joh. „ *fuerunt in signis diversa, in re, quæ significatur, paria sunt.* Et iterum: *In signis diver-*
„ *sis fides eadem, sicut in verbis diversis; quorum alterum prænuntiat Christum venturum,*
„ *alterum nuntiat Christum venisse.* Addit porrò, eundem alibi videlicet contra Faustum
„ Mancichæum multis agere argumentis, ut ostendat, in diversis signis, ritibus seu Sa-
„ cramentis utriusq; Testamenti res non esse diversas, sed easdem. Nam, inquit, mo-
lib. 19. cap. 15. „ vens quæstionem, *An tantum profuerit antiquis justis fides passuri & resurrecturi Chri-*
„ *sti, quantum nunc prodest fides passi & resuscitati; & an ipsa sanguinis Agni DEI effusio,*
„ *quæ facta est pro multis in remissionem peccatorum, aliquid utilitatis & purgationis dede-*
„ *rit his etiam, qui hoc credentes futurum, ex vitâ migraverant ante-quàm fieret?* Etsi
„ istam eo in loco non definit, alibi tamen manifestè ex Verbo DEI adfirmat, *justos V.T.*
„ *quantælibet fuerint sanctitatis, non tamen eos feciſſe salvos, nisi fidem Mediatoris, qui in*
„ *remissionem peccatorũ fudit sanguinem suum.* Jam observet lector, inquit iterùm Chem-
„ nitius, quæ argumenta indè texat Augustinus. Dicit enim: *In hâc vitâ nemo potest*
„ *esse justus, nisi qui ex fide vivit; gratia enim, Justitia, salus, vita æterna fide sunt accipienda.*
Ibid. c. 14. „ Addit autem: *Antiqui justi, qui Sacramentis illis intelligebant venturam prænuntiari*
„ *revelationem fidei, ex illâ, licet adhuc opertâ & abscondita, munere tamen Pietatis intel-*
„ *lectâ, ipsi etiam vivebant.* Agnoscit lector argumentorum connexionem: antiqui justi
„ acceperunt remissionem peccatorum propter Christum Mediatorem, remissio au-
„ tem peccatorum non nisi fide accipitur, antiquorum fides verò objectum habuit non
„ nudum tantum verbum, sed etiam Sacramenta illius temporis, & ex illâ fide in Sacra-
„ mentis munere Pietatis intellectâ justi vivebant. Quis igitur jam dicet, fidem anti-
„ quorum in Sacramẽtis illius temporis nihil accepisse, cùm Augustinus adfirmet, ipsos
Cap. 16. „ fide illâ in Sacramentis intellectâ vixisse? Idem augustus Pater ibidem, conferens ver-
„ bum & Sacramenta, inquit: *Si eadem res aliter enuntiatur facienda, ut de Christo passu-*
„ *ro, resurrecturo &c. aliter enuntiatur facta, ut de Christo passo, resuscitato &c. quid mi-*
„ *rum, si aliis mysteriorum signaculis futura Christi passio & resurrectio est promissa, aliis*
„ *jam facta adnuntiatur.* Subjungit iterum Chemnitius: si igitur cõcedimus, per verbum
„ promissionis in V.T. oblata & exhibita fuisse à DEO credentibus gratiam & salutem;
„ quo-modo Sacramentis illud adimemus, quæ nihil aliud sunt, quàm verba visibilia?
cap. 14. „ Ut eadem sit ratio & idem usus verbi & Sacramentorum. Et iterùm ibi correlativa
„ facit sanctus Doctor sicut fidem & verbum seu promissionem, ita etiam fidem & Sa-
„ cramenta, his verbis: *Eadem credebant, eadem sperabant omnes justi & sancti etiam tem-*
cap. 16. „ *porum illorum.* Adhuc semel: *Adversus calumnioſam Fausti imperitiam suffecerit de-*
„ *monstrare, quanto delirent errore, qui putant, signis* Sacramentis que *mutatis res etiam*
„ *ipsas esse diversas, quas ritus Propheticus prænuntiavit promissas, & quas ritus Evange-*
„ *licus adnuntiat implet as; aut qui censent, cum res eædem sint, non eas aliis* Sacramentis
„ *adnuntiari debuisse complet as, quàm his, quibus adhuc complendæ prænuntiabantur.* Post-
„ quam verò idem Chemnitius ex eodem Augustino differentiam & discrimen non
„ unius generis vel speciei inter Sacramenta utriusque Testamenti ostendisset, id insu-
„ per ad hujus Controversiæ illustrationem ac melius percipiendum Augustini sensum
„ monuit & observavit: Quando igitur Augustinus dicit, *in Verbo & Sacramentis T.V.*
„ *fuisse veritatem promittentem, in Novo exhibentem; in Veteri significationem, in Novo res*
„ *redditas,* intelligit hoc de incarnatione Christi & de opere redemtionis, non autem
„ de virtute ejus & de gratiâ, quam certè justis in V. T. exhibitam fuisse, nemo potest
„ negare, qui ipsos concesserit esse salvatos. Et cum Sacramenta N.T. dicit *faciliora,*
„ *salubriora, feliciora*; num ideò V.T. Sacramẽta omninò nec salubria, nec felicia erunt?
„ Aut quia Sacramentorum N.T. prædicatur *virtus major & utilitas melior*; num ideò
„ nulla planè virtus erit, aut nulla omninò Sacramentorum V.T. utilitas? Certè quæ se-
„ cundum magis & minus comparantur, gradu licet differunt, in uno tamen & eodem
„ genere conveniunt. Felicitatem igitur, utilitatem, virtutem & salutem Augustinus
„ V.T, Sacramentis eo ipso tribuit, quod N.T. Sacramenta prædicat *feliciora, salu-*
„ *briora, virtute majora & utilitate meliora.* Et hoc libenter damus; nimirùm sicut mo-
„ dus revelationis in N.T. illustrior est, lux fidei major, & mensura gratiæ uberior; ita
„ etiam per Sacramenta N.T. gratiam Christi luculentius, plenius, perfectius & *uberius*
„ *dispensari credentibus.* Hæc Chemnitii ad sententiam Augustini penitius intelligen-
dam observata si ex debito attendantur, facilè ostendent, Bellarminum duplex ejus re-

sponsum

ſponſum ad Auguſtini teſtimonium imperfectè nimis exhibuiſſe, hic neceſſariò uberius exponendum, ut fallacia Bellarmini optimâ quæq; omittentis ex unâ, ex alterâ autem parte Evangelicorum de differentiâ partim, partim de identitate Sacramentorum utriuſque Teſtamenti ſententia eò manifeſtior evadat, & ſimul eorum quæ idem Bellarminus adutrumque repoſuit, vanitas & inanitas adpareat. Conſtat inſuper exindè, quid de cæteris pleriſque Auguſtini teſtimoniis à Bellarmino laudatis habendum ſit, cùm ex uno ritè intellecto de cæteris eò facilius poſſit judicari.

De primo tantùm inter illa aliquid dicendum, utpotè quod cæteris aliquanto durius & intellectu difficilius videtur, pleniori Textu ſequentia proponens: *Cur non dicam, illa Veterum Sacramentorum præcepta nec bona eſſe, quia eis non juſtificantur homines; (umbræ enim ſunt, prænuntiantes gratiam, quâ juſtificamur) nec tamen mala, quia Divinitus ſunt præcepta, temporibus perſonisq; congruentia; cùm me Prophetica etiam adjuvet ſententia, quâ dixit Deus, ſe* populo illi præcepta dediſſe non bona. *Forte enim propterea non dixit mala, ſed tantùm non bona, id eſt, non talia, ut illis boni fiant homines, aut ſine illis boni non fiant.* Epiſt. 19 ad Hieron. Ezech. 20. v. 25.

In genere notetur hic etiam, quod ſuprà non ſemel fuit obſervatum, Auguſtinum hic vocabulo Sacramenti, ſicut aliàs ſæpius, ſenſu laxiore uti & intelligere de quibuſvis Ceremoniis, divinitus populo Iſrael antehàc præſcriptis, adeoque verbâ hæc ad præſens Inſtitutum non pertinere, ubi de Sacramentis ſenſu ſtrictiore ita dictis agitur, ac omninò impertinenter & imperfectè ea à Bellarmino fuiſſe objecta. *In ſpecie* autem, quod adplicationem & authoritatē oraculi Prophetici ab Auguſtino factam attinet, quam Sanctius Chryſoſtomo & Theodoreto etiam è Patribus adſcribit; alios tamē, & quidem ex eorū Patrum numero *Ambroſium* & *Gregorium* cognomine Magnum aliter illud Propheticū intelligere oraculum monens, præcepta nimirùm antiqua adpellari non bona, *non abſolutè, ſed comparatè* cum optimis, cum his videlicet, quæ data ſunt Eccleſiæ Evangelii tempore, cùm uſitatū ſit in ſcripturâ, ut negetur aliquid ineſſe alicui, quod alterius comparatione exiſtimatur exiguum. Addit idem *Sanctius*, alios præcepta hæc ceremonialia ideò, putare non bona fuiſſe Judæis, *quia durioris ſupplicii materiam illis præbuerunt*, cùm neq; tam graviter peccaſſent, tamq; gravi ſupplicio fuiſſent obnoxii, niſi habuiſſent legē, cujus violatio gravius incuſaverat illos, quàm qui ab illâ lege non tenebantur; & ita explicare alibi *Auguſtinum* præter Authorem Conſtitutionem Apoſtolicarum & ex interpretibus Judæis *Salomonem Iarchium*, hancq; ſententiam quibuſdam recentioribus non improbari. Sed & quartam addidit *Hieronymi* explicationē, ſtatuentis, in præceptis non bonis illa ſignificari peccata, in quæ populus protervus & ingratus à vindice Deo deſertus labi eſt permiſſus, de eâ monens, placere *Maldonato, Hieronymo Prado & Vaſquezio*, hâc cum obſervatione additâ, ea, quæ præcepta vocantur, non tam eſſe à Domini præcipientis imperio, quam à non impedientis permiſſione, quæ cùm aliquid ſonet negativum, poſitivâ tamen actione explicari ſolere, quem videlicet ad modum Deus indurare dicitur cor Pharaonis & ſervorum ejus, & Prophetas decipere, excœcare oculos, adgravare aures, & homines in reprobum dare ſenſum. Dediſſe itaq; Deum præcepta non bona, quia in ſacra nefaria & impiam Idolorum religionem, quæ ſuas habet leges & ceremonias, diffluere permiſit. Hęc ſententia etſi *Sanctio* omnium maximè viſa eſt probabilis, & cui à Textu nihil objici poſſit, quod valdè incommodet; viſa tamen eſt aliquantulum frigere, nec omninò cum ſuperioribus conſentire. Hinc de aliâ & ſingulari fuit ſollicitus, juxta quam hanc oraculi Prophetici exhibet paraphraſin: Dedi eis præceptà bona & jugū leve, quibus, ſi parere vellent, vitam agerēt jucundā & omnibus rebus adfluentē, in terrâ, quæ lacte manabat & melle. Sed quia præcepta mea bona contemſerunt, feci, ut alia ſubirent præcepta non bona, aſpera videlicet & dura, à Tyrannis impoſita, aut à me in capita illorum decreta, qualia ſunt, Gladius, Fames, Peſtis, & jugum verè ferreum, quo cervix frangatur indomita, & ſpiritus ambitioſi & vani deprimantur. Quam præterea *Immanuelis Saa* ſubjungit explicationem, quæ itidem *Ephius* partim in Annotationibus, partim in Additionibus ad hunc locum, alii etiam interpretes *Sanctio* præteriti, nominatim *Hector Pintus & Petrus Serranus*, Doctor Complutenſis, circa ejus intellectum moſuerunt, brevitatis ergò hic non attingo, eo contentus, quod Auguſtinianâ oraculi hujus adplicatione *Sanctius* ſe non teneri agnovit, Evangelicis ad idem jus & privilegium provocantibus, præprimis cùm ipſe Auguſtinus, eodem *Sanctio* id obſervante, in oraculi hujus non adeò facilis explicatione, non unius ejusdemque fuerit ſententiæ, alii etiam interpretes antiqui & recentiores aliter quàm Auguſtinus illud intellexerint, eometipſo liberam aliis quoque ab ejus opinione diſcedendi facultatem concedentes. De teſtimonio Auguſtini *ſecundo* ex opere contra Fauſtum deſumto *Chemnitius* prolixè egit; nec quidquam ad rei ſummam deſideratur. Quis verò *tertii* ſenſus ſit, & quomodo veniat intelligendum, quod ſacrificiis T. V. expiatio peccatorum denegatur, breviter viden-

dum est, & iterùm quidem ex integro sancti Patris Textu, qui sic habet: *Cùm de sacrificiis pro peccato offerendis præciperet Deus, in quibus sacrificiis non erat expiatio peccatorum, sed umbra futurorum; eadem ipsa sacrificia, easdem ipsas hostias, easdem ipsas victimas, eadem ipsa animalia, quæ admovebantur pro peccatis mactanda, (in quorum sanguine Christi sanguis figurabatur) peccata lex adpellat, usq; adeò, ut in quibusdam locis sit scriptum, ut Sacerdotes immolaturi ponerent manus suas super caput peccati, id est, super caput victimæ pro peccato immolandæ.* Hic dum augustus Doctor scribit, in sacrificiis non fuisse expiationem peccatorum, intelligi debere, sacrificia inse non habuisse vim peccatorum expiatricem, neque eis omninò hanc vim ex Instituto Dei denegandam esse, exindè patet, quod expressè agnoscit, fuisse ea pro peccatis offerenda & victimas pro peccatis immolandas, nullũ certè alium in finem, quàm pro expiandis, & ut populus hâc ratione Deo reconciliaretur inque fœdus gratiæ, quo per peccata exciderat, reciperetur. Nec quidquam impedit, quo minus hæc virtus expiatrix sacrificiis adscribatur, quia phrasi scripturæ ipsa sacrificia, hostiæ, victimæ, animalia fuerunt dicta peccata; dum ipse Augustinus ibidem in antecedente & consequente observavit, Christum ab Apostolo quoq; dictum fuisse peccatum, id est, *verum pro peccato sacrificium, qui anullum ipse habebat peccatum,*
2 Cor. 5. *Tale peccatum,* inquit, id est, *sacrificium pro peccato factus est Dominus noster Iesus Christus, qui non noverat peccatum.* Si igitur Christo, sacerdoti pariter & sacrificio non obest, ne virtus expiatrix ei adtribuatur, quia peccatum ab Apostolo dictus est, sensu per Augu-
Conf. D. Glass. Phil. S. lib. 5 pag. m. 1078. stini explicationem satis claro; sacrificiis etiam T. V. unicum hoc sacrificium typicè præfigurantibus, quæ suo olim populo in remedium pro peccatis, videlicet expiandis, præcepit & proposuit, obesse non potest, quia Idiomate sacro, quo Deus suam ei revelavit voluntatem, & cum sanctis olim Patriarchis & Prophetis mediatè & immediatè est locutus, peccata, id est, sacrificia pro peccatis dicuntur, quo minus verè peccata expiasse credendũ sit, cùm potius ex hoc ipso sequatur & legitimè deducatur, fuisse sacrificia hæc expiatoria, quia pro peccatis fuerũt oblata, & victimæ pro peccatis immolatæ, nullaq; aliàs ratio sufficiens possit indicari, cur ea pro peccatis oblata dicãtur. quamvis, si quod reste, dici debet, hoc Augustini testimoniũ propriè ad præsentẽ Controversiam non pertineat, ubi non de sacrificiis, sed de Sacramentis T. V. propriè sic dictis, eorumq; virtute & efficaciâ agitur, neminiq; rerũ Theologicarũ gnaro dubiũ est aut ignotum, aliter de his, quàm illis judicari debere, & aliâ horũ, quàm illorũ ex Instituto Dei fuisse rationem. *Quartum* nunc super adhuc est, ejusdem cum antecedente argumenti, quod si prout jacet tàntùm, & à Bellarmino verbotenus est, attentè consideretur, Evangelicorum sententiam confirmat, Papistarum verò evertit; multò magis autem id præstat, ubi pleniore iterùm ex antecedentibus Textu legitur, ut mirum sit, ausum fuisse Bellarminum id lectori veritatis studioso objicere. Agit autem ibi sanctus Pater de peccatis superbiæ, *cùm quis superbiendo, id est, præceptum contemnendo, perperam facit.* De iis ex Mosis doctrinâ hunc in modũ scripsit: *Hoc genus peccati non dixit ullo genere sacrificii oportere pungari, tanquam insanabile judicans illâ duntaxat curatione, quæ per sacrificia gerebatur, qualia in hâc scripturâ præcipiuntur facienda; quæ si per (se) ipsa attendantur, nullo possunt mederi pacto, si autem res ipsæ, quorum hæc Sacramenta sunt, inquirantur, in eis inveniri poterit peccatorum purgatio.* Nota & hic lector optimè distinctionem, quæ & in antecedente testimoniorationẽ & vim sacrificiorum expiatricem satis manifestè ostendit, hic autem adhuc clarius expressit. Et præterea dum augustus Doctor de peccatis superbiæ scripsit, *ea nullo sacrificii genere purgari*, hoc ipso iterùm præsupposuit, alia de cætero peccata variis sacrificiorum generibus fuisse purgata, notanter etiam ejus curationis mentionem faciens, *quæ per sacrificia gerebatur.* Etsi autem vocabulo Sacramenti hic utatur Augustinus, ipse tamen ostendit Textus, quod & ad primum ejus testimonium, & suprà non semel fuit observatum, in latiori & laxiori factum id sensu, adeoq; ad hanc quæstionem referri non debere. Posito autem, de Sacramentis strictè & propriè dictis Augustinum hic esse locutum, nihil tamen contra Evangelicorum, pro Papistarum sententiâ id inserviret, cùm perpetua & constans sit illorum doctrina, Sacramenta utriusq; Testamenti in genere, *si per se attendantur, nullo posse mederi pacto; si autem res ipsæ, quarum sunt Sacramenta inquirantur, posse in eis peccatorum inveniri purgationem*, imò non posse tantum, sed verè & quod dicitur de facto inveniri apud eos, qui modo decenti, id est, verâ in Christum ejusq; meritum fide iis utuntur, ac beneficia in iis à Deo Sacramentorum institutore oblata & collata fiducialiter adprehendunt, sibiquemet ipsis in specie adplicant. Crimen falsi, quod in ultimi hujus ex Augustino testimonii adductione Bellarminus commisit, dum in priore ejus parte vocabulum *Sacramenti* præter authoris mentem in trusit, ubi Vox *Sacrificii* locum habere debuit, ut ex ipso constat textu, adeò graviter non urgeo, utut si tale quid ab Evangelico scriptore commissum, Bellarmini sequaces sine insigniori censurâ & animadversione vix prætermitterent.

Ad

Ad *posterius* nunc vindiciarum pro Augustini & Evangelicorum doctrinâ in præsenti quæstione caput progredimur, quod itidem est bipartitum, duorum videlicet pro eâdem Sacramentorũ utriusq; Testamenti efficaciâ & virtute oraculorum ex Augustino proponens explicationem. Et *prius* ex T.V. exhibet institutionem Sacramenti circumcisionis, de quo Catholicorum quorundã, nominatim *Alexandri Halensis, Bonaventuræ, Scoti, Gabrielis* sententiam esse dicit, quod justificaverit ex opere operato, cum qua Bellarminus monet multa pugnare argumenta, & simul observat, non favere eam hæreticis, ducta autẽ Augustini ita argumentari: *Deus minatur omni masculo Ebræorum, etiam infanti, interitum perpetuũ, nisi fuerit circumcisus. Ergò per circumcisionẽ liberabantur masculi ab æternâ morte.* Respondet verò Bellarminus, vim illius argumenti totam ex duabus pendere vocibus, quę in editione Græcâ habeantur, quâ usus sit Augustinus; Græcos enim sic locum legere: *Et incircumcisus masculus, cujus non circumciditur caro præputii in die octavo, peribit anima illa de populo suo.* Ubi illa verba, *in die octavo*, addita sint à Græcis; non enim haberi in Codicibus Ebraicis, nec in Paraphrasi Caldaicâ, nec in vulgatâ editione Latina. *Addit porrò Bellarminus*: ob illa duo verba, *in die octavo*, conatus est Augustinus hunc locum exponere de parvulis, ac dicere, DEUM minari pœnam parvulis circũcisione carentib⁹, & hinc conatus & ulterius verba proximè sequentia, *quia Pactum meum fecit irritum*, exponere de peccato originali & de pacto cum Adamo olim facto de non comedẽdo ligno scientię boni & mali, quod solùm parvuli potuerũt pręvaricari; & hinc ultimò coactus & illa verba, *peribit anima illa*, exponere de morte æternâ, quæ peccato originali debetur. At, *inquit præterea Bellarminus*, si removeamus à textu illa duo verba, *in die octavo*, ut verè removenda sunt, totum concidet argumentũ. Nam ne cogemur hunc locum exponere de parvulis, imò cogemur exponere solùm de adultis, ut hic sit sensus. Masculus Ebręus, qui noluerit circumcidi, aut filium suum circũcidere noluerit, peribit de populo suo, quia inobediẽs fuit præcepto à mẽ dato de circumcisione. Ex quâ sententiâ, *subjungit Bellarminus*, non magis sequitur, circũcisionem justificare, quàm quodcunq; legis pręceptũ; millies enim DEUS minatur mortem non servantibus præcepta. Esse autem illum hujus loci sensum, tribus ostenditur modis, *ita pergit Bellarminus contrà Augustinum*. Primò ex illis verbis, *quia Pactum meum fecit irritũ*. Nam etiamsi Augustinus hoc exposuerit de Pacto cũ Adamo olim facto; luce tamẽ clarius est, debere hoc exponi de Pacto cum Abrahamo tum facto de circũcidendis in carne masculis. *Secundò* idem probatur ex illâ pœnâ, *peribit anima ejus de populo*. Non enim ista verba significãt æternã mortem seu Gehennam, sed aliquam temporalẽ pœnam. Nam id significat, *de populo suo*; non enim dicit, peribit absolutè, sed *peribit de populo*, id est, separabitur à populo suo, seu per mortem corporalem, seu per quandã velũti excomunicationem. *Tertiò* probatur ex capite Exodi quarto, ubi Dominus Mosen occidere voluit, quia Filium suũ non circũciderat. Ubi clarè videmus, pœnam illam esse mortem corporalẽ, & latam in eum, qui adultus sit, & capax actualis peccati, non in infantes. Et quanquã Augustinus ostendere conatur, filiũ Mosis, non ipsum Mosen in periculo fuisse ob incircumcisionẽ, res tamen clarissima est. Nam si DEUS minaretur mortem parvulo, si non circumcidatur die octavo, quid profuisset filio Mosis circumcisio illa post octavam diem facta? *Deindè*, textus est apertissimus: *Cumq; esset in itinere in diversorio Mosis, occurrit ei Dominus, & volebat eum occidere.* quem eum, nisi Mosen, de quo in proximis loquebatur verbis? Prætereà sequitur: *Tulit ergò Sephora acutissimã petram, & circumcidit præputium filii sui.* Si illud, voluit occidere eum, de filio Mosis intelligeretur, dixisset scriptura: circumcidit pręputium ejus, non autem filii sui. Prętera addidit Sephora & dixit Mosi: *Sponsus sanguinum tu mihi es*, id est, jam te sponsum meum amissura eram, nisi te sanguine mei filii redemissem. Hæc omnia contrà Augustinum & quosdam ut vocat Doctores Catholicos, simul etiam *aliquâ ex parte* contra Evangelicos habet Bellarminus, ad quæ aliqua veniunt observanda. Dico autẽ notanter contrà Evangelicos *aliquâ ex parte*, quia hic omnia Augustini, quæ ex eo adducit Bellarminus, nostra non facimus, multò minus eorum, quos vocat, Catholicorũ sententiã, vim Sacramenti circumcisionis operi operato adscribentium, in præcedenti Controversiâ proscriptam & Sacramentis in genere denegatam. Sicut enim Bellarminus sibi liberum esse putavit, hic & alibi sæpius ab Augustini sententiâ discedere; neq; Evangelicis erit prohibitum, suâ hic uti libertate, inque veritatem explicationis Augustinianæ, debitâ cum modestiâ, sine præjudicio authoritatis eidem debitæ, imò bonâ cum ejus veniâ inquirere, ejusdemque fundamenta examinare, ita tamen, ut prævios plerumque Doctoribus Papæis ostendatur, posse aliquatenus & hinc Augustini sententiam absque læsione fidei analogiæ defendi, modò ne justo rigorosius agatur cum eo. Et quidem quod duas voces illas attinet *in die octavo*, quas Augustinum ex editione & versione Bibliorum Græcâ præprimis hic attendisse scribit Bellarminus, ob quas coactus fuerit hunc locum de parvulis exponere, quibus remotis & verè removendis totum Augustini argumentum concidere putat, juvat huc ea adscri-

Gen. 17.

lib. 16. de Civ. DEI, cap. 27.

Quæst. 2. in Exod lib. 4. de Bapt. cap. 24.

Tom. 3. in p. 3. Thom. Art. 3. Disp. 5. Sect. 1. bere *Suarezii* verba, quæ in hujus quæstionis ventilatione non suo quidem, sed alius Authoris nomine proposuit, attamen nihil etiam iis opposuit, sententiarũ inter se pugnantium conatus tentare conciliationem: *Lectio septuaginta interpretum retenta est in novâ editione jussa sixti quinti factâ; quare non videtur facilè rejicienda, quod in Ebræo & vulgatâ editione latinâ non habeatur, quia illis non repugnat, sed ea potius explicat. Vnde potest sumi judicium, antiquam Iudæorum Synagogam ita hunc locum intellexisse, & septuaginta interpretes ad explicandum amplius sensum suo tempore & in suâ receptum Ecclesiâ illam addidisse particulam: quâ positâ non potest illa comminatio ad solos adultos referri, cùm masculus etiam post diem octavũ incircumcisus dicatur periturus. Prætereà seclusa etiã illâ particulâ, verba scripturæ indefinita sunt & universali æquivalent locutioni. Non ergò possunt liberè ad solos coarctari adultos, aliquin & illæ Christi verba,* nisi quis renatus fuerit &c. *similimodo possunt limitari, quia est idem genus universalis seu indefinitæ locutionis, & in utraq; dicitur passivè &c. Prætereà huic expositioni favet contextus. Nam proximè dictum erat,* Infans octo dierum &c. *Statim verò subditur,* Masculus, cujus præputii &c. *Ergò, nisi sit magna in verbis æquivocatio, idem masculus dicitur periturus, si non circũcidatur, qui præceptus erat circumcidi. Hic autem erat infans octo dierum &c.* Hæ pro interpretatione Græcorũ vindiciętanti visæ fuerunt *Suarezio*, disputatori aliàs ad quævis refutandum promtissimo, & cui nihil arduum nimis fuit visum, quod non posset acriter oppugnare, ut de conciliatione sententiarum sibi invicem ex hâc parte oppositarum magis, quàm de hujus refutatione esset sollicitus. Et fortè si hujus sententiæ rationes & momenta accuratius ponderasset Bellarminus, non tam exili operâ subruí eam posse & exterminari censuisset, utut Evangelici pro sententiâ de vi & efficaciâ Sacramentorum T.V. æquè ac Novi tuendâ hanc septuaginta interpretum, Augustini & Catholicorum, quos vocat, Doctorum nõ teneantur facere suam, aliis nimirùm instructi ex Augustino etiam argumentis, ipsum respicientibus textum originalem, exque eo ceu fonte purissimo profluentib⁹, id quod sequenti nunc observatione docebitur. Dum enim Bellarminus porrò contra Augustinũ agens, ad verba textûs scribit, *ex hâc sententiâ non magis sequitur, circumcisionem justificare, quàm quodcunq; legis præceptũ, millies enim Deus minatur mortem non servantibus præcepta*; contrarium sibi & adversarium habet est Societate suâ *Pererium*, sequentia pro Augustini sententiâ in suis ad Genesin Comentariis & Disputationibus scribentem: *In circumcisione remissum* ac delictũ esse Peccatum originale, doctrina est & sententiâ „ comunis Theologorũ, ac *Augustino, Gregorio Magno, Bedâ*, aliisq; nobilib⁹ & claris Docto„ ribus tradita & à posteriorib⁹ Theologis magno adsensu consensuq; ad probata. Beatus „ sanè *Augustinus* nõ uno docet loco, quã vim habet effectumq; Baptismus in populo Chri„ stiano, purgandi hominẽ à peccato, & justificandi, ac demùm spiritualiter regenerandi fi„ milẽ habuisse posteros Abrahæ per circumcisionẽ, idq; probat ex illis Dei verbis: *Masculus, cujus præputii caro die octavo circumcisa non fuerit, delebitur anima illius de populo meo, „ quia irritum fecit pactum meum*. Deleri animam de populo Dei non est aliud, nisi à Dei & „ sanctorum societate & consortio excludi; id autem non fit, nisi propter peccatum, quod „ sanè nullum in ætate infantuli esse potuit, nisi originale. Idq; illis declaratum est verbis, „ *quia irritum fecit pactum meum*; illud scilicet pactum, quod Deus ab initio fecerat cum A„ damo, cùm ei dixit: *In quacunq; die comederis ex ligno scientiæ boni & mali, morte morieris*. „ Hoc pactũ prævaricante tunc Adamo, id ipsum simul omnes posteri sunt prævaricati, & „ in ipso peccantes etiam ipsi peccaverunt. Hoc igitur pecatũ fert secum infans ex utero „ matris, quod quia non aliter in posteris Abrahæ, nisi in circumcisione tollebatur, hinc ad„ paret verissimè dictum, animam infantis, qui non foret circumcisus, deletum iri de po„ pulo Dei. Hæc est Augustini argumentatio, qui cùm ait, *Circumcisionem non valuisse ad „ regenerationem & renovationem sicut valet Baptismus, sed ad significationem ejus*; non ne„ gat, in circumcisione deletum fuisse peccatum & datam homini gratiam, verùm signi„ ficat, id non esse factũ virtute circumcisionis, sed ejus fidei ac Justitiæ, quam significabat „ circumcisio, & quam Sacramentaliter profitebatur, qui circumcisionẽ accipiebat. Huc spectavit Augustinus, cùm alibi dixit, *illos Patres sanctos V.T. & circumcisionem carnis habuisse propter signaculum fidei, & circumcisionem cordis propter ipsam fidem.* Ipsa Augustinianæ

vid. D. Dorsch. ad Exod. c. 4 Disp. ult. 5. ult.

lib. 2. de Nupt. & Concupisc. c. 1. Doctoris verbi hanc exhibentia sententiam, prout Pererius citat, hæc sunt: *Ex quo instituta est circumcisio in populo DEI, quod erat tunc signaculum Iustitiæ fidei, ad significationem pur„ gationis valebat parvulis originalis veteris, peccati, sicut & Baptismus ex illo valere cepit ad „ innovationem hominis, ex quo est institutus; non quod ante circumcisionem Iustitia fidei nulla „ esset quippè cũ adhuc incircũcisus ex fide justificatus fuerit ipse Abraham, sed quod superioribus „ temporibus non fuerit Sacramentum aliquod Iustificationis ex fide. Eadem tamen fides Media„ toris salvos faciebat justos illos antiquos, pusillos cum magnis; non autem Vetus Testamentum, „ quod in servitutem generat; non lex Mosis, quæ vivificare non poterat, sed gratia DEI per IE„ SVM Christum Dominum nostrum. Quia sicut nos credimus Christum venisse in carne, mor-*

tuum

tuum esse & resurrexisse, ita illi eum venturum, moriturũ & resurrecturum crediderunt. Addit Pererius, huic Doctrinæ ac sententiæ *Augustini* planè subscribere *Gregorium* cognomine magnum, item *Bedam*, quorum verba his similia prolixè recitat, ibi legenda. Ego *Lombardum* subjungo, qui ubi de Sacramentorũ utriusq; Testamenti differentiâ ex *Augustino* egit, hanc de Sacramento circumcisionis exceptionem adposuit, scribens: *Fuit tamen inter illa Sacramenta Sacramentum quoddam, scilicet circumcisionis, idem conferens remedium contra peccatum, quod nunc Baptismus præstat.* Et cùm Augustini & Bedæ in hanc rem testimonia, quamvis aliquantò concisius adduxit, de suo addidit: *His apertè traditur, per circumcisionem ex quo instituta fuit, remissionem peccati originalis & actualis, parvulis & majoribus à Deo præstitam, sicut nunc per Baptismum datur.* Accedat etiã *Esthius*, ad cap. 4. Dom. observans, quod etsi non facilè quis reperiatur Augustino prior, qui in signaculo circumcisionis virtutem animas à peccato mundandi agnoverit, hæc opinio tamen post Augustinum, eoq; ut adparet Authore, multùm apud Latinos fuerit recepta. Plura his similia & aliorum, & ipsius Augustini testimonia adduci opus non est, cùm & pauca hæc in præsens sufficere possint lectori veritatis Evangelicæ studioso, ne de sinceritate & orthodoxiâ doctrinæ Augustini in hâc etiam Controversiâ dubitare cogatur, utpotè cujus testes non unos ex antiquis pariter & recentioribus habet, eosque non nisi majoris inter suos æstimii, & indè hic etiam non vilipendendos. lib. 4. dist. 1. lit. F.

Una nunc adhuc est super observatio, in gratiam augustissimi Doctoris non prætermittenda. Ut enim Bellarminus argumentũ Augustini & cæterorum ejus sequacium pro virtute & efficaciâ Sacramẽti circumcisionis porrò evertat, ad caput Exodi quartũ provocat, ubi Dominus Mosen occidere voluerit, quia filium suum non circumciderat. Pro confirmatione addit: *Quanquam Augustinus ostendere conatur, non Mosen ipsum, sed filium ejus in periculo fuisse ob incircumcisionẽ, res tamen est clarissima.* Fateor, præter Tertullianum ex antiquioribus, & aliquos Judæorum Doctores, perpaucos esse inter Christianos, quibus hęc Augustini sententia arrisit, plerisq; comunem fierentibus viam. Est tamen celebris nostrarum partiũ Theologus, maximâ cnm laude in Ecclesiâ Dei docens, qui pro hâc Augustini sententiâ non pauca advertit, lectori hic amicè comunicanda. Provocat autem laudatissimus scriptor ad antecedentia in citato capite Exodi quarto verba, quib⁹ Mosen in Ægyptum Dei jussu cum uxore & filiis tum adhuc incircumcisis profecturum Deus ita legitur adlocutus: *Quùm abeas & revertaris in Aegyptum, vide omnia miracula, quæ posui in manu tuâ, & facies ea coram Pharaone. Sed ego obfirmabo cor ejus, & non dimittet populum. Tum dices ad Pharaonem, sic dixit Iehova; Filius meus, primogenitus meus, est Israel; & dixi tibi, dimitte Filium meum ut serviat mihi. Sed tu renuisti dimittere eum. Ecce, ego interficiam filium tuũ primogenitum.* Ad hæc sacri textus verba laudatus scriptor sequentia monet: Hic verba omnia, quod sciam, omnes unanimi consensu interpretes de Pharaone loqui statuũt, in primis etiam ultima, in quibus dicitur, *Ecce, ego interficiam filium tuum primogenitum.* Verum enim verò, quod cum bona eorum veniâ dixerim, aliter sentio. Nam quemadmodum in hoc facilè consentio, quod usque ad posterius ultimi versus hemistichium de Pharaone loquantur, & gerendis coràm atq; cum eo, nec aliter intelligi possint; sic dicti posterioris hemistichii verba, *Ecce, ego interficio filium tuum primogenitum*, ad Mosen de primogenito ipsius filio dicta esse omninò statuo, coherentiã & sensum brevi hâc Paraphrasi exponens: *Et cum Moses jam in viâ esset cum uxore & filiis suis, dixit ad eum Dominus: Ecce, tu jam abis in Aegyptum cum uxore & filiis tuis, & quando veneris eò, omnia miracula, quorũ faciendorũ potestatem tibi jam dedi, facturus es coram Pharaone; nam omninò ista fient, sicut promisi, neq; meum mutabo verbum. Quumq; futurũ est, sicut tibi futurum prædixi, ut induretur justo meo judicio & sapienti permissione cor Pharaonis ab ipsomet Pharaone, impio homine, adeò, ut non dimittat populum, tu dicturus es illi, sic dixit Iehova: Filius meus, primogenitus meus, populus mihi tam charus, ô Pharao, est Israel, quàm tibi tuus est primogenitus, imò cujus omnes primogeniti Sacerdotes mei esse debent. Hunc filium meum jussi te dimittere, ut mihi serviat; tu verò renuisti dimittere &c. Hæc inquam, ô Moses, tu meo nomine locuturus es ad Pharaonem, meo nomine ipsi mandabis & exprobrabis; nec tamen interim curas, quid ipse facias, quando ne quidem primogenitum per tempus adeò longum circumcidisti, ut de recens nato nihil dicam. Num verò putas, me istud tolerare diutius posse, in hâc inprimis profectione & legatione tuâ, ubi summores esse poterit scandalo. Non sanè; Ecce enim, dico tibi, quod filium tuum primogenitum sim interfecturus, nisi eum sine morâ ulteriori circumcideris; faciamq; istud, ut te in posterum reddam cautiorem.* Addit, statuimus hoc propterea, *primo*, quia aliàs nulla videtur esse rerum cohærentia quoad antecedentia. Quem enim quæso in finem hic commodè subjecta dici possunt, quæ de miraculis in Ægypto perpetrandis, Pharaone obfirmando, & primogenito ejus interficiendo habentur? Quid pertinet hoc omne ad iter Mosis cum uxore & filiis; Non invenio apud comendatores quidquã, nisi quod ajunt, dicta esse hæc omnia ad confirmandũ Mosen, à Deo nimirũ, qui juxta eorundẽ sententiam Mosi mortẽ intentaturus erat. *Secundò*, quia aliàs nulla etiã est cũ cõsequentibus cohærẽtia. Nam vid. Th. Hacksp. ad h. loc. D. Seb. Schmid Tract. de Circumcis. p. 260. seqq.

Deus vel occurrit Mosi interfecturus eum, vel filio ejus. Si filio, intelligendus est hic per suffixum pronominale; & tamen non præmissa est ejus mentio, ut comodè pronomen eò respicere possit. Si Mosi, quomodò interficere eum voluit Dominus, quem modò de officio strenuè obeundo sine ullo iræ indicio adhortatus est? *Tertiò*, qui unius alicujus primogeniti fit mentio. Atqui Moses debeat Pharaoni dicere non de uno salutem primogenito, sed de omnibus per totam Ægyptum. *Quartò*, etiamsi in nostrâ sententiâ sit Ellipsis aliqua, illa tamen facilè ita suppleri potest: Tu dices Pharaoni, sic dixit Jehova, Filius meus, primogenitus meus est Israel; ideò dixi ad te, dimitte filium meum, ut mihi serviat, & renuisti dimittere eum. Sic tu exprobrabis Pharaoni, qui ipse tamen tecum habes filium tuum primogenitum, quem mihi non obtulisti per circumcisionem ad servitium meum; itaq; ego occisurus sum istum filium tuũ primogenitum. Et deinceps optima est tam cum antecedentibus, quàm cum consequentibus cohærentia. Nam quoad antecedentia satis manifestè adparet, quâ ratione Deus de Pharaone loquendi, quæ loquitur habuerit occasionem, & quem in finẽ ea dixerit, ut scilicet Mosen convinceret, quam malè hactenus fecisset, quod filium non circumcidisset, & quam justè interfecturus sit filium Deus, si non circũcideret eum. Quoad verò consequentia perspicimus erit nexus, quod & quare Deus, occurrerit filio Mosis, eum interfecturus. *Quintò*, prævalet etiam in hâc nostrâ sententiâ, quod in eâ manifestum fit, quâ ratione Zippora in cogitationẽ de circumcidendo filio descenderit; quia scilicet ex Mose perceperat, quod Deus esset cominatus, eum se interfecturum, nisi circumcidatur. Hinc illa de modo periculum avertendi satis certa fuit, & avertit illud; cùm mirum sit in sententiâ contrariâ, undè cognoverit Zippora, remedium adferri posse sive marito, sive filio per circumcisionem? Sed & aliæ evanescunt difficultates, quæ sic se habent, ut profecto non sine fundamento emergant, positis interpretum sententiis circa sequentem in Mose Textum: *Et fuit in viâ, in diversorio, & occurrit illi Iehova, & quæsivit eum interficere. Tum accepit Zippora cultrum, & amputavit præputium filii sui & projecit ad pedes ejus, & dixit, quoniam sponsus sanguinum tu mihi es.* In his verbis quantæ sint difficultates, videri potest non in Christianorum modo interpretum, sed & Ebræorum *R. Salomonis, Aben-Esræ, Rambamis* aliorumq; Comẽntariis; quæ facilè ex nostrâ dispellun-tur sententiâ, ita namq; jam fluent omnia: *Et fuit*, Moses, ad quem Dominus istud erat locutus, *in viâ, in diversorio*, h. e. quam-primùm pervenit in diversoriũ, cum paulò ante Mosis Zipporę cominationem divinam indicasset, *quùm occurrit illi*, primogenito Mosis filio, de quo Dominus ipsi dixerat, ecce, ego occido filium &c. *Iehova, & quæsivit*, sicut cominatus erat, *eum occidere. Tum verò Zippora*, quę hactenus impediverat circũcisionem, & adhuc dum in diversorio impedire conata fuerat, in summo hoc necessitatis casu, *adprehendit*, quem secum habebat, *cultrum, & amputabat præputium filii sui*, indignabũda tamẽ *projecit ad pedes* ejus, Mosis, inter quem & filium ejus distinctionẽ fecit scriptura per hoc, quod nomen filii expressè posuit, *& dixit, quia sponsus sanguinum*, ô Moses, *tu mihi es.* Subjungit pro ulteriori hujus Paraphraseωs confirmatione: Quod alii putant, de Mose sermonem esse, quem Dominus voluerit occidere, non sine ratione ab *Aben-Esra* & præcipuis Rabinorum negatur. Et sanè, quæ de morbo Mosis dicunt, nescio, quantopere displiceant. Aliud namque est, occurrere alicui ad interficiendum, aliud morbum immittere. Et adparet, quasi id tantum esset effectum ad excusandum Mosen. Potius dicẽdum est, quod Dominus puero occurrerit, quam-primum veniretur in hospitium, & ante-quàm circumcisio à Mose instituì posset commodè; vel quod mulier imperiosa Mosi circumcisuro adhuc dum restiterit, & puerum in suum receperit sinum, ubi verò Deus intervenerit rixis, occisurus in ipso matris sinu puerum, nisi illa circumcidisset festinabunda. Projecit autem mox ante Mosis pedes præputium, non sine indignatione quidem, simul tamen, ut & huic satisfaceret, ipsi præputium ostendendo, undè cognosceret, quod reverà filius esset circumcisus, nec ulla daret verba. Quod verò alii de minore natu filio Mosis, qui circumcisus hic sit, interpretantur, in nostrâ sententiâ literæ scripturæ, quæ expressè loquitur de primogenito, adversatur; & est aliquin sententia, quæ parum probabilitatis habet.

Hæc omnia laudatus ille scriptor & adhuc ibidem plura, ut ingeniosè satis & acutè, ita num sufficienter etiam & satis aptè ad firmandam & vindicandam *Augustini* sententiam contra non unas Bellarmini & aliorum objectiones & exceptiones, judicia rudi lector erudite; Ego enim nunc unà tecum ad *alterum* in posteriori vindiciarum capite oraculum ex Augustini authoritate pro Sacramentorum V. T. virtute & efficaciâ illustrandum me confero, quo Paulus de Mannâ Ebræorum & de Aquâ è Petris scaturiente scripsit: *eandem escam Spiritualem manducarunt, & eundem potum spiritualem biberunt &c.* Inter quatuor autem difficultates, quas argumentum ex his verbis desumtum habere scribit Bellarminus, quartam & ultimam esse dicit ex Augustino, ad hoc Apostoli oraculum observante, *Sacramenta Iudæorum & nostra fuisse quidem in signis diversa, in re autem*

1. Cor. 10.

autem, quæ significatur, paria; diversa specie visibili, paria virtute spirituali. Etsi autem hoc Augustini pro pari virtute & efficaciâ Sacramentorũ utriusq; Testamenti testimonium satis clarum & manifestum videatur, non tamen sua Glossâ illud prætermittere potuit, Bellarminus, de qualicunq; responso omni modo sollicitus. Hinc ausus est scribere, *Augustinum nusquam dicere, Sacramenta nostra & vetera esse paria quoad efficaciam, sed tantum quoad significationem seu rem significatam, quia nimirum eundem Christum omnia significent.* Et ubi ad loca augusti Doctoris parallela provocavit, de iis monuit & observavit, *ubiq; cum hoc repetere, diversa fuisse signa, & unam rem significatam, id est, Christum.* Postquam verò etiam accusavit Calvinum, quasi verba Augustini non integrè & bonâ fide adduxisset, pro cujus fide Evangelicorum non est respondere; aliam adhuc addidit Bellarminus observationem de Augustini sententiâ, *Ejus videlicet expositionem, quâ per eandem escam spiritualem intelligit significari, eadem esse Sacramenta vetera & nova quoad vim significandi, & indè illam escam esse dictam spiritualem; non esse quidem contra Papistas, non tamen esse necessariò sequendam.* Subjungit causam: Nam si per escam spiritualem intelligeremus escam spiritualiter intellectam, ut vult Augustinus, tunc soli eam justi manducassent; id quod fatetur Augustinus, & ideò notat Paulum dixisse, *Patres nostri*, non autem Patres vestri, quia loquebatur solùm de justis, qui nobis sunt similes; Christum verò dixisse, *Patres vestri manducaverunt Manna*, non Patres nostri, quia loquebatur Dominus de malis Judæis, qui non manducaverunt illam escam spiritualiter. At hoc repugnat verbis Apostoli, scribit contra Augustinum Bellarminus, qui ait, *Patres nostri omnes eandem escam spiritualem manducaverunt &c.* Et per omnes intelligit non omnes justos tantum, sed omnes absolutè, tam bonos, quàm malos, qui in deserto fuerunt, subjungit enim, *sed non in pluribus eorum beneplacitum est Deo*, & paulò ante dixerat, *Patres nostri omnes sub nube fuerunt, & omnes mare transierunt.* At certè non boni tantùm, sed etiam mali sub nube fuerunt & mare trãsierunt. Verior igitur est *Chrysostomi & Cyrilli Alexandrini*, & aliorum interpretum expositio. Nec mirum esse debet, si *Chrysostomum* in hujus loci expositione anteponamus Augustino; nam ille scripsit Comentaria ex professo in hanc Pauli epistolam, hic autem obiter explicuit hunc locũ in Comentariis in *Iohannem.* Libuit hoc Bellarmini responsum Augustini sententiæ oppositum utut aliquanto prolixius huc adponere, ut hoc etiam documento videat lector Augustini authoritatem maximi ex debito faciens, quam liberè Bellarminus, id quod ab aliis etiam scriptoribus Papæis solet fieri, ab Augustino discedat, licentiamq; sibi sententiam ejus deferendi sumat, utut aliàs, uti suis inservire videtur hypothesibus, magno cum adplausu ad ejus provocans authoritatem. Ne autem ulla augustissimo Doctori inferatur injuria, ipse propriis suam exponat verbis sententiã, Christi de semet ipso verba, *Hic est Panis, qui de Cœlo descendit*, sequentẽ in modũ explicans: *Hunc Panem significavit Manna, hunc panem significavit Altare Dei. Sacramenta illa fuerunt. In signis diversa sunt, sed in re, quæ significatur, paria sunt. Apostolum audi:* omnes eandem escam spiritualem manducaverunt. *Spiritalem utiq; eandem; nam corporalem alteram, quia illi Manna, nos aliud. Spiritalem verò, quam nos. Sed patres nostri, non patres illorum; quibus nos similes sumus, non quibus illi similes fuerunt. Adjungit,* & omnes eundem potum spiritalem biberunt. *Aliud illi, aliud nos; sed specie visibili quidem, tamen hoc idem significante virtute spirituali. Quomodo enim potum eundem?* Bibebant de spiritali sequente Petra; petra autem erat Christus. *Indè Panis, indè potus. Petra Christus in signo, verus Christus in verbo & in carne.* Alibi adhuc clarius Pater sanctus: *Mare rubrum significat Baptismum, Moses ductor per mare rubrum significat Christum, populus transiens significat fideles, mors Aegyptiorum significat abolitionem peccatorũ. In signis diversis eadem fides. Sic in signis diversis, quomodo in verbis diversis; quia verba sonos mutant per tempora, & utiq; nihil aliud sunt verba, quam signa, significãdo enim verba sunt. Tolle significationem verbo, strepitus est inanis. Significata ergò sunt omnia. Numquid non eadem credebant, per quos hæc signa ministrabantur, per quos eadem, quæ credimus, prophetata prænuntiabantur? Vtiq; credebant, sed illi ventura esse, nos autem venisse. Ideò & sic ait,* Eundem potum spiritalem biberunt; *spiritalem eundem, nam corporalem non eundem. Quid enim illi bibebant?* Bibebant enim de spiritali Sequente petrâ, petra autem erat Christus. *Videte ergò, Fide manente, signa variata. Ibi petra Christus, nobis Christus, quod in Altari ponitur. Et illi pro magno Sacramento ejusdem Christi biberunt aquam profluentem de Petrâ; nos quid bibamus, norunt fideles. Si speciem visibilem intendas aliud est, si intelligibilem significationem, eundem potum spiritalem biberunt.* Posterior hic locus tanquam parallelus optimè explicat priorem, quem *Gratianus* etiam Juri Canonico inseruit, juxta præscriptum Lemma demonstraturus, *quomodo Manna & aqua de Petrâ idem fuerit cũ nostro cibo & potu.* Ut mirũ non imeritò & hic videatur, ausum fuisse Bellarminum scribere, *Augustinum nusquam Sacramenta vetera & nova scribere paria esse*

Tract. 26. in Joh.

Joh. 6.

Tract. 45. in Joh.

c. Inquit. dist. 2. de Consecr.

quoad

quoad efficaciam, sed tantùm quoad significationem seu rem significatam. Quid enim, quæso, Augustinus potuisset dicere pro identitate Sacramentorum utriusq; Testamenti quoad efficaciam clarius, quàm quod ea *in re* dixit esse paria, eandem utriusq; adscribens *virtutem spiritalem*, apertissimè testatus, *eandem in signis utrobiq; diversis esse fidem, & signa fide manente variata?* Certè, si hæc identitatem virtutis & efficaciæ non sufficienter confirmant, nihil in posterũ amplius erit sufficiens. Est autem inconsequens planè consequentia, quam Bellarminus ex Augustini verbis, non ritè intellectis & adplicatis, nectere est conatus, scribens: *Si per escam spiritualem intellegeremus escam spiritualiter intellectam, ut vult Augustinus, tunc soli justi eam manducassent, id quod fatetur Augustinus &c.* Neque enim dixit sanctus Pater, Escam à Paulo spiritualiter intellectam vel spiritualiter intelligi debere, sed escam fuisse spiritualem verò, & spiritualem ab Apostolo dictam, sicut & potum, ob virtutem videlicet spiritualem, Fide adprehensam. Neq; etiam si id dixisset augustus Doctor, sequeretur, *solos eam justos manducasse, vel solos eum justos bibisse.* Notanter enim ipse Augustinus in antecedẽtibus paulò verbis distinxit *inter ipsum Sacramentum & inter virtutem Sacramenti.* Quia nec ritè intellexit Bellarminus mentem Augustini sermonem Christi & Pauli de Patribus vestris & nostris inter se conferentis, & ita quidem, ut scopum utriusque indicaret. De Christi scopo ita suam exponit
Joh. 6. mentem, sequentia ejus verba explicans: *Patres vestri manducaverunt in deserto Manna, & mortui sunt. Quare manducaverunt, & mortui sunt? Quia, quod videbant, credebant; quod non videbant, non intelligebant. Ideò patres vestri, quia similes estis illorum.* Et post aliqua: *Manducavit & Moses*, nimirum Manna, *manducavit & Aaron, manducavit & Phineas, manducaverunt multi, qui domino placuerunt, & mortui non sunt. Quare? quia visibilem cibum spiritaliter intellexerunt, spiritaliter esurierunt, spiritaliter gustaverunt, ut spiritaliter satiarentur. Nam & nos hodiè visibilem accipimus cibum; sed aliud est Sa-*
NB. *cramentum, aliud est virtus Sacramenti. Quàm multi de Altari accipiunt & moriuntur, & accipiendo moriuntur. Vnde dicit Apostolus, Iudicium sibi manducat & bibit.* Et iterũ post aliqua: *Patres ergò istorum, id est, mali patres malorum, infideles infidelium patres, murmuratores murmurantium patres. Nam de nullare magis populus ille Dominum ostendisse dicitur est, quàm contra Deum murmurando. Ideò & Dominus volens ostendere, eos talium esse filios, hinc ad eos: Quid murmuratis invicem murmuratores, filii murmurantium?* Patres vestri manducaverunt Manna, & mortui sunt; *non quia malum erat Manna, sed quia malè manducaverunt.* De Pauli scopo aliter Augustinus, quia Paulus ad alios scripsit: *Patres nostri, non illorum; quibus nos similes sumus, non quibus illi similes fuerunt.* Hæc si inter se ex debito ad mentem Augustini, vel potius juxta scopum Christi & Pauli conferantur, nulla erit inter Paulum & Augustinum repugnantia, ut Bellarminus quidem sed malè putat, vanitasque illius consequentiæ, quam ex ejus verbis, ut dixi, malè intellectis inconsequenter nectit Bellarminus, per se evanescet, ac identitas Sacramentorum utriusque Testamenti quoad virtutem eorum & efficaciam, certo quamvis gradu observato, clarè satis adparebit. In hujus rei gratiam & ad uberiorem ejus illustrationem juvat nunc superpondii loco adjicere, quod *Iohannes Gagnæjus* Sorbonista Parisinus, ante hoc seculum, Augustino quidem non nominato, attamẽ ad ejus mentem, oraculo Pauli ex Augustino hactenus enucleato & vindicato adposuit Scholion: *Admonet Corinthios Paulus, ne de Donis à Deo acceptis efferantur; futurum enim, ut per elationem hanc ac alia peccata his excidant donis, & à Christo ejiciantur, idq; exemplo Iudæorũ, quos, licet in figurâ, similibus tamen ab eo donis adfectos probat, sed hinc tamen ob sua excidisse delicta. Sicut enim in Spiritu S. & Aquâ baptizati servitutem veri Pharaonis excusserunt, Christi carne pasti & ejus sanguine potati sunt; ita Patres Iudæi excussa Pharaonis servitute & transgresso Mari rubro quodam-modo in Mari & Nube baptizati sunt, similitudinariè scilicet. Quod autem illis Nubes protegens, conducens ac refrigerans; id nobis Spiritus Sanctus, actionum nostrarum dux & protector, libidinumq; moderator & extinctor. Quod illis Mare, hoc Corinthiis & omnibus Christianis Aqua Baptismatis. Corinthii carnem Christi manducabant, illi figuram ejus Manna, quam spiritualem Apostolus vocat escam &c.* Accedere huc potest *Fromondus*, Professor non ita pridem Lovaniensis, qui explicationem Augustini posse locum habere agnoscit, Chrysostomi sententiam cum eâ conferens, quem Bellarminus tamen hic Augustino opposuit, id quod etiam documento est, Bellarminum Augustini verba non ad mentem ejus percepisse, & hinc cum Larvis hic pugnasse.

CAPUT VIGESIMUM & PRIMUM,
De
Charactere.

HOc nomen vel vocabulum secut Bellarminus dicit accepisse Scholasticos ab Augustino, cæteris ante eum Patribus vocabulo signi aut signaculi utentibus, cùm res tamen

men sit eadem; ita ubi ejus demonstrationem ex Augustino dare conatur, præter novem loca hoc inprimis testimonium verbotenus ex eo comendat, quo characterem hunc Sacramentalem probari posse nullus planè dubitavit, ubi sanctus Pater ita scripsit: *Satis eluxit Pastoribus Ecclesiæ Catholicæ toto orbe diffusæ, per quos postea plenarii Concilii authoritate originalis consuetudo firmata est, ovem, quæ foris errabat, & Dominicum characterem à fallacibus depræd atoribus suis acceperat foris, venientem ad Christianæ unitatis salutem, ab errore corrigi, à captivitate liberari, à vulnere sanari; characterem Dominicum tamen in eâ agnosci potius, quàm improbari.* Lib. 6 de Bapt. cap. 1. Ad hoc testimonium & cætera Augustini aliorumque Patrum loca illud solùm respondere posse censet Bellarminus, à Patribus, adeoque ab Augustino etiam, non vocari characterem seu signaculum id, quod ipsi Doctores Papæi dicunt, *sed externũ modo Symbolum*; Augustinum certè in sermone *de gestis cum Emerito* tria dicere, quæ valdè videantur huic solutioni favere. *Primò*, exterius characterem cognosci & agnitum adprobari. *Secundò*, quod, si Donatus in nomine Donati baptizaret, Donati characterem infigeret; ad Donati characterem in animâ infixum esse nullum posse. *Tertiò*, characterem esse ipsam Trinitatis invocationem, quæ fit in Baptismo, secundum ipsa Augustini verba: *Attendo fidem in nomine Patris, Filii & Spiritus Sancti. Iste est character Imperatoris mei. De isto charactere militibus, vel Comitibus suis potius, ut hunc imprimerent eis, quos castris ejus congregabant, præcepit, dicens: Ite, baptizate gentes in nomine &c.* Respondet autem Bellarminus, characterem apud Augustinum & alios Patres non posse externũ esse Symbolum seu Sacramentum. Nam *primò* eos dicere, hoc signaculum esse in animâ, non in corpore, ut *Cyrillus Hierosolymitanus*; vel esse spirituale, ut *Ambrosius*; vel opponere cauterio Circumcisionis, quod erat in corpore, ut *Epiphanius & Chrysostomus*; vel deniq; esse quandam consecrationem, ut *Augustinus*. *Secundò* eos dicere characterem hunc hærere & manere, id quod externo non conveniat Symbolo Augustino ita scribere: *Non minus Christiana hærent Sacramenta, quam Nota corporalis; cùm videamus, nec Apostatas illis carere, quæ propter ea illis respiscentibus non restituuntur, quia amitti non potuerunt.* lib. 2. contra Epist. Parmen. cap. 13. Idem alios habere Patres, qui dicunt esse sigillum indelebile, ut *Cyrillum* modò laudatum, *Nazianzenum*, & alios. Huc etiam spectare Augustini locutiones, ubi characterem dicit *infigi, imprimi, portari* & alia, quę in actionem transeuntem quadrare non possint. *Tertiò*, si Symbolum externum diceretur à Patribus character vel signaculum, omnia Sacramenta imprimerent characterem; omnia enim sunt externa Symbola promissionem obsignantia, & tamen nullus Patrum unquã per Eucharistiam dixit imprimi characterem. In specie ad loca Augustini in contrarium laudata Bellarminus respondet primò characterem posse exterius videri & cognosci, non in se, sed in suâ causâ. Cùm enim cognoscimus aliquem ritè baptizatum, simul cognoscemus infixum illi characterem, quia hic est effectus, qui semper & necessariò illam sequitur causam. Et quod hoc satis sit, patet. Nam actum etiam externum non videmus, postquam transiit. Quare nec de Symbolo externo Augustinus rectè potuisset dicere, illud videri & agnosci, quando ad Ecclesiam veniunt, qui ab hæreticis fuerant baptizati. *Secundò*, ad illud de charactere Donati, Augustinum loqui non absolutè, sed ex hypothesi. Voluisse nimirùm dicere, si Donatus in nomine suo posset Sacramẽta conferre, suum imprimeret characterem. Alioquin nõ ignorabat Augustinus, Baptismum in nomine Donati collatum non modo imprimere characterem in animâ, sed neque esse Sacramentum externum. *Tertiò*, invocationem Trinitatis & ipsum totum Symbolum externum dici posse characterem non impressum, sed imprimentem. Ut enim eadem Imago est in sigillo & in cerâ; sed imago sigilli est character imprimens, in cerâ autem est character impressus; ita Sacramentum externum ac præcipuè Sacramenti forma est character imprimens, cùm ad ejus collationem mox sequatur character in animâ, ac ex vi & impressione Sacramenti sequatur. Ad hoc tergeminum Bellarmini responsum in genere notandum venit ipsum characteris nomen sano intellectum sensu & Sacramentis adplicatum ob Augustini inprimis authoritatem non adeò ingratum esse Evangelicis. Quo autem sensu à Papæis, recentioribus pariter & antiquis adhibetur, accedente, præsertim Tridentino anathemate nimis diro & duro, cùm is neque ex S. Scripturæ oraculis, neque ex orthodoxæ Antiquitatis, & ex eâ Augustini testimoniis possit liquidò demonstrari, dissensus noster omninò ægrius ferri non debet. *Chemnitius* in examine hujus de charactere Decreti è *Biele*, notissimo inter Scholasticos scriptore, multa observavit notatu dignissima, nimirùm, dicere eum & probare, *vocabulum characteris, in eâ quidem significatione & sententiâ*, quam ex eo prolixè satis expressit, & quam post Tridentinam explicationem Bellarminus aliquot propositionibus illustravit, *nec in Scripturâ, nec in vetustis Scriptoribus Ecclesiasticis extare, ita ut nec ipse Lombardus mentio-*

mentionem characteris faciat, in tali quidem significatione & sententiâ. Addit pro confirmatione, *Quod Lombardus dicit, eos, qui ab hæreticis servato Christi charactere sunt baptizati, non esse rebaptizandos; intelligit formam verborum Baptismi à Christo traditam.*

NB. Quod ipsam verò rem attinet, eundem monere Bielem, *nec necessariam demonstrare rationem, nec evidentem Patrum authoritatem probare, talem esse ponendum characterem; Sententias enim, quæ ex Dionysio*, Augustino, *Damasceno & Lombardo adducuntur, ferè & magis pertinenter ad Authorum mentem de ipso Baptismi Sacramento exponi, aut de formâ sacramentali, quàm de aliquo realiter animæ impresso charactere.* Declaratis porrò illis Patrum sententiis Bielem repetere, *neque authoritates sacræ scripturæ, neque sanctorum Patrum cogere, ut ponatur talis character ad hunc intellectum, quo à recentioribus accipiatur Doctoribus; & rationem nullam esse necessariam, quæ demonstret, talem esse seu imprimi characterem. Omnia enim, quæ ei attribuuntur, æque solvi posse sine charactere, quàm cum eo. Item illa, quæ characteri tribuuntur, inveniri in Eucharistiâ & in cæteris, quæ characterem non imprimunt.* Tandem concludere, *omnes, quæ adducuntur, rationes, esse persuasiones, non ex necessariis procedentes; & quæ de charactere dicuntur, pro magnâ parte esse voluntaria, & modicâ ratione fulciri. Illam quoque rationem, quæ præcipuè scholasticos ad ponendum characterem movit, quod nimirum Baptismus non sit iterandus, non esse necessariam; cùm initerabilitatis Sacramentorum principalis ratio non sit impressio characteris, sed sola Institutio Divina. Et minus manifestum esse, esse characterem, quàm non posse iterari Baptismum; hoc enim à tempore Institutionis fuisse certum, illud verò ne hodiè quidem evidenter esse certum.* Bellarminus quod his à *Biele* monitis opponat, habuit nihil, ideò pleraque tristi prætermisit silentio, duo tantum ex eo observans, *primum*, dubitasse eum, an Ecclesia id definierit, *quod nimirum de charactere docetur*, & quod Tridentini Patres sub anathematis fulmine definierunt; & tamen dicere, esse præsumtuosum negare characterem. *Alterum*, rationem ejus, *quod videlicet Institutio Divina sit causa, cur quædam Sacramenta iterari possint, quædam non possint*, parùm valere; non enim sine magnâ ratione Deum prohibere rem tam utilem repeti. Inter & post alios plures hanc Controversiam tractantes *Vasquez* sequenti responso *Bielis* monita eludere & elidere se posse existimavit: *Quamvis Gabriel, Occam & Scotus contendant, nihil ex Patribus vel ex scripturâ probari posse de charactere, id tamen verum non est. Fateor tamen, Testimonia, quæ adduci solebant à scholasticis tempore Scoti & Gabrielis, nullius esse momenti, ut ipsi apertè ostendunt.* Dum Biel nunc ad manum non est, juvat *Scotum* consulere, an is de aliis Augustini pro charactere testimoniis, quàm quæ à Bellarmino & *Vasquezio* adducuntur, fuerit locutus, adeoque num Vasquezii exceptio aliquem possit habere locum? Is igitur in quartum sententiarum, ubi ostendit, authoritates, quæ pro charactere ex *Dionysio*, qui communiter Areopagita dicitur, & cui opus Ecclesiasticæ Hierarchiæ cum aliis adscribi solet, ut & ex *Damasceno* adducuntur, *viderit tantum esse vocales, & non ad intentionem eorum*, de Damasceni nominatim authoritate duplici testatus, *valde ineptè eam adduci & nihil valere*, addidit; *Hoc etiam confirmatur, quia Augustinus, qui tantum tractavit ex intentione de Baptismo, utpotè in sexto libro contra Donatistas de Baptismo, & in uno Volumine de unico Baptismo, & præter hæc multa super Iohannem, & aliqua in aliquibus, capite de Fide ad Petrum, non tacuisset de charactere, si ipsa* (forsitan, ipsi) *fuisset immediatus & necessarius Baptismi effectus. Et si dicas, non negat*, nimirum Augustinus. *Respondeo, ad propositum sufficit, quod non adfirmet; quia tantæ investigationis supponitur, quod si character fuisset proxima res Baptismi, alicubi expressisset. Tunc autem in Baptismo non distinguit, nisi Sacramentum, hoc est, aliquid visibile extra, & rem Sacramenti, scilicet gratiam; nec unquam fictum dicit recipere aliquam rem Sacramenti; sed tantum Sacramentum, nec unquam initerabilitatem Baptismi ostendit propter talem impressum characterem.* Addit in genere de authoritatibus Patrum: *Consimiliter etiam, de Consecratione, distinctione quartâ colliguntur authoritates sanctorum de Baptismo, nec videtur verisimile, quod nullus eorum locutus fuisset de charactere, si fuisset effectus Baptismi ita necessarius; & quod videtur multum ponderis habere, Magister sententiarum nusquam de charactere illo secundum istum intellectum locutus est, cùm tamen ipse diligenter authoritates sanctorum de Materiis, quas tractat, compilaverit.* Et in quæstionibus, quas reportationes vocant, super eundem librum: *Non invenitur in scripturâ character ad istum intellectum; sed in uno loco character Bestiæ*, (Apoc. 13.) *nec etiam invenitur hoc in Fide, neque in dictis Augustini, qui tamen mirabiliter multum loquitur de istâ materiâ; sed dicit Augustinus, aliquando suscipit Sacramentum, & non rem.* Et post aliqua: *Augustinus tertio contra Donatistas libro tres dicit characteres, sed capit ibi characterem pro Baptismo.*

in 3. part. Tom. II. Disp. 134. num. 20.

dist. 6. qu. 9.

dist. eâd. qu. 8.

Baptismo. Vnde nihil est ad propositum, ubicunque inveni Augustinum loqui de charactere. Vide lector optime & judica, an *Vasquez* de Scoto rectè scripserit, ad alia eum Augustini testimonia de charactere respectum habuisse, quàm quæ ad ejus confirmationem hodiè laudari solent?

CAPUT VIGESIMUM & SEPTIMUM,
De
Numero Sacramentorum.

NOn attentis hic iis in specie testimoniis, quæ Bellarminus ad demonstrationem quinque Sacramentorum, ab Evangelicis nondum hactenus receptorum, neq; recipiendorum, sicut ex aliis Patribus, ita ex Augustino etiam adduxit, quia in posterum iterato sub examen singulari tractatione recurrent; hinc in antecessum illo tantum ex antecedentibus observato, Augustinum ut & cæteros Ecclesiæ Doctores plerosque, vocabulo Sacramenti in sensu ampliori usos esse, quod supra ex *Chemnitio* pluribus ostensum fuit exemplis, & ipse Bellarminus agnoscere debuit, ubi, nescio, contra quem, operosè demonstravit, Lotionem pedum non esse Sacramentum, ingenuè fassus, *multa à veteribus*, præter illa septem, quæ Papæi numerant, *dici Sacramenta, & Augustinum in specie signum crucis vocare Sacramentum, eas item ceremonias, quæ ante Baptismum fiunt, dicere Sacramenta, Panem quoque benedictum, qui olim Catechumenis dabatur, adpellâsse Sacramentum*; Id ante omnia inprimis est notandum, quod Bellarminus ad numerum Sacramentorum septenarium ex orthodoxâ antiquitate in terminis demonstrandum, neque Concilii alicujus antiquioris decreto, neque ullius antiqui patris, adeoque nec Augustini testimonio, per integra duodecim secula usus sit vel uti potuerit, solo ex his *Lombardo*, ex illis autem Conciliis *Florentino & Tridentino* contentus, eomet ipso novitatem hujus numeri Sacramentalis agnoscens. Et cùm pro numero binario, pro quo tamen non tanquam pro Aris pugnant & foris Evangelici, contra septenarium anathemate Tridentino munitum, & scripturæ & Ecclesiæ Doctorum, interque eos Augustini authoritate pugnetur, neque ibi satis officio facere potuit, quo minus ex hac etiam parte Augustinus Veritatis Evangelicæ testis audiret. Scripturæ testimonium, quod pro Sacramentorum binario ex Augustini sententiâ quasi adfirmativam urgeri scribit Bellarminus, exhibet *Sanguinis & Aquæ ex latere Christi in cruce mortui fluxum*, quem præter alios Patres Augustinus etiam de Eucharistiâ & Baptismo intellexit. Bellarminus duo indicat loca, in quorum uno sequentia leguntur: *Dormit Adam, ut fiat Eva; moritur Christus, ut fiat Ecclesia. Dormienti Adæ fit Eva de latere, mortuo Christo latus lanceâ percutitur, ut profluant Sacramenta, quibus formetur Ecclesia.* In altero autem hæc: *Adscendat sponsus noster thalami sui lectum, dormiat moriendo, ejus aperiatur latus, & Ecclesia Virgo prodeat, ut quomodo Eva ex latere Adami dormientis facta est, ita & Ecclesia formetur ex latere Christi in cruce pendentis. Percussum est enim latus ejus, ut Evangelium loquitur, & statim manavit sanguis & aqua, quæ sunt gemina Ecclesiæ Sacramenta. Aqua, in quâ sponsa est purificata; Sanguis, ex quo invenitur esse dotata.* Non ausus est Bellarminus horum Augustini testimoniorum adscribere tenorem, utpotè nimis expressum & clarum, quem nullo obscurare potuisset responso. Multò minus alia ejus plura de hoc fluxu testimonia ausus est citare, ne nimis manifestanter ita sensisse videri potuerit augustus Pater, qui alibi etiam id confirmavit, eundem ferè in modum scribens: *Adam, qui erat forma futuri, præbuit nobis magnum Sacramenti indicium, imò Deus in illo præbuit. Nam & dormiens meruit accipere uxorem, & de costâ ejus facta est ei uxor; quoniã de Christo dormiente in cruce futura erat ecclesia de latere ejus, de latere scilicet dormientis, quia & de latere in cruce pendentis lanceâ percusso Sacramenta Ecclesiæ profluxerunt.* Iterùm alibi, Arcam Noahi tanquam Christi & Ecclesiæ figuram explicans, hæc habet: *Quod ostium Arca in latere accepit, profectò illud est vulnus, quando latus crucifixi lanceâ perforatum est; hâc quippe ad illum venientes ingrediuntur, quia indè Sacramenta manarunt, quibus credentes initiantur.* Bellarminus nihil aliud respondere potuit, nisi ut concederet, non malè ita exponi posse hunc Johannis locum, atque ita exponere Græcos ferè omnes; non tamen ea propter cætera excludi Sacramenta, solùm enim duo hæc esse posita, quia sint magis communia & magis principalia & ex illis posse idem fieri de cæteris judicium. Præterea, non esse necessarium, illam sequi expositionem, alios enim æquè magnos expositores, *Cyrillum* videlicet Hierosolymitanum & Hieronymum intelligere *per sanguinem & aquam significata esse duo Baptismata, unum in sanguine, id est, Martyrum, aliud in Aquâ*; Ambrosium verò, Leonem Magnum, ipsum quoque Augu-

Joh. 19.

Tract 9. in Joh.

lib. 2. de Symb. ad Catech. cap. 6.

Tract. 15. in Joh.

lib. 15. de Civit. Dei cap. 26.

stinum ac Bedam, intelligere *per sanguinem, redemtionis pretium, per Aquam verò Baptismum*, & videri hanc maximè literalem expositionem, ut nimirùm intelligamus, *ex Christi latere Baptismum fluxisse, qui omnem vim suam ex Christi sanguine habet.* Atqui, cæteris omnibus sepositis, quæ ad ipsius Johannæi textûs illustrationem pertinent, Augustinus in ejus sensu exponendo sibimet ipso non est cõtrarius, neque diversas super eo habet sententias, multò minus contrarias, cùm quæ de *redemtionis pretio* habet, quod per sanguinem vult intellectum, Sacramentum eucharistiæ non excludant, sed potius includant, id tanquam medium hujus pretii adplicativum & confirmativum non obscurè subintelligens, id quod *Iohannes Ferus* in suis ad hunc locum Adnotationibus, utut Augustino non laudato, egregiè ostendit, scribens: *Hic effluxus & miraculose contigit, & magnum præfiguravit Mysterium. Sanguine enim redimimur, Aquâ autem abluimur. Tam redemtionẽ igitur, quàm ablutionem nobis attinet mors Christi. Observandum autem, quod nec solus sanguis, nec sola exivit aqua; nihil enim posset aqua sine sanguine, nec quidquã prodesset, nos esse redemtos, si permaneremus, quales prius eramus, & non etiam abluemur. Vt ergo esset, undè à peccatis lavaremur, aqua, quæ corporales tantùm abluit sordes, sanguini, qui pretium nostræ redemtionis est, sociata, ex ejus societate virtutem sumsit, ut ad abluendas invisibiles peccatorum sordes digna sit cooperari Sancto Spiritui. Sanguis igitur & aqua, duo certissima fidei nostræ & Ecclesiæ Sacramenta sunt, nempè Missa & Baptismus. Sanguis effusus est in remissionem peccatorum, & Baptismus est institutus in remissionem peccatorum. Tam magna salus ex hoc vulnere Domini nobis profluxit, per hæc enim duo Ecclesia est ædificata. Nam per Aquam regeneramur, sanguine nutrimur.* Hæc Ferus verè ad mentem Augustini, cujus insuper Verba, ad quæ Bellarminus respexit, quasi aliam in eis sententiam à priori diversam, de aperto Christi latere, sanguinisque & aquæ fluxu habuisset, eadem quæ in prioribus exhibent: *Vigilanti verbo Evangelista usus est, ut non diceret, latus ejus percussit, aut vulneravit, aut aliud quid, sed aperuit, ut illic quodammodo vitæ ostium panderetur, undè Sacramenta Ecclesiæ manaverunt, sine quibus ad vitam, quæ vera est vita, non intratur. Ille sanguis in remissionem fusus est peccatorum, aqua illa salutare temperat poculum, hæc & lavacrum præstat & potum. Hoc prænuntiabat, quod Noah in latere Arcæ ostium facere jussus est, quà intrarent animalia, quæ non erant Diluvio peritura, quibus præfigurabatur Ecclesia. Propter hoc prima mulier facta est de latere Viri dormientis, & appellata est vita mater que vivorum; magnum quippè significavit bonum ante magnũ prævaricationis malum. In habitu jacentis & dormientis hic secundus Adam inclinato capite in cruce dormivit ut inde ei formaretus conjux, quod de latere dormientis effluxit.* Ethæc de scripturæ testimonio pro Sacramẽtorũ binario ex Augustini sententia, in quam si ulteriùs inquiramus, sicut supra ex Chemnitio prolixè est ostensum, quam variè Augustinus & quam latâ significatione Sacramenti vocabulo usus sit, ita hic omninò ex eodem repeti debet, Augustinum plura quidem numerare Sacramenta, ut tamen primo, illustri, præcipuo, peculiari & distincto posuerit loco Baptismum & eucharistiam, duobus testimoniis sequentibus id satis apertè significantibus, ex quibus primum hoc est: *Panem pro multis, eaque factu facillima, & intellectu augustissima, & observatione castissima ipse Dominus & Apostolica tradidit Disciplina, sicuti est Baptismi Sacramentum & celebratio corporis & sanguinis Domini.* Alterum: *Dominus noster IESVS Christus in Evangelio Sacramentis numero pauci ssimis, observatione facillimis, significatione præstantissimis, societatem novi populi colligavit, sicuti est Baptismus Trinitatis nomine consecratus, Communicatio corporis & sanguinis ipsius, & si quid aliud in scripturis Canonicis commendatur.* Bellarminus quidem ad duo hæc testimonia respondet, Augustinum in illis non dicere, duo tantùm esse Sacramenta, sed duo tantùm ponere exempli loco, particulam *sicut* enim apertè id indicare, quin & simul plurà, quàm hæc duo esse, aliis insuper accedentibus locis parallelis, iis præsertim, *ubi aliorum quoque Sacramentorum, quàm duorum tantùm materiæ nominantur.* Sed nihil hæc obsunt, quò minus fixum maneat, Augustino hæc duo Sacramenta, utpotè non semel copulata, ac in specie præ aliis, quæ latiori sensu ita dicebantur, insigniter commendata, pro præcipuis fuisse habita. Et quæ ante cætera hoc elogium mereantur. Certè si illo jam tempore numerus obtinuisset septenarius, aut si ea, quæ hinc indè Sacramenta dixit, omnia agnovisset esse Sacramenta propriè sic dicta, non potuisset dicere *numero paucissima, vel promultis pauca*, quæ credere faciunt, Augustinum cætera, quæ hic & ibi in scriptis ejus occurrunt, non tam pro Sacramentis, quàm pro Sacramentalibus ceremoniis habuisse. Et dum Bellarminus neque ex Augustino, neque ex alio Ecclesiæ Doctore ante & post Augustinum usque ad *Lombardum*, duodecimi demùm seculi Authorem hujus numeri expressum definitionem potuit ostendere, ipse etiam Lombardus

Tract. 120. in Joh. cõf. Ennar. in Psal. 40.

Lib. 3. de Doctr. Christ. cap. 9.

Epist. 118. ad Jan.

bardus nullius ante se scriptoris Ecclesiastici authoritatem ad hujus numeri certitudinem potuit laudare, novitas ejus merito Evangelicis & suscepta, & eò magis quidem, quo majori impetu eum Tridentini Patres Ecclesiæ, contra antiquam consuetudinem, & quod antehàc per sesqui mille Annos nulla synodus unquam fuit ausa, sub anathematis fulmine obtruserunt, non tamen apud omnes id, quod voluerunt, obtinentes, Evangelicis adhuc per DEI gratiam in pristinâ libertate stantibus, inque eorum Sacramentorum usu, quæ citra omne dubium agnoscunt Authorem & Institutorem Christum, omninò contentis.

CAPUT TRIGESIMUM & SECUNDUM,
De
Ceremoniis Sacramentorum.

AGnoscit Bellarminus, fateri Evangelicos, necessarias esse aliquas ad Sacramentorum administrationem ceremonias, præter eas quibus essentia Sacramentorum continetur; eas autem ceremonias esse adhibendas, quæ in scripturâ habent vel mandatum, vel exemplum, videlicet pro imitatione commendatum; quin & posse Ecclesiam de iis, quæ habentur in scripturis, certum ordinem & modum aliquem statuere, quo nimirùm observandæ sint, ne oriatur confusio. Etsi autem insufficiens hæc videri possit enumeratio partium sententiæ Evangelicorum de Sacramentorum ceremoniis, grata tamen est hæc adversarii confessio, ne videlicet omnes videamur contemnere ceremonias in Ecclesia olim usitatas, quibus mediam servare viam in hâc etiam quæstione videtur tutissimum, ex unâ nimirum parte fugientibus eorum austeritatem, qui omnes omninò Ceremonias contemnunt, in defectu peccantes; ex alterâ autem è contrario eorum nimiam facilitatem, qui omnes admittendas censent, sub certâ quâdam Divini cultus specie commendatas, in excessu peccantes. Quamvis etiam existimet Bellarminus, injuriam fieri Doctoribus Papæis, dum multa in ceremoniis eorum ab Evangelicis dicit reprehendi, quæ mendacia tantum sint, non dogmata; ex subjectis tamen ab eo diversis sex propositionibus, quibus Ecclesiæ Romanensis doctrinam complexus est, adparet, multùm eos hic etiam ab orthodoxę antiquitatis sententiâ discessisse, inprimis quod Augustini authoritatem attinet, quæ hic quam-maximè ex instituti ratione attenditur. Nam quod aliquas ex ceremoniis Sacramentalibus *vim habere spiritualem* scribit, quod etiam insuper statuit, *posse Ecclesiam novas instituere ceremonias, non quidem ad impium justificandum, sed tamen ad alios effectus spirituales, & quod institutæ ab Ecclesiâ ceremoniæ non possint omitti sine peccato, imò quod ceremoniæ non sint res indifferentes, sed utiles, meritoriæ, & pars quædam cultûs divini*, præter quia & contra sensum & mentem antiquorum Ecclesiæ Doctorum, adeoque & Augustini dicuntur & defenduntur, occurrunt quidem hic & ibi in dictarum Bellarmini propositionum explicatione aliquâ veterum, & hinc etiam Augustini testimonia, quæ tamen, dum de hujus & illius in specie Sacramenti ceremoniis agunt, commodius ad speciale eorum examen reservantur. Nunc illud solum Augustini testimonium restat vindicandum, quod eam continet querelam, quâ suo jam tempore aliquos Ecclesiam multitudine ceremoniarum oneràsse scripsit, ut tolerabilior ei visa fuerit Judæorum conditio; id enim Bellarminus eripere conatur Evangelicis, observans, *Augustinum loqui de ceremoniis, quas privati homines & Mulierculæ inprimis sibimet ipsis imposuerint.* Epist. 119. cap. 19.

Ut quid de ipso Augustini testimonio & Bellarmini responso sit habendum, lectori constet, ex laudatâ & antecedente ejus Epistolâ quædam repeti debent multum profutura. In priori quidem interrogatus à Januario sanctus Pater de ceremoniâ quâdam Sacramentali Eucharisticâ postquam ipsos ritus Sacramentales novæ legis tanquam extra omne dubium ideò, quia ab ipsomet Christo præscriptos commendavit observandos, verbis ad præcedentem Controversiam laudatis & contra Bellarminum vindicatis, duplex adhuc ceremoniarum Ecclesiasticarum genus descripsit, inque sequentes duas divisit classes; *Illa quæ non scripta*, sed tradita custodimus, quæ quidem toto terrarum orbe “ observanrur, dantur intelligi vel ab ipsis Apostolis, vel plenariis Conciliis, quorum est in “ Ecclesiâ authoritas saluberrima, commendata atque statuta retineri, sicut, quod Domini “ Passio, & resurrectio & Adcensio in cœlum, & Adventus de cœlo Spiritus Sancti, anniversariâ solennitate celebrantur, & si quid aliud tale occurrit, quod servatur ab universa, “ quacunque se diffundit, Ecclesiâ. Alia verò, quæ per loca terrarum regionesq; variantur, sicut est, quod alii jejunant Sabbatho, alii verò non; alii quotidiè communicant corpori & sanguini Dominico, alii certis accipiunt diebus; alibi nullus intermittitur dies, quo “ non obferatur, alibi Sabbatho tantùm & Dominico, alibi tantùm Dominico, & si quid “

„ aliud hujuscemodi potest animadverti, totum hoc genus rerum liberas habet observa-
„ tiones, nec ulla est in his melior gravi prudentique Christiano disciplina, quàm ut eo
„ agat modo, quo agere viderit Ecclesiam, ad quamcunque fortè devenerit. Quod enim
„ nec contra fidem, nec contra bonos mores injungitur, indifferenter est habendum, &
„ pro eorum inter quos vivitur, societate servandum. *Et ne sanctus Doctor solus ita sen-*
„ *sisse videatur, ad Ambrosii consensum & authoritatem provocat, sequentem memorans de*
„ *eo & matre historiolam:* Mater mea mediolanum me secuta, invenit Ecclesiam Sabba-
„ tho non jejunantem. Cœperat perturbari & fluctuare, quid ageret, cùm ego talia
„ non curabam? Sed propter ipsam consului hâc de re baptismi memoriæ Virum *Am-*
„ *brosium.* Respondit, se nihil docere me posse, nisi quod ipse faceret, quia si melius nos-
„ set, id potius observaret. Cumque ego putassem, nullâ ratione redditâ, solâ autho-
„ ritate suâ voluisse nos admonere, ne Sabbatho jejunaremus, secutus est, & ait mihi:
„ *Cùm venio Romam, Sabbatho jejuno; cùm hic sum, non jejuno. Sic etiam tu, ad quam*
„ *fortè Ecclesiam veneris, ejus morem serva, si cuiquam non vis esse scandalo, nec quenquam*
„ *tibi.* Hoc cùm Matri renuntiassem, libenter est amplexa. Ego autem de hâc sen-
„ tiâ etiam atque etiam cogitans ita semper habui, tanquam cœlesti eam oraculo su-
„ scepissem. Sensi enim sæpè dolens & gemens, multas infirmorum perturbationes fieri
„ per contentiosam quorundam fratrum obstinationem & superstitiosam timiditatem,
„ qui in rebus hujusmodi, quæ nec scripturæ sanctæ authoritate, nec universalis Eccle-
„ siæ traditione, nec vitæ corrigendæ utilitate ad certum possunt terminum pervenire,
„ tantum quia subest qualiscunque ratiocinatio cogitantis, aut quia in suâ sic ipse consue-
„ vit patriâ, aut quia ibi vidit, ubi peregrinationem suam, quo remotiorem à suis, eo do-
„ ctiorem putat factam, tam litigiosas excitant quæstiones, ut, nisi quod ipsi faciunt, nihil
„ rectum existiment. *In posteriori ad eundem Ianuarium Epistolâ de eâdem quæstione hac*
„ *notatu & quam-maximè observatu digna habet Doctor augustus:* Miror, quid ita vo-
„ lueris, ut de iis, quæ variè per diversa observantur loca, tibi aliqua conscriberem; cùm
„ & non sit necessarium, & una in his saluberrima regula sit retinenda, ut quæ non sunt
„ contra Fidem, nec contra bonos mores, & habent aliquid ad exhortationem vitæ
„ melioris, ubicunque instituti videmus, vel instituta cognoscimus, non solùm non im-
„ probemus, sed laudando etiam & imitando sectemur, si aliquorum infirmitas non ita
„ impedit, ut amplius sit detrimentum: Si enim eo impediat modo, ut majora studiorum
„ lucra sint speranda, quàm detrimenta calumniatorum metuenda, fine dubitatione
„ faciendum est, maximè illud, quod etiam de scripturis defendi potest. *Et post aliqua:*
„ Hoc nimis doleo, quia multa, quæ in Divinis libris saluberrima sunt præcepta, minus
„ curantur, & tam multis præsumtionibus sic plena sunt omnia, ut gravius corripiatur, qui
„ per octavas suas terram nudo pede tetigerit, quàm qui mentem violentiâ sepelive-
„ rit. Omnia itaque talia, quæ neque sanctarum scripturarum authoritatibus conti-
„ nentur, nec in Conciliis Episcoporum statuta inveniuntur, nec universæ Ecclesiæ con-
„ suetudine roborata sunt, sed diversorum locorum diversis moribus innumerabiliter va-
„ riantur, ita ut vix, aut omninò nunquam inveniri possint causæ, quas in eis instituen-
„ dis homines sunt secuti, ubi facultas tribuitur, sine ullâ dubitatione existimo resecanda.
„ Quamvis enim neq; hoc inveniri possit, quomodo sint contra fidem; ipsam religionem
„ tamen, quam paucissimis & manifestissimis celebrationum Sacramentis Misericordia
„ DEI liberam esse voluit, servilibus premunt oneribus, ut tolerabilior sit conditio Judæ-
„ orum, qui etiamsi tempus libertatis non agnoverint, legalibus tamen sarcinis, non hu-
„ manis præsumtionibus subjiciuntur. Sed Ecclesia DEI inter multam paleam, multa-
„ que Zizania constituta multa tolerat, & tamen quæ sunt contra Fidem vel bonam vi-
„ tam, non adprobat, *nec tacet, nec facit.* Hæc Augustini & Ambrosii monita, à *Gra-*
tiano etiam Juri Canonico inserta, multum hodiè possunt inservire, ubi de Ceremoni-
arum Ecclesiasticarum inter Evangelicos varietate agitur, utpotè quæ non rarò & sim-
plicioribus rerum inexpertis, & qui externa magis, quàm interna solent attendere, alicu-
jus scandali causam præbent, dum hic & ibi non omnia iisdē in Ecclesiâ ritibus agi vident,
& hostes insuper à diversitate ceremoniarum ad dissensum in ipsis Fidei capitibus incon-
sequenter nimis argumentari faciunt, imò, quod experientiâ constat, Apostatæ etiam
non rarò hanc discessus sui ab Evangelicorum cœtibus ansam audeant prætexere, quod
cultus publici rationem non ubivis eandem observaverint, rem hanc non nisi suspectam
& causæ non adeò bonæ indicinam putantes; quod omne scandalum facili operâ posset
evitari, si hæc sancti Patris augustissimique Doctoris hausta ex ore *Ambrosii* monita & o-

racula

racula ad animum vocarentur, idq; etiam debitâ cum adplicatione observaretur, quod celebris hodiè scriptor adversariæ partis, *Honoratus Fabri*, in rem hanc satis accommodatè scripsit: *Quod pertinet ad Sacros ritus, non nego, aliquos fuisse mutatos, pro diversâ temporum ratione. Cùm enim usus illorum liber Ecclesiæ sit relictus, non video, cur diversos diversis temporibus præscribere nequeat. Nempè, dum maneat integra Divinarum, quas Christus reliquit nobis, institutionum substantia; quidni exterius quasi indumentum, prout ratio postulat, aliquando mutetur?* De unâ Fide, lib. 2. Propos. 9. pag 132. Etsi enim verba hæc de diversitate ceremoniarum quoad circumstantiam temporis agant, aptissimè tamen ad circumstantiam loci etiam referri possunt, imò debent juxta monitum *Ambrosii*, quod Augustinus oraculi instar se habuisse & Matri scandalum aliquod super diversitate ceremoniarum Ecclesiæ Mediolanensis & Romanæ patienti commendasse scripsit. Neque Papæi in specie habent, ut de diversitate ceremoniarum inter Evangelicos conquerantur, dum modò doctrinæ ejusdem systema integrum maneat, ipsis de cæterò tantis ceremoniarum in orthodoxâ Antiquitate ignotarum cumulis simpliciorum animos obruentibus, ut plus de illarum, quàm legum divinarum observatione esse solliciti cogantur, ac multò rigorosius puniantur, qui illas, quàm has transgrediuntur, quod Augustinus quoque inter sui temporis gravamina non immeritò retulit, ac hodienùm ob Pharisaismum hunc à Christo etiam graviter castigatum, omnes in Ecclesiâ Papæo-Romanâ locos occupantem, referri ante omnia debeat & possit. Et nihili est omnino, quod Bellarminus objicit vel excipit, ne querela Augustini locum habeat aut ad hæc tempora commodè accomodari possit, *loqui eum de ceremoniis, quas homines privati, & mulierculæ inprimis, sibimet ipsis imposuerint*; cùm integer Augustini textus apertissimè ostendat, agere eum de ceremoniis in quavis Ecclesiâ particulari publicis & publicâ consuetudine receptis. Laudatos equidem modò scriptor adversarius rem hanc sequenti modo studet emollire: *Scio, non-nullas superstitiones à non-nullis imprudenter induci, captatâ scilicet occasione ab aliquo ritu sacro. Scio, non-nulla per simplicitatem admiseeri, quæ aliqua indigerent emendatione. Sed aliquid simplicium pietati indulgendum, præterquam quod id sacris ritibus tribuendum non est, quod à non-nullorum imprudentiâ & simplicitate profectum est.* l. cit. Sed valdè dubito, an emplastrum hoc vulneri curando aptum sit & idoneum, & num indulgentia hic circa superstitiosam simplicitatem & imprudentiam, quæ utramque, ut notum est, paginam implet, locum habere possit; præterquam, quod non pauci ritus superstitiosi, quibus animi simpliciorum occupantur, & quorum incongruentiam ob stuporem & imprudentiam non advertunt, publicâ authoritate & longâ consuetudine sint recepti, & eo quidem cum Elogio, quod idem scriptor post alios non veritus est eis in genere nullis planè exceptis adscriberé: *Unum adsero, nullum esse ritum ab Ecclesiâ Romanâ toti Ecclesiæ præscriptum, qui cum rectâ ratione* (cur non cum Verbo DEI & analogiâ Fidei?) *non consentiat.* Et iterum: *Id unum adsero, nullum esse, modò administretur rectè, qui ad religionem DEI, cultum non inducat.* Atqui & gentilium ritus & ceremoniæ ad aliquam religionem Deique cultum homines induxerunt. Hic autem non sermo est de quacunque religione vel qualicunque cultu DEI, sed de religione verâ & salvificâ, eoque DEI Trinunius cultu, quem in verbo nobis revelato clarè satis indicatum habemus, àque Ecclesiâ antehàc orthodoxâ, per aliquot secula, inter gravissimas tam ab hæreticis, & schismaticis, quàm à Tyrannis persecutiones, DEI ejusdem gratiâ conservatum scimus, ad quem nos operâ Reformationis, Lutheri cœlitùs animati ministerio cœptæ & hactenus per successores continuatæ reductos esse, non immeritò gloriamur, Deoque soli debitas pro insigni hoc beneficio agimus gratias, adnexo hoc ad eundem voto, ne ad pristinam superstitionem & superstitiosam simplicitatem, quin & damnabilem imprudentiam redire nos patiatur, postquam semel hoc Jugum excussimus, adque libertatem Christi merito partam & comparatam vocati sumus, valere jussis, non tantùm umbris Judaismi, sed & illis è Gentilismo ceremoniis, quas omninò negare non potuit Bellarminus, hoc solùm prætendens, *idem antehàc Christianis objecisse Manichæos apud Augustinum*, & per instantiam arguens, *si argumentum hoc aliquid valeret, Baptismus etiam & cœna Domini deberent tolli; cùm gentiles etiam usi fuerint Baptismo, suos Mithræ sacris initiantes, & Panis Sacramentum celebraverint*, Tertulliano in de præscriptionibus teste, *Iudæis quoque frequentibus per aquam expiationibus ex lege præscripta ut entibus, quibus & olim non defuerint Panes propositionis: neque etiam debere mirum videri, si ceremoniæ Romanensis Ecclesiæ aliquam cum Iudaicis & Gentilium*

lium ritibus habeant similitudinem, cùm Iudaici fuerint figuræ rerum futurarum, & Diabolus tanquam simia DEI semper imitari fuerit conatus Iudaicos ritus à DEO institutos, Tertulliano ibidem id observante. Licet autem in externis (Sacramentorum & Divini cultûs) *Symbolis aliqua sit similitudo inter Ecclesiæ Papæo-Romanensis & Gentilium Iudæorumque ritus, absolutè tamen esse maximum discrimen, cùm à fine & intentione sumant externæ actiones speciem suam.* Addit pro uberiori explicatione Bellarminus, *ritus gentilium fiebant ad cultum Dæmoniorum, nostri autem fiunt ad colendum verum Deum. Ideò tantum interest inter illos & nostros, quantum inter sacrum & sacrilegium, quantum inter pietatem & impietatem, quantum inter Deum & Diabolum; nam sacrificia etiam erant eadem gentilium & Iudæorum, & tamen illa erant idololatrica, ista autem pia & religiosa.* Et ita Bellarminus dicit Augustinum respondere Manichæis, atque hunc in modum hodiè Evangelicis etiam responderi debere, Romano-Papæis communionem aut potius mutationem ceremoniarum Ecclesiasticarum è Judaismo & Gentilismo objicientibus. Videamus, an verè res ita habeat, & an Bellarminus Augustini responsum ad Manichæorum adcusationem sincerè per omnia expresserit? Adcusationem fausti Manichæorum nomine contra Christianos factam Augustinus verbis exhibet sequentibus? *Vos, qui desci-*
lib. 20. c. 4. *scentes à gentibus, Monarchiæ opinionem primò vobiscum divulsistis, id est, ut omnia credatis à DEO; Sacrificia verò eorum vertistis in Agapas, idola in Martyres, quos votis similibus colitis; defunctorum umbras vino placatis & dapibus, solennes gentium dies ut Calendas & solstitia, celebratis cum ipsis, de vitâ certè mutastis nihil. Estis sanè schisma, à matrice suâ diversum nihil habens, nisi conventum.* Partem hujus adcusationis supra etiam habuimus, ubi in specie *de votis ad sanctos* fuit actum, cum addito Augustini responso, quod plenius nunc exhiberi debet. Notandum verò id, quod Bellarminus non observasse videtur, Augustini responsum ad hanc fausti adcusationem non proximè subjungi, sed post multa demùm capita sequi; idque bipartitum esse, id est, non tantùm retorqueri adcusationem in adcusatores, sed etiam removeri eam ab adcusatis. Ita autem vindex ve-
cap. 19. & seqq. ritatis Christianæ augustissimus: *Discat Faustus, vel illi potius*, qui ejus delectantur literis, Monarchiæ opinionem nos ex gentibus non habere, sed gentes non usque adeò ad „ falsos Deos esse delapsas, ut opinionem amitterent unius veri DEI, ex quo omnis est „ qualiscunque natura. Vos autem & in eo, quod eis similes estis, vani estis; & in eo, quod „ eis similes non estis, pejores estis. Ad hoc enim cum ipsis Monarchiam non creditis, „ quod illi verum credunt, ut ipsius DEI unius substantiam expugnabilem corruptibi- „ lemque credatis, quod est impiæ vanitatis. In pluribus autem diis colendis doctrina „ Dæmoniorum mendaciloquorum illis multa persuasit idola, vobis multa phantasma- „ ta. Nec sacrificia eorum vertimus in Agapas, sed sacrificium illud intellexímus, dicen- „ te Domino, *Misericordiam volo, quàm sacrificium.* Agapæ enim nostræ pauperes pa- „ scunt, sive frugibus, sive carnibus. Pascitur enim creatura DEI de creaturâ DEI, quæ „ hominis dapibus congrua est. Vobis autem quia Dæmonia mendaciloqua persuase- „ runt, non ad regendam carnem, sed ad exercendam blasphemiam, abstinere à cibis, „ *quos Deus creavit ad percipiendum cum gratiarum actione &c.* ingrati (summo) creato- „ ri, & pro largis ejus beneficiis, sacrilegas retribuentes injurias, quoniam plerumque in „ Agapis carnes etiam pauperibus erogantur, misericordiam Christianorum similem di- „ citis paganorum sacrificiis, quorum non-nullis in hoc quoque similes estis. Propterea „ enim nefas habetis pecora occidi, quia humanas in ea revolvi animas arbitramini, „ quod in quorundam gentilium Philosophorum libris invenitur, quanquam à posterio- „ ribus aliter intellectum esse dicatur. Verùm in hoc etiam multò deterius erratis. Illi „ enim in pecore timuerunt trucidare proximum suum, vos verò Deum vestrum, cujus „ membra esse etiam pecorum animas arbitramini. Nam quod hinc etiam nobis calu- „ mniatur faustus, quod memorias Martyrum honoramus, in hoc dicens Idola nos con- „ vertisse; non tam me movet, ut huic calumniæ respondeam, quam ut ostendam, „ ipsum faustum calumniandi studio ab ipsius etiam Manichæi vanitatibus exorbitare „ voluisse, & in vulgarem atque Poëticam paganorum opinionem, à quibus alienissi- „ mum se cupit videri, nescio, quo-modo, incautum incidisse. Cùm enim dixisset nos „ vertisse Idola in Martyres, quos votis similibus colitis, inquit, defunctorum umbras „ vino placatis & dapibus; sunt ergò umbræ defunctorum? Nunquam hoc audi- „ vimus in vestris sermonibus, nunquam in literis legimus; imò talibus contradicere „ soletis opinionibus, adferentes, animas mortuorum magis minusve purgatas, aut „ in revolutiones ire, aut in aliquas graviores pœnas, bonas autem in naves imponi,

&in

& in Cœlo navigantes transire hinc in illud phantasma terræ luminis, pro quâ pugnando perierant; & ita nullas animas circa suorum corporum sepulchra detineri. Undè igitur umbræ defunctorum? quæ substantia earum? quis locus. Sed maledicendi cupiditate Faustus, quid profiteretur, est oblitus, aut fortè dormitans umbras somniando dictavit, nec, cùm sua legeret verba, evigilavit. Populus autem Christianus memorias Martyrum religiosâ solennitate concelebrat & ad excitandam imitationem, & ut meritis eorum consocietur atque orationibus adjuvetur; ita tamen, ut nulli Martyrum DEO, quamvis in memorias Martyrum, constituamus Altaria. *Cætera, quæ sequuntur, loco supra citato possunt legi. Post aliqua addit*: Qui dicit, nihil nos mutasse de moribus gentium, nesciens est, quid loquatur. Cùm enim justus ex fide vivat, finisque præcepti sit *charitas de corde puro, & conscientiâ bonâ, & fide non fictâ*; maneantque ad confirmandam fidelium vitam tria hæc, *fides, spes, charitas*; undè fieri potest, ut pares cum aliquo mores habeat, qui hæc tria cum illo paria non habet? Qui enim aliud credit, aliud sperat, aliud amat, necesse est, ut aliter vivat. Et si usus quarundam rerum similis esse videtur nobis cum gentibus, sicut cibi & potûs tectorum, vestimentorum, lavacrorum, & qui ex nostris conjugalem vitam gerunt, uxorum ducendarum & habendarum, filiorum gignendorum, nutriendorum, hæreditandorum; longè tamen aliter his rebus utitur, qui ad alium finem refert usum earum, & aliter, qui ex his DEO gratias agit, de quo prava & falsa non credit. Sicut enim in ipso errore vestro, cùm eo pane vescamini, quo cæteri homines, & fructibus vivatis & fontibus, lanâ & lino similiter texto amiciamini, nec tamen in his parem ducitis vitam, non aliud edendo, aut bibendo, aut induendo, sed aliud sentiendo & credendo, & ad alium finem ista omnia referendo, finem scilicet erroris vestri atque vanitatis; ita nos & in his & in aliis, quæ similiter sumimus, non similiter vivimus cum gentibus, easdem res non ad eundem finem referendo, sed ad *finem legitimi divinique præcepti &c.* Ultima hæc Augustini verba non adpositissem, utpotè quæ præsenti instituto non adeò multum inservire videntur, nisi iisdem in eodem negotio observassem uti *Iohannem Filesacum*, Parisiensem Theologum, qui insuper alia quatuor testimonia ex Augustino commendat, quibus adcusationem de mutatione ceremoniarum è gentilismo inprimis repellere studuit, utut frustra & in vanum. Primum est: *Hoc prætercundum non est, quod Templum, Sacerdotes, sacrificia & alia quæcunque ad hæc pertinentia, nisi uni vero DEO deberi nossent Dii falsi, hoc est, Dæmones, qui sunt Angeli prævaricatores, nunquam hæc sibi à cultoribus suis, quos decipiunt, expetiissent.* Secundum: *Pagani diis suis ædificarunt Templa & statuerunt Aras, & Sacerdotes instituerunt, & sacrificia fecerunt. Nos autem Martyribus nostris non Templa, sicut diis, sed memorias, sicut hominibus mortuis, quorum spiritus apud DEVM vivunt, fabricamus; nec ibi Altaria erigimus, in quibus sacrificemus Martyribus, sed uni DEO & Martyrum & nostro immolamus sacrificium.* Et paulò post: *DEO non ipsis sacrificat Sacerdos, quamvis in memoriâ eorum, quia DEI Sacerdos est, non illorum; ipsum verò sacrificium corpus est Christi, quod non obfertur ipsis, quia hoc sunt & ipsi.* Tertium: *Superstitiosum est, quidquid ab hominibus est institutum, pertinens ad facienda Idola & colenda, vel ad colendam creaturam, partemve creaturæ ullam, sicut DEVM.* Et de hoc Augustini testimonio observat *Filesacus*, si nihil aliud occurreret, quod Ceremoniarum iniquis reprehensoribus posset reponi, illud cuique moderatiori sufficere arbitrarer. Quis enim, inquit, in Ceremoniis nostris ab Ecclesiâ institutis & probatis aliquid persimile deprehendat, nisi meris calumniis & mendaciis fidem omninò adhibendam adfirmet? *Quartum* deindè subjungit testimonium, quo sanctum Patrem totum hoc de gentilium imitatione *argumentum lepidè & acutè scribit* explanare: *Nos non propter superstitionem profanorum debemus Musicam fugere, si quid indè ad intelligendas S. Scripturas utile potuerimus rapere, nec ad Theatricas illorum nugas converti, si aliquid de Citharis & organis, quod adspiritualia valeat capienda, disputemus. Neque enim & literas discere non debuimus, quia earum repertorem dicunt esse Mercurium; aut quia Iustitiæ Virtutique Templa dedicarunt, & quæ corde sunt gestanda, in lapidibus adorare maluerunt, propterea nobis Iustitia virtusque fugienda est. Imò, quisquis bonus veruſque Christianus est, Domini sui esse intelligat, ubicunque invenerit, Veritatem, quam confitens & agnoscens etiam in literis sacris, superstitiosa repudiet figmenta, doleatque homines atque ca-*

Select. lib. 2. pag. 163. seqq.

Epist. 49. ad Deogr.

lib. 22. de Civ. DEI, cap. 10.

lib. II. de Doctr. Christ. cap. 20.

Ibid. cap. 18.

veat, qui cognoscentes Deum, non ut Deum glorificaverunt aut gratias egerunt. Addit *Filesacus*, Locus hic non otiosè & perfunctoriè legendus mihi videtur, utpotè, qui ad Quæstionem, quâ de agitur, & explanandam & illustrandam conferat plurimum. Si enim veritas, ubicunque reperiatur, seu apud gentiles, seu apud alios, DEI esse dicatur; non minus ejusdem esse dicetur, quidquid actum fuerit & institutum, quod suâpte naturâ unius Divini Numinis honori congruere videatur, licet voluntate hominis pravâ creaturæ potius, quàm DEO tributum sit. Neque contentus his quatuor prolixioribus, duo adhuc breviora ex eodem Augustino subnectit. Prius: *A quocunque verum dicitur, illo donante dicitur, qui est ipsa veritas.* Posterius: *Luculentis ingeniis non defit resplendentia veritatis.* Illud verò præcipuum esse putat, quod scripsit: *Nonne cum Mose DEVS loquebatur, & tamen consilium regendi atque administrandi tam magni populi à Socero suo, alienigenâ scilicet homine, & maximè providus & minimè superbus accepit? Noverat enim vir ille, ex quacunque anima verum processisset consilium, non ei, sed illi, qui est veritas, incommutabili DEO tribuendum esse.* Sed fallitur & Bellarminus & *Filesacus*, & quicunque existimant, his augustissimi Doctoris Patrisque sancti testimoniis depelli posse de mutuatione ceremoniarum è Gentilismo adcusationem. Si enim omnia & singula hæc Augustini loca è propriis examinarentur sedibus, manifestum fieret, parùm, si non planè nihil ea ad præsens institutum conducere. Status enim Controversiæ non in eo versatur, an nihil omninò boni Gentiles sciverint vel habuerint, id enim negare, esset legem naturæ omnium cordibus Apostolo doctore inscriptam negare; Deumque adcusare, quod gentibus nihil omninò de suâ cognitione reliquum fecerit, eosque planè & in totum deseruerit. Neque id etiam venit in quæstionem, an Gentiles Sathanâ instigatore è Judaismo aliquas mutuati sint ceremonias, est enim id etiam extrà omne dubium, publicisque scriptis Evangelicorum quoque studio prolixissimè ostensum. Verùm hoc est, quod hic quam-maximè urgetur, an licitè è Gentilismo ceremoniæ in Ecclesiam ad Trinunius DEI cultum sint translatæ, iisque verus & unus ritè colatur DEUS, quibus, non dicam Deastri & Idola, sed ipse Sathan per ea & in eis fuit cultus & adoratus? Notum est enim, quiâ sollicitudine & curâ antehàc caverint Christiani, ne quid è Gentilismo, quem ad Evangelium de Christo vocati deseruerunt, impari adhæreret. Notanter id ad *Tertullianum* seculo antecedente *B. Rhenanus* in argumento libri de Coronâ Militis sub initium observavit, scribens: *In ipsis Christianæ Fidei initiis, quia paulatim Ethnici nostris adjungebant, opus omninò fuit, ut à profanis Gentilium ceremoniis caverent, qui Christo dedissent nomen. Itaque non solum ab his temperandum fuit, quæ manifestam præ se ferrent impietatem, sed etiam ab illis, quæ possent indifferentia vocari, hoc est, neque bona, neque mala; partim ne qui squam infirmior ex Christianis offenderetur, partim ne Ethnici in suis confirmarentur erroribus, dum rectius putant, quod à Christianis etiam observari vident.* Et quia Faustum supra Christianis observationem quoque dierum apud gentiles solennium, ut Calendarum & Solstitiorum objecisse vidimus, hinc prætermitti non debet, quod ea de re graviter alibi monuit Augustinus: *Quis æstimaret, quàm magnum sit peccatum, dies observare, & menses & annos & tempora, sicut observant, qui certis diebus, sive mensibus sive annis volunt vel nolunt aliquid inchoare, eò quod secundum vanas hominum doctrinas fausta vel infausta existiment tempora; nisi hujus mali magnitudinem ex Apostoli timore pensaremus, qui talibus ait: Timeo, ne fortè sine causa laboraverim in vobis.* Quam Apostoli sententiam alibi latius & ex professo tractans Augustinus, ubi non de Judæis, sed de gentilibus etiam intelligi posse ostendit, ne quid præscribere videatur, addidit: *Eligat lector, utram volet sententiam, dummodo intelligat, ad tantum animæ periculum pertinere superstitiosas temporum observationes, ut huic loco subiecerit Apostolus, Timeo, ne fortè sine causa laboraverim in vobis, id quod* Author Notarum ad Jus Canonicum, ubi *Gratianus* utrumque hoc Augustini testimonium adduxit, ex eodem non malè observavit, Quorsum pertinet ille etiam locus, qui sub Augustini nomine in eodem Jure Canonico verbis legitur sequentibus: *Non observetis, dies qui dicuntur Aegyptiaci, aut Calendas Ianuarii, in quibus Cantilenæ quædam, & comessationes, & dona ad invicem donantur, quasi in Anni principio, boni fati augurio, aut aliquot menses, aut tempora, aut dies, Annos, aut lunæ solisque cursum, quia qui has aut quascunque Divinationes, aut fata, aut auguria observat aut attendit, aut consentit observantibus, inutiliter & sine*

Epist. 28. & 52.

Præf. ad libr. de Doctr. Christ.

vid. Dilh. Disput. Tom. II. p. 162. & seqq.

Enchir. ad Laur. cap. 79.

Galat. 4.

cap. 27. qu. 7.

& sine causa, magis ad sui damnationem, quàm ad salutem tendit. Hæc si cum antecedentibus Augustini testimoniis conferantur & probè ponderentur, adparet indè, Augustinum adcusationes Fausti & Manichæorum contra Christianos partim in adversarios retorsisse, ut à principio statim monui, partim Christianis omni modo repulisse, nihil in publico & privato DEI Trinunius cultu agnoscentem, quod Christiani à Gentilibus mutuò sumsisse videri possint, utpotè omnibus modis mores Gentilitios in communi etiam vitâ fugientes. Alia autem planè ratio est illius adcusationis, quâ hodiè Romano-Papæi accusantur, quod plures in cultu publico Ceremonias à Gentilibus mutuò acceperint utpote quam tantum abest, ut à se depellere conentur, ut potius illam mutuationem omnibus modis studeant defendere, ostensum id est antehac justo *Nicolai Hunnii*, Theologi laboriosissimi pariter & judiciosissimi commentario non ita pridem recenter edito de *Apostasiâ* &c. Et referri huc debet, quod de opere *Singularium Martini de Roa*, itidem nuper modò Lugduni in Galliis recuso *D. Dorscheus*, Præceptor desideratissimus judicavit, *Authorem hunc in hisce Singularibus suis in eo totum esse, ut Christianos, quos vocat, ritus ex Ethnicismo derivet.* Nimirum quanto olim studio Sathanas DEI simia ritus populi Judæorum suis commendavit cultoribus, quantâ postmodùm sollicitudine Apostolorum ductu veteres Christiani caverunt, ne quid fermenti conversis è Gentilismo adhæreat, de quâ testimonium præbere possunt laudatæ Augustini contra Manichæorum adcusationes Vindiciæ; tanto fervore è contrario hodiè defenduntur ceremoniæ, ut vocantur, Ecclesiasticæ, quas è Gentilismo mutuatas non inficiantur, sed agnoscunt & pro eis tanquam pro Aris & foris pugnant Doctores Papæi, in hoc etiam à sinceritate Augustinianâ quam-maximè recedentes. Et hæc quidem de Ceremoniis occasione testimonii illius Augustiniani contra Bellarminum hactenus vindicati dicta possent sufficere, nisi unicum adhuc restaret, hic non omninò prætermittendum. Nimirùm ad cæteras in Ecclesiâ Papæo-Romanâ ceremonias refert Bellarminus etiam Latini Idiomatis in Sacramentorum administratione usum, hanc de eo faciens post alias propositionem: *Sapientissimè institutum est, ut in Ecclesiâ latinâ latinè Sacramenta administrentur.* Non repeto, quæ suprà de *editionibus Bibliorum vulgatis* ex Augustino contra Bellarminum observavi, huc etiam omninò pertinentia. Illud tantum noto, Bellarminum non potuisse hujus suæ Propositionis veritatem ullo antiqui Doctoris, adeò nec Augustini etiam authoritate firmatam lectori sistere, recentioribus *Isidori, Alcuini, Amalarii, Rabani, Strabonis, Micrologi, Ruperti, Thomæ VValdensis*, qui de divinis in Ecclesiâ officiis scripserunt, nominibus contentum, eoquemet ipso iterùm de novitate hujus suæ propositionis & contenti in eâ dogmatis domesticum testem & ingenuum confessorem. Benè antehàc, ut & aliàs non semel, scriptor seculi antecedentis maximi in multi judicii, *Georgius Cassander*, in defensione libelli *de officio pii Viri: optandum videtur, ut juxta Apostolicum mandatum & priscum Ecclesiæ morem in publicis Ecclesiæ precibus, cantionibus & lectionibus, quæ populi causa suscipiuntur, populi quoque ratio aliqua habeatur, neque in totum & perpetuò ab omni Communione precum & lectionum divinarum vulgus fidelium arceatur. Manifesta sunt Pauli verba*, non intelligi posse, quod dicitur, nisi per linguam significantem exprimas sermonem; & cum, qui ob imperitiam, quod dicitur, non intelligit, fieri non posse, ut ad alterius gratiam actionem Amen respondeat. *Et oraculum illud, cujus monitu Pontifex Romanus cum Senatu Cardinalium genti Sclavorum concessisse dicitur, ut Patriâ linguâ in Sacris operandis uterentur, ad omnes Christiani nominis gentes pertinere videtur.* Omnis spiritus laudet Dominum, & omnis lingua confiteatur. *Et Thomas Cajetanus, Vir haud dubiè doctissimus & acutissimus alicubi scripsit, melius esse ad ædificationem Ecclesiæ, orationes publicas, quæ audiente populo dicuntur, linguâ vulgari in Ecclesiâ dici, quàm Latinâ; idque, cum à quibusdam reprehenderetur, respondit se fundâsse super doctrinâ Pauli.* In margine editionis Parisinæ additur: *Huic Voto suffragatur Erasmus*, de modo orandi, scribens: *Optandum esset, ut totus cultus divinus linguâ toti populo notâ perageretur, quem ad modum olim fieri consuevit, omniaque sic explanatè distinctèque sonarent, ut ab attentis possent intelligi.* Id quod huic Quæstioni omnio fuit addendum.

De Missâ, cap. 12. §. 31. p. 341.

Oper. pag. m. 865. Edit. Paris.

1. Cor. 14.

Contro-

Controversiæ generalis Secundæ.

De

SACRAMENTO BAPTISMI, LIBRI PRIMI

CAPUT QVARTUM,

De

Necessitate Baptismi.

QVæ de formâ Baptismi ex Augustino ad vindicias doctrinæ Evangelicorum contra Bellarmini adcusationes dici possent, suprà jam dicta sunt & vindicata, ubi de formâ Sacramentorum in genere fuit actum, undè jam huc repeti possunt & debent. De necessitate nunc agendum est, quam etsi Bellarminus non contra Evangelicos, sed contra Calvinianos solùm defendit, ea tamen immiscet, quæ aliquod requirunt examen, ne authoritas Augustini omninò nobis eripiatur, quod inprimis attinet rigorosam & horridam nimis sententiam, quâ sub absolutæ & illimitatæ necessitatis prætextu, infantes sine Baptismo morientes regno cœlorum excluduntur. Ut enim Bellarminus hanc Baptismi necessitatem defendat, præter Christi verba, Nicodemo regenerationis ex aquâ & spiritu medium ad æternæ beatitudinis adquisitionem commendantia, ad traditionem Ecclesiæ & Patrum provocat, scribens audacter, *Ecclesiam semper credidisse, infantes perire, si absque Baptismo de hâc vitâ recedant*, citatis eam in rem præter aliorum Patrum Augustini aliquot testimoniis. Et notum est eruditis, prodiisse Anno hujus seculi post vigesimum quarto *Lovanii* Tractatum *de statu parvulorum sine Baptismo ex hâc vitâ decedentium, juxta sensum Augustini*, compositum *à Florentio Conrio*, Hiberno, Archi-Episcopo Tuamensi, inter cæteras *Cornelii* etiã *Iansenii*, Professoris tunc Lovaniensis, post Iprensium Episcopi adprobatione munitum, qui *Iansenius* postmodum in *Augustino* suo *Romæ* damnato ex pluribus Augustini testimoniis eandem tuitus & sententiã, nemine ex adversariis ejus reperto, quid ægrius ferret, utut aliàs non pauca in eo, quæ itidem ex Augustino hæsisse videri voluit, & quidem rigidissimè castigaverint, de quibus infra suis agetur locis. Ne lector veritatis Evangelicę studiosus hic etiam jure aliquid desiderare possit, sed cognitum habeat, quid de hâc Augustini sententiâ statuendum sit de quâ uberius erit agendum infrà ad sextum de gratiæ amissione librum, in antecessum notari debet, non solùm *Cornelium Mussum*, Episcopum Bitontinum, maximæ authoritatis in synodo Tridentinâ Virum, & *Albertum Pighium* Doctorem Colonienſem, itidem inter suos celebratissimũ, in hâc quæstione authoritatẽ Augustini elevasse, & contra ejus ad aliorum Patrum & Doctorum, *Ambrosii & Hieronymi, Thomæ Aquinatis & Bonaventuræ* authoritatem provocasse, quorum verba *Gerhardus* noster suæ *Confessioni Catholicæ* inseruit, quod præsertim contra Bellarminum inservire potest, *omnes ferè Patres idem cum Augustino docere* scribentem, & Ambrosium cum Hieronymo in specie laudantem; sed alios etiam Ecclesiæ Romano-Papæ scriptores contrariam & benigniorem sententiam pro salute infantum sine Baptismo morientium, partim ex Augustino etiam propugnasse. *Georgius* certè *Cassander*, quem proximè testem veritatis ingenuum habuimus, in peculiari de hâc quæstione tractatu, ubi *Gersonis*, Cancellarii quondam Parisiensis, singularis olim & nunc inter eruditos æstimii virum, *Bielis*, Tubingensis Academiæ Doctoris celeberrimi, *Cajetani*, at quanti inter suas Viri, *Tilemanni*, Segebergensis, Theologi ex ordine Dominicanorum Colonienſis, *Thomæ Elisii*, Neapolitani, (qui duo postremi Augustinum ad suas partes & benigniorem, ut dixi, de infantibus non baptizatis sententiam trahere laborarunt) testimonia prolixissimè adduxisset, ita pro eâdem ex Augustino scripsit: *Invisibilem significationem sine Sacramentis visibilibus adesse & prodesse posse*, Augustinus ipse testatur; *visibilem verò significationem quæ sit Sacramento visibili sine invisibili significatione posse adesse quidem, non autem prodesse. Nec tamen ideò visibile Sacramentum esse contemnendum, quia contemtor ejus invisibiliter sanctificari non potest.* Et post aliqua: *Augustinus, cùm docere instituit*, infantes quoque, qui ad Baptismum obferuntur, rectè pœnitentes & fideles dici, *hunc in modum loquitur*: Si propterea infantes rectè fideles vocantur, quoniam fidem per verba gestantium modo quodam profitentur; cur non prius etiam pœnitentes habentur, cùm per eorundem gestantium verba

De Hær. Pelag. T. I. lib. 3. cap. 20. p. 165.

Tom. III. pap. 905.

Oper. pag. 772. & seq.

verba Diabolo & huic seculo renuntiare monstrantur? *Nec ignoro*, inquit Cassander, *Illum continuò subjicere*, totum hoc in spe fieri, vi Sacramenti & Divinæ *(per Sacramentum)* gratiæ; *& adfirmare*, credere, esse infantibus baptizari, non credere autem, non baptizari. *Consideret tamen pius lector, annon piè existimari possit, rem, hoc est, Baptismi gratiam, quà in numero fidelium infantes cooptantur, jam spe conceptam DEI benignitate repræsentari, quando Baptismus jam voluntate & voto præsumtus sola necessitate præripitur? Durum sanè videtur, simpliciter intelligi*, non credere infantibus esse non baptizari, *præsertim in iis, qui jam in Ecclesia Christi oblati per verba gestantium ante se credere sunt professi, quàm in se externum Baptismi signum receperunt; quo signo si necessitate excludantur, ut si fortè post editam hanc fidei professionem expirent statim, annon durum erit, hanc fidei professionem falsam & irritam judicare? Quod si hæc Pœnitentiæ & fidei professio inanis & otiosa non fuit, mirum certè videtur, cur eos deteriore, quàm adultos conditione faciamus, cùm in adultis conversionem cordis, quæ fit in pœnitentia, & fidem cum Baptismi desiderio conjunctam, intercepta Baptismi occasione, ad gratiam Baptismi consequendam sufficere fatemur.* Quid, *quod idem adserit Augustinus*, invenire se, non Passionem tantùm pro nomine Christi, id quod ex Baptismo deerat, posse supplere, sed fidem etiam, cordisque conversionem, si fortè ad celebrandum Baptismi mysterium in angustiis temporum succurri non potest. *Ac idem de infantibus ait*, & fideles eos rectè vocari, quia fidem per verba gestantium modo quodam profitentur; & prius haberi pœnitentes, cùm per eorundem gestantium verba Diabolo & huic seculo renuntiare monstrantur. *Non deest ergò infantibus, nec fides, nec conversio cordis, quæ illis per DEI benignitatem imputatur; cur non etiam ex eadem DEI benignitate, id quod externo deest signo, in illis suppleri credimus, si fortè ad celebrandum Baptismi mysterium in angustiis temporum succurri non possit? Adfirmat idem Augustinus*, exemplo Latronis declarari quantum valeat etiam sine visibili Sacramento Baptismi, quod Apostolus ait, *Corde creditur ad justitiam, ore autem fit confessio ad salutem*; sed tunc Rom. 10.
demùm invisibiliter impleri, cùm Mysterium Baptismi non contemtus religionis, sed articulus necessitatis excludit. *Atqui hæc fides & Confessio, cum, si per ætatis infirmitatem desit, infantes à Baptismi Sacramento non prohibeat, sed bonitate DEI, fidem, vota & Ecclesiæ preces ac suam potissimùm promissionem intuentis, non aliter quam ij, qui corde credere & ore confiteri possunt, ad Sacramentum Baptismi suscipiendum idonei habeantur; cur non eadem valebit ratio ad invisibilem Baptismi gratiam sine visibili Sacramento Baptismi consequendam, si Mysterium Baptismi non contemtus religionis, sed articulus necessitatis excludat. Addit Augustinus:* Sicut in illo latrone, quo ex Baptismi Sacramento defueras, complevit omnipotentis benignitas, quia non superbiâ vel contemtu, sed necessitate; sic in infantibus, qui baptizati moriuntur, eadem omnipotentis gratia implere credenda est, quod non ex impiâ voluntate, sed ex ætatis indigentiâ, nec corde credere ad Justitiam possunt, nec ore confiteri ad salutem. *Quæso te, quæ injuria fiet bonitati divinæ, si de infantibus hoc modo dicamus: Sicut in Latrone, quod ex Baptismi Sacramento defuerat, complevit omnipotentis benignitas; sic in infantibus, qui nondum baptizati moriuntur, eadem omnipotentis gratia implere credenda est, tùm quod non ex impiâ voluntate, sed ex ætatis indigentiâ nec corde credere ad Iustitiam possunt, nec ore confiteri ad salutem, tùm etiam, quod ex Baptismi Sacramento, non superbiâ vel contemtu, sed necessitate tantùm in illis deest? Et cùm postea de Baptismo & Conversione cordis, ex quo utroque salus hominum completur, subjiciat*, & illud sine isto esse posse in infante, & hoc sine illo (fuisse) in Latrone, complente DEO sive in illo, sive in isto, quod non ex voluntate defuisset; *cur hic immensam DEI benignitatem arctabimus, ut non liceat dicere, complere DEVM in infante utrumque, tùm Baptismi Sacramentum, tum cordis conversionem, ut quæ non ex voluntate defuerint?* Post plura, ubi *Bernhardi, Lombardi, Bonaventuræ, Thomæ Aquinatis* similia in rem præsentem testimonia ad hoc institutum adplicavit *Cassander*, pro infantum absque Baptismo morientium salute obtinendâ nihil planè intermittens, ad Augustinum rediit, duriora quædam ejus contra hanc scripta sequentem in modum emolliens: *Non nescimus, Augustinum in disputationibus contra Pelagianos vehementer contendere*, necessarium esse infantibus Baptismum, & citra Baptismum eos non salvari. *Verum ea disputatio adversus Pelagianos faciebat, qui infantibus remissione peccatorũ, quod ab Adamo propagari negabant, opus non esse confirmabant, baptizari eos tamen, non in remissionem peccatorum, sed ad regnum DEI. Contra vero Augustinus necessarium ideò infantibus Baptismũ adserebat*, ut in iis æternæ mortis reatus, quem ex peccata primi hominis generatione carnali

nali contraxerant, regeneratione spirituali in Baptismo solveretur; quæ regeneratio per Baptismum prorsus esset otiosa & supervacua, nisi infantibus inesset originalis peccati contagium, quod Baptismo necessum sit expurgari. *Verùm hæc opinio rationibus Augustini nihil adversatur. Agnoscit enim*, infantibus inesse peccatum generatione carnali contractum, quod spirituali regeneratione solvi necesse sit. *Itaque Baptismi gratiam non tantùm ad regnum DEI consequendum, sed ad remissionem peccatorum obtinendam illis necessarium esse concedit. Hoc tantum opinio hæc piè credit, hanc Baptismi gratiam voto Baptismi, quando haberi actu non potest, ex DEI clementiâ repræsentari. Atque hæc de Augustino*, inquit pro conclusione *Cassander*, sequentia de eo addens, *qui fortassis, si hujusmodi rationes, non hæresis alicujus stabiliendæ animo, sed solo amplificandæ DEI bonitatis studio proferri audivisset, non eam opinionem ut impiam rejecisset; siquidem hæc opinio, quâ Baptismi gratia, id est, adoptio filiorum DEI, societas corporis Christi & hæreditas regni cœlestis, infantibus desiderato Baptismi signo mortis necessitate exclusis, contingere posse creditur, nequaquam hanc Baptismi gratiam à Baptismi Sacramento divellit, ac sententiæ Christi, cùm ait*, neminem regnum DEI ingressurum, nisi ex Aquâ & spiritu renascatur, *minimè resistit; non sanè magis, quàm ea, quæ adultos Fide Christi præditos & Baptismi Sacramentum, expetentes, si necessitate ab eo excludantur, à Baptismi gratiâ non excludit, cùm utrique Baptismo æque sine idonei, & fidem suam, hi propriâ, illi fide jussorum operâ profitentur, nihilq; in iis ad Baptismum præter aquæ tinctionem requiratur, & spiritus, cujus in regenerando præcipuè partes sunt, quamvis ex instituto Christi per aquam operetur, tamen non ita obstrictus sit aquæ, ut sine eâ vim regenerandi exercere non possit. Neque verò aqua non ablutio externa hic omninò abesse dicenda est, quam voluntas, votum & desiderium cum fide conjunctum Deo cordium inspectori & æstimatori jam modo quodam repræsentarunt.* Hæc omnia ex Augustino & ad Augustini mentem, ut videri voluit, *Cassander*, qui utut hodiè rigidioribus inter scriptores Papæos, nominatim Bellarmino gratus non sit, ejusque authoritas non ita magni æstimetur; fuerunt tamen & antehàc, præsertim Colonienses, *primi Consultationis de Articulis fidei inter Catholicos & Protestantes controversis* Editores, singulare ei in præfixâ operi præstatione elogiũ adscribentes, & sunt hodiernùm non pauci, quibus modestia ejus & in non paucis aperta sinceritas non displicuit, quibus optandum esset ut eam *Cassandro* plus ultra irent, & cùm in tàm multis res eis non immeritò suspecta est, quibus ab Evangelicâ veritate discceditur, in cæteris etiam conscientiæ serenitatem quærerent omnimodam, Et quia *Cassander* in hujus quæstionis ad Augustini mentem evolutione etiam *Bernhardi* mentionem fecit, quiitidem ad Augustini authoritatem in hac re provocavit, non planè nullius operi erit pretium, hunc quoque veritatis testem quam-maximè huc pertinentem audire, quæ sequentibus verbis suam expressit

Epist. 27. ad Aug. de S. Vict. sententiam: *In majori ætate, quisquis post vulgatum ubique Baptismi remedium renuit jam baptizari, generali originaliq; maculæ addit ex proprio crimen superbiæ, duplicem portans secum justissimæ damnationis causam, si de corpore sic exire contigerit. Tamen si ante exitum respuerit, & voluerit & petierit baptizari, sed mortis articulo præoccupatus fortè nequiverit obtinere, dum non desit fides recta, spes pia charitas sincera, propitius mihi sit Deus, quid huic ego ob aquam solam, si defuerit, nequaquam omninò possum desperare salutem, nec vacuam credere fidem, nec confundere spem, nec excidere* (forsan, exscindere) *charitatem, tantum si aquam non contemtus, sed sola, ut dixi prohibeat impossibilitas. Si quis aliter sapit, videritne sibi persuaserit, quod adserit; nam me non facilè fateor adsentire, si non firmior induxerit vel ratio ad intelligendum, vel ad credendum authoritas.* Ne autem solus vel primus ita sensisse videatur *Bernhardus*, præter Ambrosii ad Augustini quoq; authoritatẽ provocavit, ea illius verba adducens, quę *Cassander* proximè & prolixè exhibuit hâc cum observatione additâ: *Non ignoro, retractare ipsum, quod posuerat de latrone, minusq; idoneũ ad comprobandam illam sententiam confiteri, quod sanè incertum sit, utrumnam fuerit baptizatus. Cæterùm, sententiam & audacter prosequitur, & multipliciter confirmat, nec usquam, nisi fallor, retractâsse reperies.* Et ubi testimonio aliundè desumto idem confirmavit, ita porrò singulari confidentiâ scripsit: *Ab his duabus columnis, Augustinum loquor & Ambrosium, crede mihi, difficilè avellor; cum his, inquam, me aut errare, aut sapere fateor, credens & ipse, solâ fide hominẽ posse Salvari, cum desiderio Sacramentum percipiendi, si tamen pio adimplendo*

Marc. 16. *desiderio mors anticipans seu vis alia invincibilis quæcunq; obviaverit. Vide etiam, ne fortè ob hoc Salvator cũ diceret*, qui crediderit & baptizatus fuerit, salvus erit, *caute & vigilanter non repetierit*, qui verò baptizatus non fuerit, *sed tantùm inquit*, qui verò non crediderit, condemnabitur; *nimirùm innuens, solam interdum fidem sufficere ad salutem, & sine ipsa sufficere nihil.* Hæc verba Bernhardi ad Augustini mentem scripta ut ad præsens institutum perti-

pertinere videantur, *Cassandrum* adhuc semel audire juvat, ad similia Lombardi, Bona-
„venturæ, Thomæ Aquinatis ita notanter scribentem: *Non ignoramus, ea de adultis tan-* Ibid. pag.
„*tum ab ipsis* intelligi. Verùm videntur hæc ad infantes quoque non incommodè 775. &
„transferri posse; nihil enim eis ad Salutem prærer Aquæ tinctionem deesse videtur, ad 776.
„quam voluntate & Fide parentum & Ecclesiæ jam sunt destinati. Cur igitur non hic
„quoque dicamus supplere omnipotentis benignitatem, quod Sacramento defuerit,
„nisi Deum se infantibus severiorem, quàm adultis exhiberi putemus? Quam ob rem
„credibile est, cùm Gratia signis non sit adligata, Deum pro clementiâ sua absentiam de-
„siderati Baptismi non imputare, sed votum habere pro facto, idque, quod jam volun-
„tate & voto est inchoatum, perficere, ac quod externo deest Signo, de exuberante
„fonte largissimæ Gratiæ suæ benignè supplere. *Addit pro uberiori hujus argumenti illu-*
„*stratione*: Quid verò, si quis Pater-familias inter medios habitans Barbaros longè à
„Christianorum omnium commoratione remotus aliquando à Christiano aliquo, in
„cujus consuetudinem fortè inciderit, initia Religionis acceperit, ac posteà vel recor-
„dando, quæ ab eo intellexit, vel etiam relicto apud se, vel aliundè adquisito Evangelio-
„rum libro, legendo usque eò profecerit, ut jam se & familiam suam, in quâ & Infantes
„sint, Christo per Baptismum consecrare firmiter statuerit, sed Ministri, qui Sacramen-
„tum Baptismi administret, facultas desit, atque ipse cum universa Familia vel subita
„lue, vel aquarum illuvione, vel Ignis incendio, vel grassatorum aut hostium ferro tol-
„latur è vitâ; credo, dubitabit nemo, adultos omnes, qui se jam Fide ad Deum conver-
„terant, & Baptismi Sacramentum voto perceperant, Baptismi gratiâ non privari. Quid
„verò de infantibus illis statuemus? An illos solos illo Christi Beneficio, quo sibi devo-
„tos & consecratos in gratiam recipit, privari dicemus, qui jam unà cum adultis illis
„Christo addicti & dedicati fuerunt? Nihil igitur Pietati adversabitur, si credamus,
„hujusmodi è fidelibus natos Parentibus, & jam voto parentem Deo ex utero conse-
„cratos eo esse loco apud Deum, quo olim habiti sunt Catechumeni, qui jam Christia-
„næ Societati nomen dederunt. Neque enim tum demùm Fidem eam, qua ad ac-
„cipiendum Baptismum sunt idonei, infantibus ferri acceptam est credendum, cùm in
„Ecclesia eam per ora gestantium profitentur, sed jam indè, ut dixi, ab utero, quando
„piis Parentum votis & precibus Christo consecrantur, & Sacro-Sancto destinantur
„Baptismo. Id confirmare videtur Ecclesiæ prisca consuetudo, quâ Infantes statim
„atque in lucem editi sunt, si vitæ periculum imminere videtur, nullâ Fidei pro-
„fessione antegressa sine cunctatione baptizantur, atque is Baptismus habetur le-
„gitimus, quod signum est, eos in eo necessitatis articulo non minus Bap-
„tismo aptos haberi, quàm si in Ecclesiâ fidem essent jam professi. Mirum sanè
„videri possit, cùm summo consensu tradant omnes, Baptismum Flaminis, quæ est vis
„Spiritûs Sancti, conferentis gratiam & peccata condonantis, absque Baptismo flumi-
„nis, quem necessitas, non voluntas excludit, sufficere ad Salutem posse, cur in solis In-
„fantibus id locum habere negetur; præsertim cùm rationes omnes, quibus hic Bapti-
„smus flaminis sufficere probatur in tempore, *pulchrè etiam Infantibus adcommodentur.*
Hæc iterum pro Sententiâ magis favorabili *Cassander*, qui dum inter cætera pro ejus de- Conf. D.
fensione argumenta ad Catechumenos etiam ante Baptismi susceptionem defunctos Feurb.
provocat, in memoriam revocari possunt, quæ suprà, ubi de veris Ecclesiæ membris fuit Fasc. II.
actum, *de Catechumenis non baptizatis*, è Ferdinandi Mendozæ Apologeticis pro Conci- Disp. 7. P.
lio Illiberitano ad Clementem octavum Discursibus, ad explicandam de iis Augustini m. 281. &
Sententiam fuerunt exscripta, huc omninò referenda & quam-maximè pertinentia. seqq.
Etsi enim hæc omnia quæ hactenus è Cassandro & Bernhardo adducta sunt, rigidam
Augustini de Infantibus ante Baptismum mortuis & hinc damnationis æternæ periculo
expositis Sententiam planè non evertant, in quam nimiâ Pelagianorum quoad Baptismi
necessitatem facilitate, ab uno nimirum extremo, ut plerumque fieri solet, ad aliud est
delapsus, mente non mala, ut videlicet non tam præcepti, quàm medii etiam necessita-
tem ex verbis Christi, contra Pelagianos eam elevantes adstrueret, eas non prævidens
inconsequentias, quas ex hoc rigore derivari præter alios *Cassander* diligentissimè ob-
servavit, & quibus nondum hactenus à parte adversa satis ex asse est factum; ni-
hilo tamen minus non malè nec impertinenter ex aliis augustissimi Docto-
ris hypothesibus Orthodoxis, & ab adversa etiam parte receptis pro Sententia
magis favorabili militatur, re ad *Cassandri* monitum extra dubium posita, Sanctum Pa-
trem, si hæc accuratius ponderasset, consensum non fuisse denegaturum, sed quæ aspe-
rius contra adversarios, in hoc Fidei puncto molles, adfirmavit, quâ fuit modestiâ, Veri-

tatis in gratiam non illibenter retractaturum & emendaturum. Nobis ea inter sufficit, iis ex Augustino dictis pro Salute Infantum sine Baptismo decedentium niti Sententiam, quæ is non semel vel uno in loco, neq; incidenter & aliud quasi agendo, sed sæpius & ex professo suis inseruit Scriptis, prægnantes suppeditantia rationes, quibus Infantes non baptizati periculo æternæ damnationis verisimiliter satis, ad ductum S. Scripturæ ac Fidei ex eâ analogiam, aliis etiam Ecclesiæ Doctoribus antiquis & recentibus suum præbentibus consensum subducuntur & eripiuntur. Et dum eadem Augustini testimonia, de quibus ex Bernhardo & Cassandro hactenus actum, & *Gratianus* Juri Canonico, & *Lombardus* Suntentiarum Libris notanter inseruerunt, eò plus authoritatis & æstimii eis accrescere patet, quò majori authoritate & æstimio utrumque opus apud rigidioris Sententiæ defensores pollere certum est. Non autem opus esset, id quod ex Vindiciis *Evangelico-Thomisticis* iteratò hic repetendum venit, Scriptores Papæos tam duriter de Infantibus sine Baptismi Sacramento decedentibus judicare, ac tam rigorosè pro summa & absoluta necessitate hujus Sacramenti, pugnare; cum si ad non unas in Eorum Scholis usitatas hypotheses & doctrinas attendatur, multa sese obferant, quæ non parum ejus prætensam necessitatem videantur infringere, imò reverâ infringant & imminuant. Navavit & hic utilem operam, cujus vindicias tùm contra Thomistam Lovaniensem scripsit, D. *Dorscheus*, Præceptor meritissimus, quot modis id fiat, ostendens, nimirum *non solum* per absolutum Electionis aut Reprobationis decretum, juxta ipsius Bellarmini, Tanneri & Becani hypotheses; *non solùm* per modum operandi Sacramentis communiter à plurimis Scriptorum inter Papistas tributum, ajentes, Sacramenta esse moralia tantùm Instrumenta, & in collatione Gratiæ moraliter tantùm agere; *neq; etiam solùm* per defensam singularibus quibusdam hypothesibus Sacro-Sanctæ Trinitatis ubiquitatem, qui confundere convincuntur præsentiam apud omnes creaturas universalem cum eâ, quæ ad Gratiæ regnum pertinet, quâ Deus singulari & ineffabili modo tum in ipsis est fidelibus, tum etiam in mediis & organis Gratiæ, per quæ secretissimam (pariter) & salutiferâ dispensat gratiam; *sed in specie etiam insuperque* per ipsum Dogma Transsubstantiationis, à cujus summâ necessitate ad minorem Baptismi & nullam ferè necessitatem, imò ipsius Sacramenti nullitatem ritè & per legitimam concludi consequentiam, ibi nervosè simul & accuratè ostenditur. Producta quoque in iisdem Vindiciis est *Cajetani* hypothesis, ut & Authoris *Margaritæ Confessorum*, ideò quia & nuperus Scriptor *Amadeus Guimenius* in opusculo Morali ejus fecit mentionem, utut non adprobando, sed eam reprobando; hâc tamen cum observatione, *Vasquezium*, utut rigidiori Sententiæ addictum, ad ea tamen omnia respondisse argumenta, quæ Cajetani antagonistæ contra hanc Ejus sententiam quasi hæreticam & ab Ecclesiâ damnatam ex Synodorum Constantiensis, Florentini & Tridentini Decretis produxerunt, quamvis nuperus Stateristæ & Ponderator non adeò Benignus semper *Andreas* de *Mendo*, his Vasquezii pro Cajetano vindiciis aut non visis aut non attentis, eam nullatenus censuerit admittendam, âque *Ledesmâ*, *Nugnone*, *Vegâ* & aliis damnatam ex hibuerit. Adderem hic prætermissam ibi *Campanellæ*, Scriptoris hoc Seculo & inter sui ordinis homines celeberrimi & à singulari Ingenio multis commendatissimi pro infantum sine Baptismo morientium ex fide Parentum salvatione Sententiam, nisi eam multos temerariam, erroneam, contra torrentem Theologorum, in maximi re momenti, sed tamen non *hæreticam* dixisse, moneret *Caramuel*, argumento etiam, quo *Campanella* ad opinionis suæ defensionem est usus, Baptismi Sacramentum esse Privilegium caussatus, prolixissimè satis, ut putat, faciens, quod suo jam loco relinquimus, hoc solùm addentes, has & alias Scriptorum Papæo-Romanorum hypotheses esse certo quodam modo Veritatis Evangelicæ pro salute Infantum sine Baptismo decedentium confessiones & testimonia, catalogo Testium Veritatis & Confessioni Catholicæ suis inserenda locis.

ad cap. 4. Exod. Dissert. 11. n. 3. & seqq.

Theol. Fundam. Tom. II. pag. 523. Edit. Lugdun.

CAPUT SEXTUM,

De Baptismo Sanguinis.

QUoad illius virtutem & effectum *Chemnitius* hic vindicias reposcit, quia Eum Augustino ob Sententiam *Cypriani* injuriam intulisse conqueritur Bellarminus. Res ita habet. *Chemnitius* in Examine Canonis Tridentini de Necessitate Sacramentorum in genere agens, adq; necessitatem Baptismi in specie deveniens, confert de eâ Cypriani & Augustini Sententiam verbis sequentibus: *De articulo necessitatis in Latrone non baptizato idem dicit Cyprianus, quod Augustinus, sed fundamenta longè sunt diversa. Cyprianus sentit, Latronis passionem Baptismi vicem suppleviſſe; Augustinus verò rectius sentit, Fidem cordis adprehendentem Christum justificasse & salvasse latronem, cum articulus necessitatis excludebat.*

eluderet Baptismum. Bellarminus in his Chemnitii verbis duo mendacia esse dicit, *primum* cùm ait, Augustinum adferere, latronem solâ Fide Christum adprehendente justificatum; non enim hoc Eum dicere, sed, Latronem fide & conversione cordis ad Deum esse justificatum. *Secundum*; cùm ait, ab Augustino refutari Cyprianum, qui crediderat, Martyrium eo justificare modo, quo Baptismus, id enim impudens esse mendacium, cum Augustinus non modò non refutet, sed etiam laudet *Cypriani* Sententiam. Docere quidem ibi Augustinum, Latronem non posse dici Martyrem, nec salvatum Baptismo sanguinis, verum Baptismo flaminis; sed hoc dicere Augustinum ad confirmandam *Cypriani* Sententiam. Addit hanc rationem: *Si Baptismus Flaminis justificat, multò magis Baptismus sanguinis, ut Cyprianus dixerat.* Ne vel Cypriano, vel Augustino, vel Chemnitio vel Bellarmino fiat injuria, postquam verba horum vidimus, inter omninò est, ut & illorum videamus. Et *Cyprianus* quidem in ad Jubajanum Epistolâ suam de hæreticorum baptismo sententiam acriter defendens, Verbis Christi ad Nicodemum necessitate regenerationis ex Aquâ & Spiritu, hæc subjunxit: *Hoc in loco quidam, quasi evacuare possint humanâ argumentatione prædicationis Evangelicæ veritatem, Catechumenos opponunt nobis, si quis ex his ante, quàm in Ecclesiâ baptizetur, in confessione nominis adprehensus fuerit & occisus, an spem Salutis & præmium confessionis amittat, eò quod ex Aquâ prius non sit renatus? Sciant igitur hujusmodi homines, hæreticorum suffragatores & fautores, Catechumenos illos primò integram Fidem & Ecclesiæ unitatem tenere, & ad debellandum de Divinis Castris Sathanam cum plenâ & sincerâ Dei Patris, Christi & Spiritûs Sancti cognitione procedere.* Deindè, *nec privari Sacramento Baptismi, utpotè qui baptizentur glorioßissimo & maximo Sanguinis Baptismo, de quo & Dominus dicebat,* habere se aliud Baptisma baptizari. *Sanguine autem suo baptizatos & Passione sanctificatos consummari, & Dividæ pollicitationis gratiam consequi, declarat in Evangelio idem Dominus, quando ad latronem in ipsa Passione credentem & confitentem loquitur, & quod secum futurus sit in Paradiso pollicetur.* Nunc quid Augustinus ad hæc scripserit, super adhuc est, ut etiam attendamus: *Baptismi vicem aliquando implere Passionem, de latrone illo, cui non baptizato dictum est,* Hodiè mecum eris in Paradiso, *non leve documentum Beatus adsumit Cyprianus. Quod etiam atque etiam considerans invenio, non tantùm Passionem pro nomine Christi, id posse, quod ex Baptismo deerat, supplere, sed etiam Fidem cordisque conversionem, si fortè ad celebrandum Baptismi mysterium in angustiis temporum succurri non potest. Neque enim Latro ille pro Christi nomine crucifixus est, sed pro meritis facinorum suorum; nec, quià credidit, passus est, sed dum patitur, credidit. Quantum itaque valeat sine visibili etiam Sacramento Baptismi, quod Apostolus ait,* corde creditur ad Justitiam, ore autem fit confessio ad Salutem, *in illo Latrone declaratum est. Sed tunc impletur invisibiliter, cùm Baptismi mysterium non contemtus religionis, sed articulus necessitatis excludit.* Et in sequentibus: *Sicut in latrone, quia per necessitatem corporaliter Baptismus defuit, perfecta Salus est, quia per Pietatem spiritaliter adfuit; sic & cùm ipsa præsto est, si per necessitatem desit, quod Latroni adfuit, perficitur Salus. Quod traditum tenet Universitas Ecclesiæ, cùm infantes parvuli baptizantur, qui certè nondum corde possunt credere ad Justitiam & ore confiteri ad Salutem, quod Latro potuit, quia etiam flendo & vagiendo, cùm in eis Mysterium celebratur, ipsis vocibus moestis obstrepunt; & tamen nullus Christianorum dixerit, inaniter eos baptizari.* Et iterùm, *Sicut in illo latrone, quod ex Baptismi Sacramento defuerat, complevit Omnipotentis benignitas, quia non contemtu vel superbiâ, sed necessitate defuerat; sic in Infantibus, qui baptizati moriuntur, eadem Omnipotentis gratia implere credenda est, quod non ex impiâ voluntate, sed ex ætatis indigentiâ nec corde ad Justitiam possunt credere, nec ore confiteri ad Salutem.* Judica ex his Augustini verbis Lector optime, annon duplex illud mendacium, quod *Chemnitio* impudenter Bellarminus impegit, in authorem adcusationis recidat & optimo jure possit retorqueri, dum Augustinus apertissimè *Cypriani* Sententiam de Latrone per Baptismum Sanguinis salvato non solùm deserit, sed & expressè refutat, Latronem *non pro Christi nomine crucifixum, sed pro meritis facinorum,* verè & rectè statuens, Eumque *non quia credidit passum, sed dum passus fuit, credidisse* notanter docens, causamque Salvationis nullibi Martyrio Ejus vel Passioni, sed ex parte Dei summæ Ejus Benignitati, ex parte autem ipsius latronis Fidei ejus & confessioni salvificæ de Christo adscribens. Indè *Pamelius* etiam in suis ad laudatam Cypriani Epistolam Notationibus observavit, *Augustinum in suis Retractationibus existimasse, non satis idoneum esse ad hanc rem de Baptismo Sanguinis comprobandam Latronis exemplum, quod Cyprianus attulerit, itaque ab aliis id ipsum confirmari per Martyrium innocentum.* Et quamvis post alios non ita pridem *Thomas de Hurtado,* in de Vero Fidei Martyrio Resolutionibus, ut vocat, *orthodoxo-Moralibus* contra Antagonistam, quem in toto opere sibi refutandum

paulò ante fin.

Luc. 12.

Lib. IV. de Bapt. c. Donat. cap. 22.

NB.

cap. 23.

cap. 24.

dum proposuit, *Theophilum Raynaudum*, Societatis Ignatianæ Scriptorem, pluribus operum Tomis in erudito orbe celebrem, Authorem inprimis libri & novæ inter Theologos Sententiæ *de Martyrio per Pestem*, hanc de latrone Christi Martyre Sententiam pro-
Tract. III. resol. 22. p. 50. & 51. pugnavit, statuens, *eum fuisse baptizatum Baptismo Sanguinis*, respondere etiam conatus ad laudatum Augustini testimonium, *quasi intentum Ejus fuerit docere, Latroni Martyrium non fuisse necessarium, ut salvaretur*, addens, *omnes ferè Patres, qui hujus Latronis attigerunt mortem, ipsum plenis buccis Martyrem adpellasse*. Sed quam inanis sit hæc ad Augustini testimonium exceptio, integer ejusdem contextus ostendit, in quo nulla Martyrii mentio legitur, sed de Fide tantum & Confessione Latronis sermo est, imò Martyrii elogium ei non obscurè, sed apertè satis denegatur ab Augustino, dum *non pro Christi nomine, sed pro facinorum merito crucifixus, nec quia credidit, passus, sed dum Passus est, credidisse* dicitur, ut modò observatum. Quorsum omninò referri debet, quod citante eodem
Lib. I. de Orig. Animæ, c. 9. *Hurtado* Augustinus alibi expressè de hoc Latrone scripsit, *Non baptizatus Baptismo Sanguinis, sed propter Fidem & Conversionem consecutus est Paradisum*. Utut enim huic etiam Sententiæ glossam adfricare tentavit Hurtadus, scribens, *Augustinum ideò hoc dixisse, quia cùm certum sit, Latronem hunc consecutum fuisse Cœlum, in opinione verò positum, an sit Martyr & baptizatus Sanguine suo, omninò tenendum esse, quod habuerit Baptismum flaminis, quod sit medium ex Scripturâ constans, siquidem dixerit*, Memento mei, Domine, cùm veneris in Regnum tuum; *quod verò fuerit Martyr, non constare ex Scripturâ, & hunc esse Augustini Scopum*; Nihil tamen obtinet, non nisi inania dans verba, ut claritatem verborum Augustini obscuret, quia & per ea sibimet ipsi contradicens, fassus, *in opinione*, id est, in dubio *apud Augustinum fuisse positum, an Latro Martyr fuerit, & Sanguine suo baptizatus, imò illud ex Scripturis non constare*. Alia Patrum & Augustini etiam, si modò Augustinum agnoscunt Patrem Sermones, qui Eidem adscribuntur, quod attinet Elogia, quibus Latronem hunc suis auditoribus quasi *Martyrem* commendârunt, benè censuit, qui hæc *non δογματικῶς, sed πανηγυρικῶς* dicta esse scripsit, *Est hic* etiam non malè in suis ad Evange-
vid Ursin. Adverss. S. pag. 452. licos Scriptores Notationibus judicante, *Latronem hunc propter admirandam Confessionem à Patribus interdum vocari Martyrem, quia tam insigne Christo perhibuit testimonium quando nondum erat in Gloriâ, sed extremâ adficiebatur ignominiâ, & ab omnibus tanquam homo vilissimus contemnebatur, qualem alius Martyrum nullus fecit confessionem, ut in eo maximè verificatum fuerit illud Christi*, Beatus, qui non fuerit scandalizatus à me. Et ad hunc sensum videtur pertinere discussio Quæstionis, an, dum Christus in Apocalypsi Johannea Martyr & Testis dicitur fidelis, Christus propriè & in sensu Ecclesiastico vere Mar-
Ibid. p. 49. tyr dici possit? de qua idem *Hurtadus* loco eodem contra eundem *Raynaudum* disputat, contra quem in antecedentibus etiam agit de innocentibus Bethlehemiticis, quos loco Latronis ad confirmationem Baptismi Sanguinis substitui paulò ante dixit *Pamelius*, de quibus tamen aliàs & alibi.

CAPUT DECIMUM ET UNDECIMUM,

De Fide Infantum.

ITerùm ad *Chemnitii* vindicias vocamur, quem Bellarminus in hujus Quæstionis Expositione adcusat, Eũ *mirâ fraude & artificio, quin & aperto adserere mendacio, Sententiã de Fide Infantũ, quam Evangelici profitentur, concordare cum Sententiis Lutheri, & Lutherum cum Augustino*. Id ut evincat, in declaratione prolixiori ad primam Propositionem, quâ statuit, *Infantes non habere actualem Fidem*, ad non unius generis monita ex Augustino provocat Bellarminus, ut quod dicit, *Eum ridere hanc Sententiam, utpotè quæ injuriam faciat sensibus humanis*; quod docet, *parvulos non habere Fidem, quæ est in cogitatione*; item,
Rom. 10. *non habere Sensum fidei*; denique *non habere, quod Paulus dicit*, Corde creditur ad Justitiam &c. pluribus ad hæc omnia locis ex Augustino citatis, ex quibus intelligi scribit porrò Bellarminus, *Chemnitium temerè & mendaciter omninò scripsisse, eandem esse in hâc re Lutheri & Augustini Sententiam*, addens, *à Luthero Fidem ipsam actualem tribui parvulis, cujus contrarium tot in locis doceat Augustinus*; imò *Lutherum in libro contra Cochlæum fateri, contra se in hâc Quæstione Augustinum habere, & tamen Chemnitium impudenter invitum Lutherum cum invito Augustino concordare suo mendacio voluisse*. Subjungit his præter alia Bellarminus, *Propositionem hanc probari etiam ratione Augustini, quia, cùm constet, infantes & vocis ejulatu & motibus corporis reluctari & obstrepere Baptismo, si verè intelligerent, quod necesse est, si credere debent, quid agatur, rei fierent ingentis Sacrilegii, nec ablucrentur, sed magis sordidarentur*. In responsione ad hæc non prolixè urgebo, quæ Bellarminus sibi certo quodam modo contraria videtur scribere in cæteris Propositionibus, ut quod in tertiâ Propositione fateri coactus fuit, *infantes non justificari sine ulla Fide*, Augustini etiam

etiam testimonio usus, ex Christi ad Nicodemum de regenerationis ex Aquâ & Spiritu necessitate verbis docente *Infantes baptizatos aliquam habere Fidem*; quod item in quartæ Propositionis explicatione, quâ ad Synodi Tridentinæ mentem *pro infusione habitûs Fidei in Baptismo* factâ pugnavit, ex Augustino concessit, *Infantes per Baptismum non solùm purgari, sed illuminari etiam, quod non-nisi per Fidem possit fieri*; hanc quoq; rationem ex Augustino adhibens, *quod ita dicantur non ab actu, sed habitu Fidei*, & additâ etiam explicatione verborum Ejus, quibus Elogii hujus Beneficium, quod nimirùm fideles dicuntur, adquiri *per virtutem, Sacramenti* scripsit; ut & quod ab Eodem Augustino juxtâ Pauli ductum *Deus in parvulis habitare* dicitur, videlicet *quoad habitum Fidei*, item, *quod Deus iisdem parvulis, dum Baptizantur, occultam dicitur infundere Gratiam*; quin & insuper, quod ad priorem quintæ Propositionis partem, quâ expressè statuit, *Parvulos actu credere & reipsâ dum baptizantur*, itidem ex Augustino adduxit, *Infantibus ipsum baptizari esse credere, quia nimirum ipsa Baptismi actio sit professio Fidei*; quæ tamen omnia variè possent ad confirmandam Evangelicorum de actuali Infantum baptizatorum Fide, per Baptismum Divinitus concessa, Sententiam inservire, si ex Adversarii solùm hypothesibus de Augustini Sententia statuere, & non potius ex ipsomet Augustino orthodoxam de hâc Quæstione mentem elicere liceret. Quod dum *Chemnitius* noster iterum solidissimè, prout solitus est, & simul perspicuè præstitit, non possum non hic etiam uti Ejus operâ, atq; Lectori industriam Ejus iteratò sistere & commendare, dum omnibus iis prævenit, ac sufficienter in antecessum ad ea respondit, quæ Bellarminus ad eripiendum Evangelicis in hac etiam Quæstione Augustinum Sententiamq; Ejus obtenebrandam produxit. Ita autem Examinator *Anti-Tridentinus*: *Ego qui simplicitatem amo, etiamsi nec intelligam, nec explicare possim, quomodo Infantes, qui baptizantur, credant; judico tamen, sufficere firmissima Scripturæ testimonia. Neque enim ab illis propterea discedendum est, si non possim vel intelligere vel explicare, quomodo credant Infantes?* Et postquàm præcipua Scripturæ Oracula huc pertinentia laudavit, hæc addidit: *Quia Infantes, qui baptizantur, non pereunt, sed illorum est regnum Cælorum, Quæstio est an infantes, qui baptizantur, dicendi sint credere vel non credere, habere Fidem vel non habere, an inter fideles vel infideles sint numerandi? Et quidam simpliciter disputant, omnes Scripturæ sententias tantùm* ad *adultos pertinere, non autem ad Infantes; quos Dei gratiâ sentiunt quidem salvari, sed sine Fide, nec tamen volunt Infantes baptizatos inter incredulos numerari. Coguntur itaq; sine authoritate Scripturæ aliquod medium inter Fidem & incredulitatem, inter fideles & incredulos fingere. Huic verò opinioni non possum adsentiri, Scripturæ enim sententiæ de Fide sunt universales, & immediatè contrariæ sunt Fides & incredulitas, fideles & incredeli.* Post aliqua: *Simplicior igitur, verior & sanior est Augustini Sententia, qui post adlegatam Christi Sententiam,* Qui non crediderit, condemnabitur, *interrogat Pelagianum*: Ubi ponis parvulos baptizatos? Profectò, in credentium numero; Nam ideò & consuetudine Ecclesiæ antiquâ, canonica, fundatissima parvuli baptizati vocantur fideles. Inter credentes igitur parvulos baptizatos numerabis, nec judicare ullo modo aliter audebis, si non apertus esse vis hæreticus. *Et hanc Sententiam Augustinus alibi sæpè repetit. Sed,* ita porrò scribit Chemnitius, *jam oritur Quæstio difficilior multò & obscurior, quomodo Infantes credant, sive, qualis sit parvulorum Fides? De adultorum Fide enim res non est obscura, est enim & oritur ex auditu, cogitatione, meditatione & adprehensione verbi prædicati. Est adsensio in mente, Fiducia in voluntate, quâ cor erigitur & quietatur. Credens scit, se credere, vult & conatur Fidem retinere & subindè etiam crescere; luctatur cum dubitatione, diffidentiâ & trepidatione; exerit efficaciam suam Signis & testimoniis externis* &c. *Si ergò quæritur, an Infantes, qui baptizantur hoc omninò modo credant, an hæc prorsùs sit ratio Fidei in parvulis baptizatis? Augustinus respondet negativè, inquit enim*: Parvulum etsi nondum Fides illa, quæ in credentium voluntate consistit, jam tamen ipsius Fidei Sacramentum facit fidelem. *Ibidem fidelis vocatur*, non ad rem ipsam mente annuendo, sed ipsius rei Sacramentum percipiendo. *Et alibi dicit*, Parvulos baptizatos nondum posse *corde credere ad Justitiam & ore confiteri ad salutem.* Ubi notandum venit, hæc Augustini verba non in Sensu disjunctivo accipi debere, quasi dicere voluerit, Infantes baptizatos neq; corde posse credere ad Justitiam, neq; ore confiteri ad Salutem, id est, neutrum ipsos posse; sed in Sensu copulativo, nimirum, eos nec corde credere ad Justitiam, nec ore cõfiteri ad Salutem, id est, non ita corde credere ad Justitiam, ut ore etiam possint confiteri ad Salutem, utpotè quod posterius *ex ætatis suæ indigentiâ* eos non posse Augustinus ibidem ingenuè agnovit, alibi etiam de Fide eorum, quatenus ea Notitiam requirit, apertè scribens: *Scire divina parvulos, qui nec humana adhuc noverint, si verbis ostendere velimus, vereor, ne ipsis Sensibus nostris facere videamur injuriam, quando id suademus loquendo, ubi*

Serm. 14. de Verb. Apost.

Epist. 23. ad Bonif.

Tract. 80. in Joh. & lib. 4. contra Donat. cap. 24.

Conf. D. Hülsem. Dial Apol pag. 391.

Epist. 57. ad Dardan

omnes vires officium q; sermonis superat evidentia veritatis &c. Quomodo autem hoc intelligendum sit, sequenti testimonio Augustini ostendit Chemnitius, scribentis, *parvulos baptizatos nondum habere sensum fidei*. Et hoc est, *addit Chemnitius*, quod in usitata Quæstione dicitur, an parvuli actu credant? *Quæ quæstio, si hoc modo, ut Augustinus explicat, intelligatur, manifestum est, quid sit respondendum. Nec tamen ideò dicendum est, parvulos baptizatos, quia non possunt eo modo actu credere, sicut adulti, propterea ipsos nullo planè modo credere, aut nulla ratione illis posse Fidem dari à Deo.* Sic enim nesciunt Spiritum Sanctum, quamvis sit in eis, *inquit Augustinus*, sicut nesciunt & mentem suam, imò vitam. *Nec tamen ideò dicendum est, ipsos nec mentem, nec vitam habere. Laborat igitur Augustinus*, id quod porrò observat Chemnitius, *ut aliquo modo ostendat, quomodo parvuli dum baptizantur, credant, ne lusus sit, quando, qui Infantem obferunt ad Baptismum, respondent rogati, Credit. Et in multis locis sanè disputat*, parvulos baptizari alienâ Fide vel Parentum, vel gestantium & obferentium, vel totius Ecclesiæ. *Et hoc quidã ita interpretantur, quasi nulla planè sit Dei actio, nulla fiat operatio Spiritûs Sancti in parvulo, dum baptizatur; sed alius baptizetur, alius verò credat, & illa Fides aliena parvulo, in quo Spiritus Sanctus nihil planè operetur, ad Iustitiam imputetur & Salutem. Sed hæc sententia Scripturæ non est consentanea. Hoc quidem verum est, alienâ Fide impetrari sæpè aliis corporalia à Deo Beneficia, ut in Historia Cananææ. Potest & hoc Fides aliena Oratione aliquandò impetrare, ut impius per Dei gratiam convertatur, illuminetur & propriâ Fide donetur*, Nemo *autem ipse carens & destitutus Fide potest justificari & salvari alterius Fide*; Justus enim suâ Fide vivet. *Nusquam autem Scriptura tradit, alterius Fidem, si Ego sim sine Fide, mihi ad Iustitiam imputari. Et nõ existimo hoc sensisse Augustinum, quod Spiritus Sanctus in parvulis, dum baptizantur, planè nihil operetur; his enim verbis suam explicat Sententiam*: Dicimus, in baptizatis parvulis, quamvis id nesciant, habitare Spiritum Sanctum; sic enim Eum nesciunt, quamvis sit in eis, quem ad modum nesciunt & mentem suam, cujus ratio in eis, quâ uti nondum possunt, veluti quædam scintilla est sopita, ætatis accessu excitanda. *Et cùm ostendisset, in quibusdam adultis etiam hoc nescientibus habitare Spiritum Sanctum, addit*: Habitare ideò & in talibus dicitur, quia in eis occultè agit, ut sint Templum Ejus; id quod postea perficit in proficientibus & proficiendo perseverantibus. *Et alibi*: ubi parvulos baptizatos ponimus, nisi inter fideles, sicut universæ ubiq; Ecclesiæ clamat authoritas? Ergò inter eos, qui crediderunt; hoc enim eis adquiritur per virtutem Sacramenti & obferentium responsionem. *Et ibidem paulo ante*: Parvuli per Sacramentum, quod ad hoc Divinitus institutum est, in credentium transeunt numerum. *Et iterum alibi, ubi explicavit, quomodo parvulus, qui baptizandus obfertur per officium alienæ voluntatis, possit regenerari*: Non est scriptum, nisi quis renatus fuerit ex parentum voluntate, aut ex obferentium vel ministrantium fide; sed, nisi quis renatus fuerit ex Aquâ & Spiritu. Aliena igitur fides obfert parvulum ad Baptismum, & ibi Aqua forinsecus exhibet Sacramentum Gratiæ, Spiritus verò intrinsecùs operatur Beneficiũ Gratiæ. Regenerans ergò Spiritus in majoribus obferentibus & parvulo oblato renatoq; communis est; & per hanc societatẽ unius ejusdemq; Spiritûs prodest obferentium voluntas parvulo oblato. *Hæc Sententia manifestè ostendit, Augustinum non sensisse, baptizatos parvulos alienâ regenerari Fide, vel Parentum, vel obferentium, vel Ecclesiæ; sed quod aliena Fides, quæ statuit, Promissionem Evangelii ad parvulos etiam pertinere, obferat parvulum ad Baptismum, in quo donetur ei Spiritus Sanctus, operans intrinsecus & occultè in parvulo, sicut in aliâ quadam Sententia, quam* Alensis *citat, idem Augustinus inquit*: Fides datur & nutritur in Baptismo. *Hanc simplicissimè judico esse Augustini Sententiam.* Omnia hæc ex Augustino habet *Chemnitius*, ad quæ pertinet, quod duobus in locis ex eodẽ, libro tamen non citato, *Gratianus* comẽndavit verbis sequentibus: Nulli est aliquatenus, tunc unumquemq; fideliũ corporis & Sanguinis Dominici fieri participem, quando in Baptismate membrũ efficitur Christi, nec alienari ab illius Panis calicisq; consortio, etiamsi ante, quam Panẽ illum comedat, calicemq; bibat, de hoc Seculo in unitate corporis Christi constitutus abscedat. Sacramenti quippè illius participatione ac Beneficio non privatur, quando ipse hoc, quod illud Sacramentum significat, invenit. *Imò referri huc etiam inter alia potest & debet, quod idem* Gratianus *ex libro Sententiarum* Prosperi *laudavit, testimonium*: Verus Baptismus constat non tam ablutione corporis, quàm Fide cordis, quemadmodum apostolica tradidit Doctrina, dicens, *Fide mundans corda eorum*; &, *salvos facit Baptisma, non sordium carnis depositio, sed Conscientiæ bonæ interrogatio in Deum*, Quæ verba eò plus hic authoritatis habere debent, quod hunc Sententiarũ *Prosperi*, qui Discipulus & acerrimus doctrinæ Augustini contra Ejus adversarios Vindex fuit, & alter fere Augustinus, librum ex Augustini Scriptis hinc indè collectũ constat, similia etiam ipsius Augustini verba jam supra

Lib. I. de Peccat. merit. cap. 19.

Epist. 57.

Conf. Epist. 105. ad Sixtum.

Rom. 1. & 4.

Epist. 57.

Lib. I. de Peccat. merit. cap. 33.

Epist. 23.

c. Quia, dist. II. c. Nulli, dist. IV.

c. Verus, dist. eâd.

supra habuimus, ubi de *Verbo Sacramenti* ex Augustino fuit actum. Et hæc omnia, si lance æquâ à studioso Veritatis orthodoxæ ponderentur & inter se ita conferantur, quâ ratione partim à *Chemnitio*, partim à Bellarmino, utrinq; ad hypotheses receptas fuerunt producta & adplicata, non adeò erit difficilis censura, an ritè & ad augustissimi Doctoris mẽtem hæc testimoniorũ collectio facta sit à Bellarmino, & annon ex iis, si debito ordine & loco leganter, radii Veritatis in hâc Quæstione satis clarè adpareant, maximaq; iterùm *Chemnitio* injuria sit illata, dum fraudulenter, temerè, imò mendaciter Eum in hâc Controversiâ versatum Bellarminus scripsit, addens, *Eum cum invito Augustino invitum Lutherum concordare voluisse*. Quod enim scribit, *Lutherum in libro contra Cochlæum fateri, contra se in hâc Quæstione Augustinum habere*; omni alio verborum & rei ipsius examine sepositò, non ita esse, ipsa docent Verba Lutheri, quæ Bellarminus adduxit: *Dicimus, ad Baptismum infantes credere per vim Verbi, quo exorcisantur, & per Fidem Ecclesiæ eos obferentis, & eis fidem suis orationibus impetrantis; alioquin mira & intolerabilia essent mendacia, quando baptizans à parvulo quærit, an credat, non baptizaturus, nisi ejus vice respondetur, credo. Ad quid interrogat, an credat, si certum est, eos non credere, ut Cochlæus contendit. Esto, sic aliquando dicat Augustinus. Sed Cochlæo satis sit, esse sic ab homine dictum; nos volumus hoc dictum Divinis probari testimoniis. Quin adserimus, parvulos prorsus non esse baptizandos, si verum est, eos in Baptismo non credere, ne illudatur majestas Sacramentorum & Verbi.* Non enim absolutè dicit Lutherus, Augustinum negare fidem Infantibus baptizatis; sed dum ex Verbo Dei Fidem hanc Infantum baptizatorum adstruere satagit, ponit, sed non quasi rem certam, verum quæ ab adversariâ parte Eidem objecta fuit & opposita, quod si Lutherus aliquandò ita diceret, (quod tamen ab Ipso dictum & scriptum non ita nudè & crudè ob alias Ejusdem hypotheses aliquantò propius ad hunc Scopum pertingentes intelligi debet, ut jam monui,) non tamen se ob Divinorum oraculorum claritatẽ ab hâc Sententiâ ex solius Augustini authoritatis respectu dimoveri, quâ Infantes Baptizati credere dicuntur, & creduntur; *creduntur*, inquã, quia nec ipsi Infantes *sensum Fidei* habent, juxta Augustini observationem, nec quisquã alius, juxta Ejusdem singulare monitum notatu non indignum, verbis, adeòque nec alio quovis documento si ab Oraculis Sacræ Scripturæ abeamus, ostendere potest, *scire Divina parvulos*, inq; Deum prius cognitum credere, Ejusq; promissiones & Beneficia sibimet ipsis fiducialiter adplicare. Solùm nunc supereſt illa ratio, quam contra fidem Infantum baptizatorum Bellarminus ex Augustino videri voluit produxisse, *quia cùm constet, Infantes & vocis ejulatu & motibus corporis reluctari & obstrepere Baptismo, si verè intelligerent, quod necesse est, si credere debent, quid agatur, rei fierent ingentis Sacrilegii, nec abluerentur, sed magis sordidarentur.* Atqui, ut optimè hic advertit *D. VVeinmannus*, Antecessor hodiè Altdorphinus, Præceptor antehac meritissimus, hanc Controversiam nuper aliquot Dissertationibus enucleatissimè proponens, nulla prorsus est sequela: Infantes in ipso Baptismi actu ejulantes & reluctantes non intelligunt, quid agatur; ergò etiam non credunt. Cur enim non etiam inferre liceat, ergò non regenerantur, neq; renovantur? Nam si ejulatus ille & reluctantia possunt impedire Fidem, regenerationem quoq; & renovationem impedire poterunt, ac per consequens Baptismus non erit juxta Apostolum regenerationis & renovationis lavacrum. Quin imò, si ignorantia eorum, quæ in Circumcisione olim facta & peracta sunt, non potuit impedire fidem parvulorum circumcisorum; etiam in hunc usque diem ignorantia eorum, quæ in Baptismo peraguntur, non poterit impedire fidem parvulorũ baptizatorum, cùm utriusque Sacramenti in hoc omninò par sit ratio. Tandem negamus etiam simpliciter, Infantes ejulatibus suis & reluctationibus ipsi Baptismo adversari, sed potius illis difficultatibus corporis naturaliter obstrepere videnrur, quas vel ex Aquæ (frigidioris) adfusione, vel aeris (præsertim hiemalis) intemperie, vel aliis incomoditatibus in ipso Administrationis actu suborientibus sentiunt. *Hæc Præceptor optimus*, qui in antecedentibus etiam post *Gerhardum* egregiè docuit, quomodo actualis illa Fides, quæ ex parte Evangelicorum Infantibus baptizatis ad ductũ Sacræ Scripturæ, & Augustini hypotheses adscribitur, ritè debeat intelligi, observans, dici eam ita dupliciter, nimirum actu vel primo, vel secundo. *Actu primo*, (non merè potentiali, sed) quæ actu inest, etsi per fructus vel operum bonorum exercitium sese non exerat; *secundo* autem, quæ sese per ea exerit. *Priori sensu* omninò Fidem actualem Infantibus (baptizatis) competere, etsi in vegetum bonorum operum exercitium non prorumpat, nec prorumpere possit, quem ad modum adulti in Somno vel etiam in morbo graviori Fidem habent actualem, per quam Christus habitat in ipsorum cordibus, quamvis tum temporis non edant fructus, nec edere possint. *Posteriori sensu* vicissim ita adpellari respectu actionum *vel externarũ*, quæ sunt opera charitatis, quibus foras ad indigum proximũ progreditur; *vel internarum* & propriarum Fidei operationum, quæ licet non hominibus, Deo tamen, in cujus oculis omnia sunt nuda & aperta, quã-maximè sint conspicuæ. *Priori respectu*, quoad hunc posteriorẽ sensum, Fidem actualem in Infantes (etiã baptizatos) non eadere, quæ nimirũ per motus sensibiles & operationes externas sese exerit, uti fit in adultis. Non, quod Infantum fides

Conf. D. Höpfn. de Justific. Disp. II. pag. 995. & seqq.

NB.

Epist. 57.

Disp. II. de Fide Infant. §. 38. & 39.

§. 27. & 28.

non sit vera Fides, sed quia per ætatem ita efficax nondum esse possit; sufficere tamen, quod suo tempore ita efficax esse queat, id quod simili declaratur Exemplo. Nemo tempore autumnali & quam-maximè hiemali negare potest, (vel debet) in Seminibus & arborum surculis hanc esse virtutem & naturam, ut fructus suo producant tempore, quamvis non statim & in præsenti ferant. Pari modo negare nemo debet (vel potest) in baptizatis Infantibus esse actualem & veram Fidem, licet ad tempus, propter ætatem nondum aptam & congruentem, sese non exerat per operum bonorum studium & fructus ferat nostris oculis conspicuos, sed suo demum tempore ἐναργῶς sese declaret, & ejusmodi fructus Deo placētes progeneret. *Respectu autem posteriori* Infantes omninò actualem habere Fidem, eamq; non otiosam, sed subindè semet exerentem (& simul exercentem) per varios motus spirituales, qui nihil aliud sunt, quàm Fidei fructus & effectus interni, nobis hominibus inconspicui, (non tamen Deo) ut quando dicuntur laudare Dominum, vincere Mundum, induere Christum, Regnum Cœlorum accipere, regenerationem & æternam Salutem adipisci, quos & similes actus esse indubios Fidei fructus & opera bona interna, nemo negabit, nisi qui rationis & Judicii patiatur deliquium. Et qui hæc debito observaverit modo, Augustinum, utut primùm videatur, ab Evangelicorum Sententiâ non discedere, sed convenire cum ea agnoscet, ex quo ad ejus illustrationem ea nunc repetere juvat, quæ rem totam possunt conficere. Ita autem Doctor Augustissimus: *Sicut secundum quendam modum Sacramentum corporis Christi est corpus Christi, Sacramentum sanguinis Christi est Sanguis Christi; ita Sacramentum Fidei est fides. Nihil est autem aliud credere, quam habere Fidem. Ac per hoc, cum respondetur parvulus credere, qui Fidei nondum habet affectum,* (fortè, effectum) *respondetur Fidem habere propter Fidei Sacramentum, & convertere se ad Deum propter Conversionis Sacramentum, quia & responsio ipsa ad celebrationem pertinet Sacramenti*; Et post aliqua: *Itaq; parvulum etsi nondum Fides illa, quæ increti-* Epist. 23.
dentium voluntate consistit, jam tamen ipsius Fidei Sacramentum facit fidelem. Nam sicut credere respondetur, ita etiam fidelis vocatur, non rem ipsâ mente adnuendo, sed ipsius rei Sacramentum percipiendo. Cum autem homo sapere cœperit, non illud Sacramentum repetit, sed intelligit, ejusq; veritati consonâ etiam voluntate coaptabitur. Hoc quamdiu non potest, valebit Sacramentum ad ejus tutelam adversus potestates contrarias, & tantum valebit, ut, si ante rationis usum ex hâc migraverit vita, per ipsum Sacramentum, commendante charitate Ecclesiæ, ab illâ condemnatione, quæ per unum hominem intravit in Mundum, Christiano liberetur adjutorio. Hoc qui non credit, & fieri non posse arbitratur, infidelis est profectò, etsi habeat Fidei Sacramentum; longeq; melior est ille parvulus, qui, etiamsi Fidem nondum habeat in cogitatione, (aliàs, cognitione,) *non tamen ei obicem contrariæ cogitationis opponit, Sacramentum ejus salubriter percipit.* Alia huic similia ex citatis anteà locis adducere supersedeo, cùm satis jam constet, & cui mens læva non est, animusque non omninò obtusus, constare possit, quæ sit Augustini & Evangelicorum de Fide Infantum baptizatorum Sententia, eò prolixius hic exponenda, quia & Syncretici hodiè Doctores, in orthodoxæ Simplicitatis eversione omnem collocantes industriam, quoad hanc Controversiam ad Augustini auVid. D. Hülsem. l. cit. Cōf. D. Ægid. Strauch. Conf. repet. pag. 426. seqq.
thoritatem contra Confessionis Augustanæ adsectas audent provocare, hacque ratione minus in Scriptis Patrum versatis glaucoma objicere, ac suis opinionibus noviter incrustatis aliquem induere & inducere colorem, utinam rubicundum, qui spem possit facere emendationis!

CAPUT DECIMUM TERTIUM ET OCTAVUM,

De Effectu & Virtute Baptismi.

DE hoc effectu dum papistæ ductu Synodi Tridentinæ & facti in eâdem Decreti docent, *per Baptismum tolli ac deleri verè omnem culpam & pœnam*, è contrario autem in Apologiâ secundi in Augustanâ Confessione Articuli, & ex Augustino quidem statuitur, *Peccatum in Baptismo remitti, non ut non sit, sed ut non imputetur*; ac Bellarminus per insigne mendaciū hoc dici & Augustino adscribi conqueritur, testatus, *Roffensem* ob id Lutherum quoq; ante editam Confessionem Augustaeam mendacii convicisse, quin & *Cochlæum* in discussione Ejus narrare, *Philippum Melanchthonem*, qui stylū Augustanæ Confessioni ac Ejusdē Apologiæ commodavit, convictū esse & confessum, *locū Augustini malè citatum esse*, & tamen idē mendacium toties detectum & confutatum libro etiā Concordiæ insertum esse & in Ejus Apologiâ repetitū, imò *Chemnitium* in Examine Anti Tridentino idē defendere, *quamvis cautè magis*; ubi insuper observandū monet Bellarm. *Evangelicorū in hâc Sententiâ fundamentum non aliud esse, nisi quia putant, Concupiscentiam, quam in baptizatis etiam usq; ad mortem manere certum sit, esse peccatum verè & propriè, licet ei non consentiamus, sed repugnemus*, addens, Quæstionem hanc, de quâ in Controversiâ de Origi-

Originis peccato agatur, *ita conjunctam esse cum illa, ut explicata una, etiam terminetur altera*, ideò hâc ad suum reservatâ locum, de illâ eatenus tantùm agetur, quatenus Augustini authoritas, Doctorum quoq; *Lutheri & Melanchthonis*, quin & librorum in Ecclesiâ nostrâ Symbolicorum quoad laudatum cum Augustino consensum sinceritas necessariò est vindicanda. Et quidem in genere prænotandum venit, quod, etsi fateremur, hæc Verba, prout jacent, in Augustino non legi, quod ipse *Philippus* in Colloquio Wormatiensi concessit, nondum tamen mendacii convincerentur, quia Augustinum ita docuisse affirmant. Nam, id quod Doctor noster *Franzius* in hujus testimonii ex Augustino Vindiciis per instantiam ad Bellarmini superindè adcusationem notanter respondit, quemadmodum Salvatorem nostrum nemo arguet ex Pontificiis, quod apud Matthæum & Lucam ex Veteri Scripturâ hanc citavit Sententiam, *Domus mea est domus orationis* &c. cujus summa non in uno Veteris Scripturæ loco, nec iisdem verbis extat, sed prior pars apud Esaiam, posterior apud Jeremiam traditur, imò quæ sententiola Salvatoris nec apud laudatos Evangelistas æqualiter legitur; ita quoq; nullo culpari potest modo Augustiniani hujus testimonii contracta Epitome. *Addit ibidem laudatus Doctor noster:* Quoties adcusandus esset Pontificii Juris compilator *Gratianus*, qui similem in excerpendis Patrum plurimis authoritatibus & testimoniis usurpavit consuetudinẽ, nimirùm, non ipsa prorsus Authorum verba (semper) adferens, sed arbitratu suo mutans, addens, iminuens, summatim complectens, id quod *Burchardus* etiam & *Ivo* faciunt, authore præfationis Gregorianæ Editioni præmissæ ultrò agnoscente. Et quia Juris Canonici facta est mentio, ideò placet exindè Augustinum hujus Sententiæ, quæ in Apologiâ Confessionis Augustanæ Eidem adscribitur, authorem audire, ex quo sequentia leguntur verba: *Per Baptismum Christi id agitur, ut evacuetur caro peccati. Evacuatur autem, nõ ut in carne ipsâ vivente Concupiscentia insperſa & innata repentè absumatur & non sit; sed ne obsit mortuo, quæ inerat nato. Nam si post Baptismum vixerit, atq; ad ætatem Præcepti capacem pervenire potuerit ibi habet, cum qua pugnet, eamq; adjuvante Domino superet, si non in vacuum Ejus gratiam susceperit, si reprobatus esse noluerit. Nam nec grandibus hoc præstatur in Baptismo, nisi forte ineffabili miraculo omnipotentissimi Creatoris, ut lex peccati, quæ ineſt membris, repugnans Legi mentis, penitus extinguatur & non sit, sed ut, quidquid mali ab homine factum, dictum, cogitatum fuerit, cum eidem concupiscentiæ subjectâ mente servitet, totum aboleatur, & velut factum non fuerit, habeatur.* Eadem alibi non semel inculcavit Doctor Augustus, verbis nominatim sequentibus: *Si quæritur, quomodo carnis Concupiscentia maneat in regenerato, in quo universorum facta est remissio peccatorum, quandoquidem per ipsam seminatur, & cùm ipsâ carnalis gignitur proles Parentis etiam baptizati; aut certè si in Parente baptizato potest esse peccatum & non esse, cur eadem ipsa in prole peccatum sit? Ad hæc respondetur, dimitti Concupiscentiam carnis in Baptismo, non ut non sit, sed ut in peccatũ non imputetur.* Habes hic, optime Lector, eadem verba, quæ Augustino in Apologiâ Confessionis Augustanæ adscribuntur, ad quorum intelligentiam & pro negotio præsenti adplicationem, etsi Doctores Papæi solent excipere, *Concupiscentiam in renatis non esse peccatum verè & propriè*, suo tamen loco contrarium ex Augustino demonstrabitur. Addit autem Sanctus Pater in proximè sequentibus, quæ rem hanc quam maximè possunt illustrare, scribens: *Quamvis autem reatu jam soluto, manet tamen, donec sanetur omnis infirmitas nostra, proficiente renovatione hominis interioris de die in diem, cùm exterior induerit incorruptionem. Non enim substantialiter manet, sicut corpus aliquod aut spiritus; sed adfectio est quædam malæ qualitatis, sicut Languor. Non ergò aliquid remanet, quod non remittatur, cum sit, sicut scriptum est*, propitius Dominus omnibus iniquitatibus nostris: *sed, donec fiat, & quod sequitur*, qui sanat omnes languores tuos, qui redimet de corruptione vitam tuam, *manet in corpore mortis hujus Concupiscentia carnalis, cujus vitiosis desideriis ad illicita perpetranda non obedire præcipimur, ne regnet peccatum in corpore nostro mortali.* Et post aliqua: *In eis ergò, qui regenerantur in Christo, cùm remissionem accipiunt omnium prorsus peccatorum, utiq; necessum est, ut reatus etiam hujus, licet manentis adhuc Concupiscentiæ remittatur, ut in peccatum, sicut dixi, non imputetur. Nam sicut eorum peccatorum, quæ manere non possunt, quoniam, cum fiunt, præteruent, reatus tamen manet, &, nisi remittatur, in æternum manebit; sic illius Concupiscentiæ, quando remittitur, reatus aufertur; hoc est enim, non habere peccatum*, (videlicet,) *reum non esse peccati. Nam si quisquam verbi gratiâ fecerit adulterium, etiamsi nunquam deinceps faciat, reus est adulterii, donec reatus indulgentiâ remittatur. Habet ergò peccatum, quamvis illud, quod admisit, jam non sit, quia cum tempore, quo factum est, præteriit. Nam si à peccando desistere esset non habere peccatum, sufficeret, ut hoc nos moneret Scriptura, Fili, peccasti, non adjicias iterũ. Non autem sufficit, sed addidit,* & de pristinis deprecare, ut tibi

Tom. II. Disp. Witteb. pag. 789. & seqq.

c. Per Baptismum distinct. IV.

Lib. I. de Nupt. & Cõcupisc. cap. 25.

Psal. 103.

Syr. 21.

tibi remittantur. *Manent ergò, nisi remittantur. Sed quomodo manent, si præterita sunt; nisi quia præterierunt actu, manent reatu? Sic itaque fieri è contrario potest, ut etiam illud maneat actu, præcedat reatu.* Ita è loco contrariorum argumentatur Augustinus, ut suo tempore contra Pelagianos obtineret in baptizatis super adhuc esse radium peccati, per fructus malos semet exerentis, utut intercedente Pœnitentiâ & vi fœderis in Baptismo initi ex gratiâ Dei remissionem impetrantibus. Et si opus illud evolvamus, ex quo *Gratianus* huic orthodoxæ Veritati præbuit testimonium, plura observabimus huc pertinentia. Ut quod Sanctus Pater expressè scripsit inter alia: *Non ex qua hora quis baptizatur, omnis vetus infirmitas ejus absumitur.* Et post multa in hanc rem monita: *Illud præcipuè propter Quæstiones, quæ hac de re sunt motæ, vel moveri adhuc possunt, attendere ac meminisse debemus, tantummodò peccatorum omnium plenam remissionem perfectamq; Baptismo fieri, hominis verò ipsius qualitatem non totam continuò mutari, sed spirituales primitias in benè proficientibus de die in diem, crescente novitate, committare in se, quod carnaliter vetus est, donec totũ ita renovetur, ut animalis etiam corporis infirmitas ad firmitatem spiritalem incorruptionemq; perveniat.* Et iterum: *Hæc autem Lex peccati, quod etiam Apostolus peccatum adpellat, non sic manet in membris eorum, qui ex Aquâ & Spiritu sunt renati, tanquam non sit facta ejus remissio, ubi omninò plena sit & perfecta peccatorum remissio, interfectis omnibus inimicitiis, quibus à Deo separamur: sed manet in vetustate carnis tanquam superatum & peremtum, si non illicitis consensionibus revivisca quodammodo, & in regnum proprium dominationem. que revocetur.* Alibi etiam contra Pelagianos eosdem graviter pro hâc monuit Sententiâ: *In Baptismo cuncta quidem remittuntur peccata, sed remanent carnalium concupiscentiarum mala.* Et post aliqua: *Cur caro conteritur à fidelibus, si nihil remansit in Baptismo, quod adversus Spiritum concupiscat? Cur conteritur à seipso Templum Dei, si nihil ibi est, quod resistat Spiritui Dei? Non autem inesset tantùm, verùm & graviter obesset, nisi reatus, qui nos obstrinxerat, per remissionem peccatorum solutus esset. Solvitur ergò per indulgentiam, quia tenebat in noxâ; conteritur per continentiã, ne vincat in pugnâ. Agitur itaq;, ne obsit, donec ita sanetur, ut nõsit.* Et iterùm post quædã: *Dimissis itaq; in Baptismo peccatis omnibus id est omnibus Concupiscentiæ fœtibus, si illic ipsa etiã est consumta; quomodo contra eã, ne concipiat, dimicant Sancti? Quomodo contra eam belligeratur à Sanctis, si & ipsa Baptismate est ablata? Manet igitur.* Adhuc post aliqua: *Quod Paulus ad Corinthios scribit,* Abluti estis, sanctificati estis, *mutatos dixit eos in melius, non ut eâ carerent, quod in hâc Vitâ fieri non potest, sed ut ei non obedirent, quod in bona vita fieri potest; atq; ut ab eo, quo erant vinculo ejus obnoxii, se liberatos esse cognoscerent, quod nisi regeneratione fieri non potest.* Alia multò plura, quæ Augustinus ibi habet, huic Instituto apta, non adduco, eorsum reservanda, ubi ex Augustino, Concupiscentiam esse peccatum verè & propriè ita dictum, demonstrabitur. Nunc addidisse sufficiat, quam Sententiam Doctor augustus contra Pelagianos in non uno Scriptorum acriter defendit, Eum in Concionibus quoq; ad populum proposuisse, cujus unum exhibuisse Exemplum satis erit: *Quidquid peccatum est à nobis, anteà deletum est in Baptismo. Numquid, quia deleta est tota iniquitas, nulla remansit infirmitas? Si non remansisset, sine peccato hic viveremus. Quis autem audeat hoc dicere, nisi superbus, nisi Misericordia liberatoris indignus, nisi qui seipsum vult decipere, & in quo Veritas non est?* Et huc referri debent omnia etiam testimonia, quibus sanctum Patrem omnes in universum homines, baptizatos etiam & aliorum respectu Sanctissimos, peccatorum numero inclusisse, suo infrà loco docebitur. Atq; sic manifestum evadit, insignem Apologiæ Confessionis Augustanæ, libro in Ecclesiis nostris Symbolico, Ejusque Scriptori *Philip. Melanchthoni*, Formulæ Concordiæ, cui Apologia hæc est inserta, ut & ipsi *Luthero* ab Adversariis inferri injuriam, dum iniquissimè adcusantur, quasi per insigne mendacium peregrinam Augustino & à mente suâ alienam adfinxerint Sententiam, quæ tamen toties ab Eo in diversis Tractatibus docetur & contra Pelagianos defenditur; ut meritò Bellarminus, & quicunque ante & post Eum hâc insigni calumniâ Evangelicos onerârunt, pudore suffundi debuerint, eam Augustino adscribentes Sententiam, quæ tot iteratis vicibus in Scriptis Ejus clarè satis expressa legitur. Quamvis autem Bellarminus Synodi Tridentinæ Decretum, per Baptismum tolli reipsa omne id, quod in homine peccati rationem habet, defendens, inter alia probationis argumenta ad multiplices etiam Baptismi figuras provocavit, & in specie ad curationem hominis à Matris utero & nativitate coeci, subjungens, *Augustinum explicare eam*, quod videri posset, quasi S. Pater hujus miraculosæ curationis historiam ita ad Baptismi Sacramentum adplicaverit, ut simul omni contagione peccati hominem per Baptismum liberari docuerit; monendus est tamen Lector Veritatis studiosus, ut sciat, Augustinum præter generalem hujus historiæ adplicationem ad

Lib. II. de peccat. merit. c. 7. & 27.

& 28.

Lib. VI. contra Julian. c. 5.

1. Epist. 6.

Tract. 41. in Joh.

Tract. 44. in Joh.

Bapti

Baptismum, de speciali hoc effectu Baptismi ac omnimodâ peccati ablatione per Baptismum omninò nihil ibidem habere, imò nec habere quidē potuisse, nisi aliis à se dictis & scriptis contradicere & scribere voluisset, adeòque Bellarmino & hic fraude non piâ Lectoris simplicitatem circumvenisse.

Et hæc hactenus de Effectu Baptismi, quem Doctores Papæi justò majorem ei adscribunt, peccantes in excessu, omnimodam in eo peccati sublationem fieri docendo. Nunc paucis etiam restat, ut ostendatur, eosdem eidem Sacramento ex alterâ parte, peccantes in defectu, adscribere effectum justo minorem, vim ejus ad præterita & antecedentia Baptismum peccata tantum, non etiam ad futura & Baptismum consequentia referendo. Non autem prolixè occupabor circa vindicias Sententiæ Evangelicorum, quam Bellarminus nec ritè proposuit, nec etiam sincerè exposuit, multa eis temerè & per calumniam adfingens, quæ eorum nulli unquam venerunt in mentem, multò minus in pennam, sicut & nihil eorum, quæ adduxit, expressis Authorum verbis ostendere potuit. *Augustinus* tantum ex Instituto vindicandus est, cujus authoritate *Chemnitius* in demonstrandâ vi & virtute Baptismi ad futura etiam peccata usus, eum Pauli oraculum de *lavacro Aquæ Ecclesiam mundantis* explicantem, & sequentia pro Veritate Evangelicâ scribentem Lectori stitit: *Quod Paulus ait*, mundans Eam lavacro Aquæ, *sic accipiendum est, ut eodem lavacro Regenerationis & verbo Sanctificationis omnia prorsus mala hominum regeneratorum mundentur atq; sanentur, non præterita solùm peccata, quæ omnia nunc remittuntur in Baptismo, sed etiam quæ posterius humanâ infirmitate vel ignorantiâ contrahuntur; non ut Baptismus toties repetatur, quoties peccatur, sed quia ipso, quod semel datum est, sit, ut non solùm antea, verùm postea etiam quorumlibet peccatorum venia fidelibus impetretur.* Lib. I. de Nupt. & Concup. cap. 33. Bellarminus duplici modo respondet, priori Augustino in faciem contradicens, posteriori autem satis commodè Ejus mentem explicans. *Quod objicitur ex Paulo, facilè explicatur*, inquit. *Nam illud* (mundans) *non refertur ad singulos homines, sed ad varios, qui unam constituunt Ecclesiam. Christus enim quotidiè mundat Ecclesiam lavacro Aquæ, quia quotidiè baptizantur aliqui; omnes tamen cùm baptizantur, à præteritis mundantur peccatis, nō à futuris. Quod si quis referat ad singulos homines, tum dicendum est, Baptismo purgari peccata futura, non immediatè, sed mediatè, quia videlicet, qui baptizatus est, per Gratiam, quam in Baptismo accepit, impetrat veniam peccatorum venialium, quæ posteà facit, si eam petat. Et præterea per Baptismi characterem jus habet ad Sacramentum Pœnitentiæ, quo peccata etiam mortalia purgantur; quod Sacramentum percipere non possunt, qui Baptismo carent. Et hoc est, quod Augustinus dicit, nimirum Baptismo futura aliquo purgari modo peccata, quia sine eo nihil prosunt cætera, quæ ad purganda fiunt peccata, ut Pœnitentia* &c. Eph. V. *Ita enim Augustinus*: Quid prodesset vel ante Baptismum Pœnitentia, nisi Baptismus sequeretur; vel posteà, nisi præcederet? *Vndè idem Augustinus, cùm de immediato & proprio Baptismi effectu loquitur, disertè contrarium scribit*: semel acceptam parvulus Christi gratiam non amittit, nisi propriâ impietate, si ætatis accessu tam malus evaserit: tunc enim propria etiam incipiet habere peccata, quæ non regeneratione auferantur, sed aliâ curatione sanentur. Epist. 23. *Hæc ex Augustino Bellarminus* quorum prior pars, ut dixi, in faciem Augustino contradicit, posterior autem satis commodè mentem Ejus & Evangelicorum explicat, si, quæ de peccatorum venialium & mortalium discrimine, charactere item Baptismi, ex hypothesi apud Papæos Scriptores receptâ habet, ad orthodoxæ Fidei analogiam reducantur. In subnexâ adpendice ex Augustino errat Bellarminus, si eam Sententiæ Evangelicorum & Augustini à semet ipso explicatæ putat esse contrariam. Quo enim sensu in antecedente dixit testimonio, remitti in Baptismo etiam peccata, quæ humanâ infirmitate vel ignorantiâ post Baptismum contrahuntur, non ut Baptismus toties repetatur, quoties peccatur; eodem quoque dixit in subsequente, quæ homo propria (præter originale peccatum) post Baptismū incipit habere peccata, non regeneratione (novâ nimirū & reiteratâ) auferri, sed aliâ curatione sanari, quæ tamē suum ad Baptismū habeat respectū, suamq; vim exindè accipiat. Id quod satis clarè Augustinus verbis primum Ejus testimonium, quo *Chemnitius* Evangelicorum Sententiā firmavit, proximè antecedentibus expressit, docens, *eâdem regeneratione, quæ nunc per Sacrū fit Lavacrū, cuncta usq; in finē hominis mala purgari atq; sanari.* cap. 26. quin & in eodē opere paulò ante similiter in hanc rē scripsit: *In eis, qui regenerātur in Christo, cùm remissionē accipiunt omniū prorsus peccatorū, utiq; necessū est, ut reatus etiā licet manētis adhuc Concupiscentiæ remittatur, ut in peccatū non imputetur.* Addo testimoniū S. Patris, eadē, quæ tanquā publicus Ecclesiæ Doctor scribendo contra falsos Doctores defendit, suis etiā auditoribus pro suggestu comendantis: *In Christū credentes per lavacrū regenerationis soluto reatu omniū peccatorum, & originalis videlicet, quod generatio trahit, contra quam* Tract. 124 in Joh.

regenera-

regeneratio maximè est instituta, & cæterorum, quæ malè agendo sunt contracta, liberantur à damnatione perpetuâ. Et ne quid ad Institutum præsens ex Augustino hic prætermittatur, sequentia inprimis verba Ejus debent notari, quibus suam & Evangelicorum Sententiam optimè explicavit: *Nihil in Baptismo remanet, quod non dimittatur, præteritorum omnium peccatorum; & quidquid ab eis, qui post acceptum hic* (in hoc nimirum Seculo) *vivunt Baptismum, quarumcunque culparum humanâ infirmitate contrahitur,* PROPTER *ipsum dimittitur Lavacrum. Neque enim aliquid prodest non baptizato dicere, Dimitte nobis debita nostra* &c. Tandem huc etiam pertinet, quod de Baptismo tanquam pœnitentiæ fundamento proximè circa finem inchoatæ Expositionis ad Romanos Epistolæ scripsit Augustus Doctor: *Eos, qui jam fuerint baptizati, curari melius per Pœnitentiam dicimus, non renovari, quia renovatio in Baptismo est; ubi quidem operatur Pœnitentia, sed tanquam in fundamento. Manente itaque fundamento, recurari ædificium potest; si autem quis fundamentum iterare voluerit, totum subvertat necesse est ædificium.* Imò hinc quoque restitui debet & confirmari lectio illus ex Augustino testimonii, quod proximè & ultimo quidem loco ad priorem hujus Controversiæ de Effectu Baptismi partem habuimus: *Quidquid peccatum est à nobis, anteà deletum est in Baptismo,* Legitur illud in Editione Parisiensi ante hoc Seculum procuratâ, quâ hactenus in citatione locorum utor, & fortè in aliis etiam Editionibus, hâc cum distinctione: *Quidquid peccatum est à nobis antè, deletum est in Baptismo.* Quæ distinctio si admittatur, Augustinus à Bellarmini partibus stare videtur, ac cum Eo cæterisque Doctoribus Papæis statuere, vim & virtutem Baptismi solùm ad præterita & Baptismum antecedentia pertinere peccata, non item ad futura & Baptismum subsequentia. Sed & integer contextus, & constans Augustini doctrina tot Testimoniis expressa, priorem & jam supra laudatam lectionem & verborum distinctionem requirunt, atque Augustinum hic quoque faciunt Veritatis Evangelicæ testem & Confessorem.

Epist. 50. ad Bonif. paulò ante finem,

CAPVT DECIMVM NONVM & seqq.

De *Baptismo Johannis.*

In hâc Quæstione non opus esset, ut magnâ contentione animi dissidentium magis magisque scinderentur, cùm sublato Johannis Baptismo, nemini hodiè controversia moveatur, ritè per Eum baptizatus sit, nec ne; nisi Patres Tridentini in eâ quoque suam orbi Catholico tyrannidem obtrudere, idq; cum fulmine Anathematis definire, ac verè fidelibus ad credendum & sine omni contradictione amplectendum proponere fuissent ausi, de quo per sesqui millenariũ retrò in Ecclesiâ liberè licitũ fuit sentire. *Augustinus* certè, etsi magis in illam inclinare videtur Sententiam, quæ majorem Baptismo Christi quàm Johannis adtribuit efficaciam, nihilo tamen minus neminem ad consensum obligavit, multò minus quemquam ob dissensum anathemati subjecit, id quod ipse Bellarminus contra rigorem Tridentinum notanter in rem nostram observavit, scribens: *Nota, non esse quæstionem, an Baptismus Iohannis potuerit remittere peccata ex devotione & fide adcedentium, vel etiam ex contritione, quam homines concipiebant ex concionibus & Baptismo Iohannis; id enim facilè fieri potuit, & sic acceperunt illa Marci verba,* Prædicans Baptismum Pœnitentiæ in remissionem peccatorum &c. *quidam Patrum, ut Basilius, & Frater Basilii Gregorius Nyssenus, & Author Quæstionum N. T. inter Augustini opera. Ipse etiam Augustinus, licet illa verba aliter existimet accipienda, tamen non existimat contentiosè resistendum iis, qui docent, Baptismum Iohannis aliquo modo remisisse peccata, modò fateantur, magnum esse discrimen inter Baptismum Christi & Iohannis.* Nimirùm, ita post & præter Evangelicos Doctores optimè scribit Vossius, *vidit Sanctissimus Antistes, etsi hic erret aliquis, non periclitari Salutem, non convelli Fidem, non lædi Pietatem; est enim controversia solùm de ceremonia temporis ante multa Secula præteriti, & quæ non diu duravit, de qua seu hanc, seu illam sequaris Sententiam, salva permanet doctrina de Pœnitentia, Fide & Pietate.* Quamvis enim testimoniorum de Baptismo Johannis accuratior consideratio eandem cum Baptismo Christi & Apostolorum adscribere eidem jubeat efficaciam, quoad vicelicet peccatorum remissionem; nemo tamen Evangelicorum refragabitur, si aliquod quoad efficaciæ gradus inter utrumque statuatur discrimen, idque fiat sine præjudicio alterius Sententiæ, quæ absque omni contradictione cum hoc stare potest tempera-mento. Et si Augustinus adeò rigidam superindè Definitionem suo tempore coactus fuisset legere vel audire, qualem Evangelici hodiè in Tridentinæ Synodi Decretis legere,

Conf. Vel. Adsert. in Auguſt. pag. 457.

Lib. V. de Bapt. c. 10

de Bapt. Disp. 8. num. 23. pag. 118. & 119.

gere, seque ob aliquem in re antehàc nunquam decisâ, sed indifferenter relictâ dissensum duro & diro anathematis fulmine à Jove Capitolino percuti audire, sed tamen per Dei gratiam non sentire, coguntur, scio, insigniter tantam fuisset audaciam miratus, imò etiam graviter detestatus, sicut non potuit non ægriùs ferre præcipitatam antehàc Stephani, Pontificis Romani, contra *Cyprianum* Ejusque collegas in causâ Anabaptismi censuram, suprà notatam, ubi de *Ministri Sacramentorum qualitate* fuit actum. Utinam ergò, & ô utinam ab hoc immani rigore abstinuissent Tridentini à Spiritu Romano malè animati Definitores, & fortè Schisma hoc tristissimum Christi tunicam non ita laceràsset, ut omnis jam redunitionis spes in totum decollare videatur. Utinam, ita porrò vota facio, sed proh dolor, frustranea, in vestigiis Augustini quoad hujus in specie Quæstionis decisionem mansissent, & nihil, de quo inter adversarias partes litigaretur, esset super. Ille enim, utut, quod jam monui, magnum inter Baptismum Christi & Johannis discrimen statuens, quod nec Evangelicos omninò negare, itidem dixi, in non uno locorum, ad quæ Bellarminus provocat, suam ita proponit Sententiam, ut alteram non in totum rejiciat. Nominatim, ubi Donatistas graviter est hortatus, *ne de Baptismo Iohannis faciant caliginem*, singulari humilitatis studio ita de eo pronuntiavit: *cujus causa & ratio sive ista sit, quam exposui, sive alia melior certiorque reddatur.* Eo etiam loco, ad quem Bellarminus suprà adlusit, ita hâc de re egit Augustus Doctor, ut non adeò multa liceat desiderare: *Quanquam ita credam baptizasse Iohannem in Aquâ pœnitentiæ in remissionem peccatorum, ut ab Eo baptizatis in Spe remitterentur peccata, reipsâ verò in Domini Baptismo id fieret, sicut resurrectio, quæ expectatur in finem Spe in nobis est facta; tamen, ne* (fortè, si) *quisquam contendat, etiam in Baptismo Iohannis dimissa esse peccata, sed ampliorem aliquam Sanctificationem eis, quos Paulus Apostolus denuò baptizari jussit, per Baptismum Christi esse collatam, non ago pugnaciter.* Utinam, ita adhuc semel, quamvis in irritum, vota facio, utinam in his, quos Augustinus modestissimè fixit, terminis, mansissent Patres ad Synodum Tridentinam conscripti, & de quo quererentur Evangelici, non haberent, ad Augustini moderationem meritò respicientes; quamvis si observatio *Esthii* ad Canonem de hâc Quæstione Tridentinum valet, non is præcisè vel directè Evangelicis videatur oppositus. Ita autem in suis ad Apostolorum Acta Notationibus scribit: *Concilium Tridentinum anathema dicit iis, qui negant, quidquam esse discriminis inter Baptismum Iohannis & Christi; nec tamen illud discrimen explicat. Vndè illo Concilii canone non damnatur quorundam Veterum Sententia, ut Basilii, Nazianzeni, Chrysostomi, Cyrilli Hierosolymitani, qui Baptismo Iohannis remissionem tribuunt peccatorum, Baptismo Christi adoptionem filiorum.* Si, inquam, hæc valeat explicatio, nihil ille Canon contra Evangelicos, qui non omne discrimen inter Christi & Johannis Baptismum tollunt, sed ultrò aliquod, quoad gradus Gratiæ, præsertim gratis datæ, quatenus Gratiæ gratum facienti opponitur vel contradistinguitur, concedunt, militat; & si laudatorum Ecclesiæ Patrum Sententia, quâ Johannis etiam Baptismo peccatorum remissionem adscripserunt, hoc Canone non fuit damnata, Evangelicos etiam hoc Fulmen non tangit, qui hac in re cum laudatis Patribus consentiunt, & contra quos Augustinus etiam *pugnaciter* non agendum statuit. Paucis, dum Theologiæ Moralis Doctores multò majoris momenti Quæstiones & propius Fidei fundamentum attingentes hodie intra Probabilitatis sive majoris sive minoris terminos collocent, atque pro & contra, ultrò citroque disputent, consultius fuisset, si & huic Problemati aliquem inter eas locum concessissent.

L. II. contra lit. Petil. cap. 37.

ad c. 19. vers. 4.

CAPVT VIGESIMVM QVARTVM, & seqq.

De

Ceremoniis Baptismi.

A Diaphoræ quidem hæ sunt & variantes, neque vel loci vel temporis respectu universales, id quod vel solum discrimen hodiè communiter receptum inter Ecclesias Orientales Græcorum & occidentales Latinorum confirmat, quas in ceremoniis plurimùm à se invicem differre, nemo rerum peritus ignorat; & tamen, quæ Romanorum hodiè Doctorum, & inprimis Bellarmini est insolentia, Evangelicis persuadere satagunt, eas, quarum in administratione Baptismi in suâ Ecclesiâ est usus, solùm esse antiquissimas, & vel ex Apostolorum traditione manantes, vel à Sanctis Patribus institutas. Quamvis autem fateamur ultrò, non omnes eas hodiè adhi-

beri, quas olim adhibitas fuisse in veterum Scriptis prolixè recensetur, collectas Seculo antecedente à *Rhenano* in ad *Tertulliani* de *Coronâ Militis* librum *Adnotationibus*, hoc autem *à Iosepho Vice-Comite*, Ambrosiani Mediolanensis Collegii Doctore, peculiari *observationum Ecclasiasticarum* Commentario; & ne Præceptoris olim de me Meritissimi immemor sim, *à D. Dannhavvero* in primo Sacræ *Christeidos* Actu, nuper etiam ab *Annalium Ecclesiasticorum Francorum* Conditore, ut plures alios Antiquitatis Ecclesiasticæ peritos silentio nunc præteream; fateri tamen coguntur idem Romanenses etiam, multa ab illo tempore in his quoque Ceremoniis mutata esse & omninò abolita. Quâ igitur illi fruuntur libertate, ut pro ratione temporis, loci, personarum id intermittant, quod olim per aliquot Secula in continuo fuisse usu agnoscere coguntur; eandem Evangelicis quoque concedant, humanæ tyrannidis jugum sibi ulterius imponi non sustinentibus, eâque Augustini authoritate fretis, quam *Launojus* loco proximè citando suppeditat, & cujus usum suprà jam habuimus: Ita enim Pater augustissimus: *In his rebus, de quibus nihil certi statuit Scriptura Divina, mos populi, vel institutа majorum pro lege sunt tenenda; de quibus si disputare voluerimus, & ex aliorum consuetudine alios improbare, orietur interminata luctatio, quæ labore sermocinationis cùm nulla Veritas* (alias, Veritatis) *documenta insinuet, utique cavendum est, ne tempestate contentionis serenitatem Charitatis obnubilet.* Et alibi: *Totum hoc genus rerum liberas habet observationes, nec ulla est in his melior Disciplina gravi prudentique Christiano, quàm ut eo agat modo, quo agere viderit Ecclesiam, ad quamcunque fortè devenerit. Quod enim neque contra Fidem, neque contra bonos mores injungitur, indifferenter est habendum, & pro eorum, inter quos vivitur, Societate servandum est.* Quæ Sancti Doctoris monita Evangelicis ideò grata sunt, quia non omnes in administratione Baptismi ceremonias olim usitatas aboleverunt, id quod ipse Bellarminus debuit agnoscere, sed eas ex libertate Christianâ pro ratione loci, temporis & personarum reservârunt, quas sine omni Superstitione ad eorum ædificationem & excitandam devotionem conducere existimârunt, qui Sacræ actioni huic sive tanquam Susceptores, sive tanquam testes rogati, sive aliàs Divino in Ecclesiâ cultui vacantes interesse solent. Ut adeò ferias hic agere liceret, neque opus esset, aliquem in hoc negotio impendere laborem, aut Lectorem ab eis, quæ sequuntur magis necessaria & plus controversa, prolixius detinere. Sed ne præteritio hæc videatur esse indicium omnimodæ paupertatis, quasi nihil planè esset, quod ex Augustini promtuario contra Bellarminum in hâc etiam Quæstione posset inservire, lubet breviter ad tria tantum loco Speciminis mentem revocare, & quia Bellarminus in tres divisit classes Baptismi ceremonias, illas nimirum, *quæ Baptismum vel antecedunt, vel comitantur, vel sequuntur*, ex quâvis classe unam modò eligere & ostendere, Bellarminum in earum ex Augustino commendatione non sincerè egisse, & quidem judicio eorum, qui testes de Domo audiunt, adeòque minus suspecti esse possunt aut debent. Ex primâ autem classe *octavam* numero & ordine Ceremoniam laudat Bellarminus *gustum Salis*; datur enim, inquit, vel potius *dabatur olim Catechumenis Sal gustandum, ut adparet ex Origene & Concilio Carthaginensi tertio. Et fortè ad hunc Salem adlusit Augustinus, cùm de se adhuc puero ait vel scribit:* Signabar jam signo Crucis, & condiebar Ejus sale. *Dabatur etiam Panis benedictus loco Eucharistiæ, ut Augustinus testatur; quanquam & ipsum Salem loco Eucharistiæ eis datum, constat ex Concilio Carthaginensi laudato.* Gabriel Vasquez, ubi de hâc Ceremonia agit, sequentia exhibet: *Pro eâ citant aliqui Origenem & Augustinum. Ibi tamen non meminerunt de hâc ceremoniâ Salis pro Catechumenis, sed alio sensu de Sale Divinæ Gratiæ loquuntur, ut quisque facilè videre poterit. Concilium tamen Carthaginense tertium, canone quinto, hujus Salis, quod Catechumenis gustandum tradebatur, apertè meminit, cùm ait:* Item placuit, ut etiam per solenniſſimos dies Paschales Sacramentum Catechumenis non detur, nisi Sal solitum; quia si fideles per illos dies Sacramentum non mutant, nec Catechumenis oportet mutari. *Addit Bellarmini Socius:* Hujus Canonis verba non parum obscura sunt. *Nonnulli putant, per Sacramentum eo loco intelligi Eucharistiam, cujus loco, inquit, Catechumenis Sal dabatur, juxta quorum Sententiam sensus illiuscrit Canonis, ne Catechumenis per dies etiam solennes Paschatis Eucharistia, sed tantum Sal solitum daretur. Sed verò, cùm nusquam legamus, Catechumenis dari consuevisse Eucharistiam, frustrà Canon ille in eo sensu latus esset, ad prohibendum id, quod nunquam fieri consuevерat. Ego igitur, qui Sacramentum intelligo Panem benedictum, qui sane Catechumenis loco Eucharistiæ* tempore Augustini *dabatur, & Sacramentum dicebatur, ut ex sequentibus Augustini verbis constat:* Quod accipiunt Catechumeni, quamvis non sit corpus Christi sanctum,

pag. 195. & seqq. *ad Annum Christi* 494 n. 7, seqq.

Epist. 86. ad Casul.

Epist. 118 ad Januar.

L. 1. Confess. c. 11.

Disp. 166. in 3. part. Th. c. 4. p. 561.

Conf. Cel. lot. de Hierarch. L. 6. c. 25. p. 546.

sanctum, est tamen sanctius, quàm cibi, quibus alimur, quia Sacramentum est. *Quod sanè nihil aliud fuisse videtur, quàm Panis benedictus, qui aliis communibus cibis præfertur, & ab Augustino Sacramentum vocatur. Cùm igitur hoc fuisset in more Augustini tempore, videtur in eo Concilio, cui idem Augustinus interfuit, sublatum; cùmque in diebus etiam Paschatis fuerit vetitum, videtur etiam pro omni alio tempore interdictum fuisse, ita ut pro Sacramento, quod gustari deberet, nihil Catechumenis relinqueretur, nisi Sal etiam benedictum & exorcizatum, quod omnibus dari consuevit ante Baptismum. Reddit autem Concilium rationem, quia, cùm fideles jam baptizati non mutent Sacramenta illis diebus, sed idem, nempè Eucharistiam recipiant, quo vesci semper consueverant, consentaneum rationi fuit visum Patribus Africanis, ut Catechumeni etiam non mutarent cibum spiritualem, sed eodem, Sale nimirum, illis etiam diebus vescerentur.* Ita contra Socium & Ejus sequaces *Vasquez*. Ex secundâ Ceremoniarum Baptismalium classe *quintam* numero & ordine Bellarminus laudat *tempus Paschale & Pentecostale*, hâc cum observatione: *Etsi quovis tempore dari possit Baptismus, si necessitas urgeat; veteres tamen diligentissimè servabant hanc Ceremoniam, ut solùm in Sabbathis Paschæ* (cur non Paschatos?) *& Pentecostes ordinariè baptizarent.* Addit, *esse hanc universalem & antiquam consuetudinem*, patet etiam ex illis Augustini verbis: *Venit Pascha, dedit nomen inter alios Competentes.* Hâc de Ceremonia & temporis circumstantiâ ut ex Augustino aliquid moneatur, laudatus paulò ante *Launojus*, Sorbonista Parisiensis facit, qui suo de *Veteri Ciborum delectu & jejuniis Christianorum* Tractatui peculiarem subjunxit de *solemnioribus olim Baptismi temporibus* adpendicem, quæ Bellarminus de Festis Paschatos & Pentecostes habet, non quidem rejiciens, at alia etiam tempora subjiciens solenniora, quibus Sacramenti hujus administratio fuit suscepta, Festum inprimis Epiphaniæ, quod ob tria maximè legitimum esse Baptismi tempus ostendit, *primò*, ob ipsius Christi Baptismum hoc die celebratum in Jordane, quod Exemplum esse dicit omni majus exemplo. *Deindè* ob antiquum juxta & celebrem apud Græcos usum & consuetudinem, à duobus nominatissimis Patribus, *Gregorio Nazianzeno, & Iohanne Chrysostomo* vindicatam. Neque vanam esse conjecturam, si quis hunc in Epiphaniâ tingendi morem, cujus nullum post Apostolos notetur in Oriente principium, ab aliquo Apostolo, vel Apostolico saltim Viro manasse credat. In iis enim, quæ Fidem non attinent, inductas esse varias universim ab Apostolis & Apostolicis Viris consuetudines, quis cum ratione firmâ negaret? *Tertiò* demum ob illustre miraculum, quo hic usus in Africâ post Siricii & Leonis, Pontificum Romanorum tempora sit confirmatus. *Addit*, ad præcipuum hujus Disciplinæ fundamentum, inter alia, quibus explicari possit & fulciri sequentia etiam Augustini verba inservire, in primo de hoc Epiphaniæ Festo Sermone ita Auditores suos adloquentis: *Nobis ex Baptismo lavacrum est concessum, quod in Iordanis alveo consecravit. Nos quoque in melius esse mutandos operis miraculo præmonstravit, quando aquas in Vina convertit. Et ideò in omni actu nostro Stellam Fidei præparemus, & in custodiâ puritatis Baptismum Christi celebremus, quia hæc Christi regeneratio nostræ Fidei est confirmatio. Infirmavit enim nobis sui Muneris beneficium per secundæ Nativitatis exemplum, & quod facere* (nos) *voluit, Ipse prior fecit. Legimus Iudæos diversa habuisse sub Lege Baptismata, sed nullum ex his contra prævaricationis malum potuit generalem conferre medicinam; & ideò pro absolutione totius Mundi indigebant regenerationis aquâ cœlitùs sanctificari. Et quia per universum Mundum Baptismi Sacramentum humano generi opus erat, omnibus Aquis benedictionem dedit, quando in Iordanis alveum unicâ ac singulari Pietate descendit; tunc enim non tam Christum Dominum lavit unda, quàm lota est. Tibi ergò Christus nascendo advenit, tibi vivendo militavit, tibi moriendo conflixit. Quem vides pro te mortuum, pro te etiam intellige baptizatum.* Et interpositis quibusdam: *Vitalem gratiam non corpus ex flumine, sed flumen mutuatur ex corpore. Descendere in se fontem suum felix unda miratur, sub uno momento remedia concipiens æterna, & novâ* DEUM *regenerationis fœcunditate parturiens; quod acceperat, hoc reddens, & quod non habebat, accipiens.* His similia postquam ex Hieronymo, Maximo, Ivone Carnotensi adduxit *Launojus*, Festum Epiphaniæ ad Baptismi celebrationem commendans, addidit, ipsum quoque Natalem Christi huic Sacræ actioni olim fuisse consecratũ, id quod præter alia inprimis Baptismo *Clodovei*, primi Gallorum Regis ad Christum conversi, in hoc Festo baptizati confirmati quin & usitatum in Festo S. *Iohannis Baptistæ* Baptismum apud Gallos fuisse, ex *Gregorio Turonensi* docet. Ut autem illustrationis loco illud etiam adcedat, quod de Baptismo Clodovei in Vigiliâ Natalis Domini celebrato, contra *Fredegarium & Hincmarum*, Gallorum Historicos, hanc actionem Paschatos Festo adscribentes, & eorum authori-

Lib. II. de peccat. merit. cap. 26.

de curâ pro mort. cap. 12.

Conf. Eucholog. Goar, pag. 467.

Serm. 29. de Temp.

pag. 208. seqq.

tatem secutos, in specie, laudatum supra Theologum Mediolanensem, *Iosephum Vice Comitem* habet Launojus, pluribus nuper ivit confirmatum, qui *Annales Francorum Ecclesiasticos* scribere cœpit, *Carolus le Cointe*, Trecensis, Congregationis oratorii Presbyter, laudatus *Ephemeridum Gallicanarum* Authoribus Scriptor, prolixam *Aviti*, Viennensis Episcopi ad ipsum Regē Clodoveum de hoc ipso Epistolam adducens, ex quâ hæc tem-
Anno Christi, 496. n. 8. poris circumstantia satis apertè demonstratur. Accedit, quod & hic non prætermittendum, testari eundem Annalium Scriptorem, eodem Anno, quo Clodoveus Rex est baptizatus à *Remigio*, Rhemensi Episcopo, baptizatum esse quinto Calendas Octobris, id est, proximè ante Festum *Michaelis*, Tribunum quendam, nomine *Censorinum*, ab *Eleutherio*, Tornacensi Episcopo, pluribus adjunctis Tornacensibus, qui unà ab eodem Episcopo, pluribus adjunctis Tornacensibus, qui unà ab eodem Episcopo susceperant Baptismum. Ut adeò plura fuerint tempora Baptismi Sacramento olim destinata, quàm quæ Bellarminus, ex *Augustino* præsertim; voluit huic actioni Sacræ esse solennia; qui etiam agnoscere noluit, quod tamen plerique hoc argumentum tractantes ingenuè fassi sunt, nominatim laudatus *Vice-Comes*, Doctor Ambrosianus scribens, *Baptismi tem-*
Observ. Eccles. Lib. 1. cap. 18. p. 47. *pus in Ecclesiâ varium & multiplex fuisse; & quidem ejus quasi nascentis exordio Fidei Christianæ Proceres, nullâ temporis ratione habitâ, quoscunque Salutis veræ avidos noverant, ereptis opinionum erroribus, solenni ritu piatos, ad Fidem Christi adjunxisse*, & ita testibus Apostolorum Actis Eunuchum Candacis Æthiopum Reginæ à Philippo, Paulum antehàc Saulum ab Ananiâ, Cornelium cum familiâ à Petro, alios plures ab aliis fuisse baptizatos, *quæ certo tempore ac constituto, cùm ex improviso fuerint facta, contigisse, vixest, ut credam*, inquid Vice-Comes, post adductum Ambrosii locum huc pertinentem addens, *omnium gentium Magistros*, Apostolos, *in Sacris baptismalibus homini impertiendis nullum habuisse temporis delectum*, id quod sequenti etiam ratione convinci posse putavit: *Apostolici namque consilii & prudentiæ non fuit, primis temporibus, quando benè subactus ager Domini uberrimos pollicebatur fructus, præsentem & certam messam longius differre; maximè, quia metuendum erat, ne passim à virgultis & vepribus jactum Christianæ religionis Semen elideretur. Addo, tantam hominum multitudinem iis temporibus ad Baptismum confluxisse, ut duobus* (tantùm) *diebus, sicut posteà, omnium vota expleri nullatenus potuerint; præsertim cùm Ecclesia tunc Ministrorum laboraret inopiâ, nec certa cuique Munera essent distributa.* Hæcille, qui posteà etiam, ubi plura de duobus statis hisce temporibus Patrum & Ecclesiæ Scriptorum, interque ea *Augustini* etiam, collegit testimonia, porrò confessus est, *consuetudinem hanc*, Festo solùm Paschatos & Pentecostes Baptismi Sacramentum administrandi, *permansisse quidem* (at non omninò integram & inviolatam, quod adducta paulò ante Exempla ostendunt,) *usque ad tempora Caroli Magni, Ludovici Pii, filiique Ejus Lotharii, testibus Eorum legibus ab Ansegiso collectis, & Scriptoribus coævis, Albino Flacco, Walfrido Strabone, Rabano Mauro, & Concilii Triburiensis Patribus; sed post eos nullum Baptismi in Paschate aut Pentecoste administrati meminisse, id quod argumento sit veterem hanc ab eo tempore consuetudinem esse abrogatam, cæptaque passim & tempore quocunque Baptismi Sacramenta conferri.* Causam mutationis fuisse dicit *commune periculum vitæ, quod plerique sine Baptismo vitâ fuerint defuncti; & ut vaferrimo humani generis hosti, cujus infinita sitis*, inquit, *hominum stragibus insaturabiliter expletur, Divinis confirmati præsidiis fortius resistere possimus.* Launojus etiam, circa temporis circumstantiam, quo disciplina baptizandi in diebus Solemnioribus abrogari cœpit, sequentia notatu di-
L. cit. p. 235. gna observavit: *Primò*, certum esse, baptizandi hunc ritum nullo Canone universalis Concilii, quod ex Latinis simul & Græcis Antistitibus coaluerit, esse abrogatum. *Secundò*, certum esse etiam, hunc baptizandi ritum nullo Canone universalis Concilii, quod Latina (solùm) habuerit Ecclesia, esse abrogatum. *Tertiò*, certum esse itidem, hunc ritum baptizandi nullo etiam Decretō Romanorum Pontificum esse abrogatum. *Quartò* tandem, ritum hunc baptizandi post Magistrum Sententiarum abrogari paulatim cœpisse, &, quod post quædam circa observationem *septimam* notat Launojus, hanc baptizandi disciplinam non ubique simul, sed quibusdam in locis citius, in aliis tardius abrogatam fuisse, additis circa *nonam* observationem duabus & communibus Scholasticorum penè omnium rationibus, quibus tandem sit
pag. III. qu. 68. art. 3. effectum, ut hæc baptizandi disciplina abrogaretur, *Thomâ Aquinate* eas exponente; *unâ quidem*, quâ dilationem statuit prætermittendam, quando, qui sunt baptizandi, perfectè adparent instructi & ad Baptismum idonei, sicut Philippus Eunuchum, & Petrus Centurionem cum suis statim baptizârunt; *alterâ autem* propter infir-

infirmitatem aut propter aliquod periculum mortis, Leone Papâ, rigidissimo aliàs antiqui moris observatore, hic tamen connivente, de quibus utut sat facilibus & expeditis rationibus, quæ nihilo-minus suas habuerint vices, & variam sint expertæ fortunam, porrò id etiam *Launojus* observat, eas non movisse Sanctos Patres & Episcopos per Annos mille ducentos & eò amplius Occidentalem gubernantes Ecclesiam; non movisse Concilia, qui eandem Sacris Canonibus temperârint, *movisse tamen* & tandem primi & secundi ordinis Sacerdotes posterioribus Seculis Ecclesiam administrantes, sed paulatim & veluti sensim sine sensu, *usque dum vetus ille baptizandi ritus in desuetudinem abiret.* Quæ hâc occasione ex parte Evangelicorum contra Papæos tanquam nimios Cæremoniarum veteris Ecclesiæ admiratores notari possent, non urgeo, ea Lectoris studiosi judicio commendans. Addo tantùm, quæ laudatus anteà non semel *Vice-Comes* pluribus huc pertinentibus & partim suprà jam adductis subjunxit: *Ex quo ea mutari tempora Sanctis Patribus est visum, omnes in id toto incubuerunt pectore, ut nati infantes quàm primùm in Ecclesiam, aut omninò ante nonum diem, ad Baptismum deferrentur.* Lit. cit. c. 23. p. 67. Tertia super adhuc est classis cæremoniarum, quæ Baptismum sequi dicuntur, ex quâ *secundam* numero & ordine sistit Bellarminus unctionem *Chrismatis in vertice*, quam & distinguit ab eâ unctione, quam inter cæremonias Baptismum antecedentes refert, ac numero & ordine *undecimam* recenset, quaque ante Baptismum Catechumenos *oleo benedicto in pectore & scapulis* unctos scribit, ac utriusque unctionis ante & post Baptismum meminisse *Augustinum* monet; sed & distinguit ab ea unctione, de qua tanquam singulari Sacramento, quod Confirmationis dicitur, sequenti & peculiari libro agit, ejus materiam statuens *non oleum simplex, sed Balsamo mixtum*, ac Ministrum esse dicens *solum Episcopum*, alias etiam addens Cæremonias ab unctione Baptismali differentes, de quo Confirmationis vel unctionis Sacramento proximè ex *Augustino* amplius erit agendum. Serm. 206. de Temp. Nunc id moneo, Bellarminum & omnes Papæos Scriptores Ejus vestigia legentes, circa distinctionem unctionis, (quam etsi simplicem, non duplicem, olim ad tempus aliquod in Ecclesia Veteri usitatam fuisse Evangelici non negant, necessariam verò eam observatu hodienùm esse inficiantur) in Baptismo adhibitæ, à peculiari Unctionis Baptismalem Gratiam confirmantis Sacramento, entia præter omnem multiplicare necessitatem, & quod ad præsens pertinet Institutum, sine *Augustini* authoritate, ad quam nihilominus provocare ausus est Bellarminus. Ut enim de Authore & authoritate illius Sermonis non dicam, in quo *Augustinum* utriusque unctionis, Baptismi Sacramentum & antecedentis & consequentis, meminisse dixit; nihil in eo continetur, quod duplicem in hujus Sacramenti administratione jubeat fingere unctionem. Verba, ad quæ respexisse videtur Bellarminus, (neque enim ea adponere est ausus, ne fraus Lectori pateat) hæc sunt: *Omnes, qui ad salutare Baptismum consequendum offeruntur Ecclesiæ, & chrisma & oleum Benedictionis accipiunt, ut jam non Vasa vacua, sed Deo plena, & Templum Dei esse mereantur.* In his verbis dum chrisma & oleum particulâ *ET* distinguuntur, Bellarminus etiam duas unctiones distinctas significari putavit, cùm tamen infinitis ex Sacro Codice, ipso etiam *Augustino* exemplis possit ostendi, unam rem eandemque diversis, hac intercedente particula, vocabulis exhiberi; diversis inquam vocabulis, quæ non res diversas sistunt, sed rem unam eandemque, ut dixi, posteriori ut plurimùm vocabulo antecedens explicante. Et ne frustrà id dixisse videar, ita Augustini, si modò Augustini, verba hæc intelligi debere, de una nimirùm, & non duplici unctione; evincunt omnia Ejus loca, quæ de unctione Baptismali agunt vel agere videntur, utpotè quorum nullo duplex occurrit unctio, sed una tantum & simplex, id quod Examen locorum ostendet, quæ Bellarminus ad demonstrandum Confirmationis Sacramentum adduxit. Nunc ea inter attendisse sufficiat, quæ laudato Antiquitatum Baptismalium Scriptori, *Iosepho Vice Comiti*, ad hujus unctionis Baptismatis confirmationem placuit Lectori commendare. Postquàm enim *Honorium Augustodunensem, Richardum Anglicum, Guilielmum Lindanum, Guilielmum Durandum, Iacobum* quoque *Pamelium* graviter (quo jure, quave injuria, hic non attendo;) perstrinxit, quod triplicem, ante videlicet Baptismum, post Baptismum, & in peculiari Confirmationis Sacramento adhibitam unctionem, earumq; quasi diversarum distinctionem non advertentes *Veterũ Ecclesiæ Scriptorum confuderint testimonia, & ad unam unctionẽ, quæ tribus diversissimis competunt, retulerint*; ut causas indicaret, quarũ respectu hæc unctio Baptismalis, quã Bellarminus in tertia Classe & inter Cæremonias Baptismũ sequẽtes recensuit adhibeatur ad tria provocavit Augustini, præter aliorũ Ecclesiæ Doctorũ, testimonia, quæ tamen omnia & L. V. c. 3 pag. 310.

singula non nisi unius Unctionis, faciunt mentionem. Primum est: *Vnguento visibili, quo baptizatos ungit Ecclesia, Donum Gratiæ significatur.* Secundum: *Christi nomen à chrismate dictum est; Chrisma autem Græcè, unctio Latinè nuncupatur. Ideò autem nos unxit, quia luctatores contra Diabolum fecit.* Tertium huic simile est, & ab hoc indubiè desumtum, quod *Prosper*, Augustini discipulus, & juxta quosdam alter Augustinus, in Sententiis ex Augustino collectis habet: *Christi nomen à chrismate est, id est, ab unctione, quia* (fortè, quâ) *ideò omnis Christianus sanctificatur, ut intelligat, se non solùm Sacerdotalis & Regiæ Dignitatis esse consortem, sed etiam contra Diabolum fieri luctatorem.* Quamvis si duo hæc posteriora Augustini & ex Augustino *Prosperi* testimonia accuratius, ut par est, inspiciamus, non de unctione visibili, de quâ in primo agitur, sed invisibili & spirituali in iis Sermo sit, comparatione institutâ unctionis Christianorum cum unctione Christi, à quo dicuntur Christiani, sicut ille Christus à chrismate & unguento vel unctione, non certè visibili, quo Eum in Baptismi susceptione à Johanne Baptistâ unctum fuisse non legimus; sed omninò invisibili, quo humanam in primo Unionis, quæ ob Mysterium inexplicabile dicitur *personalis*, momento Naturam Deus Pater juxta Regii Vatis Oraculum unxit *præ consortibus*, qui tamen hujus etiam unctionis ex parte fiunt participes, dum vi fœderis & Gratiæ Baptismatis tanquam membra cum Eo tanquam Capite propiùs junguntur & uniuntur, à quo flumen Donorum & sanctificantium & administrantium in totum corpus derivatur, & quidem sine unguento vel unctione visibili, quod ad Augustini mentem ritè percipiendam sequenti de Confirmationis Sacramento tractationi fuit omninò præmittendum.

Lib. 15. de Trin. c. 26 Tract. 33. in Johan.

num. 342.

LIBRI SECVNDI
CAPVT SEXTVM ET SEPTIMVM,
De
Sacramento Confirmationis.

QUinque diversis Augustini locis & testimoniis utitur Bellarminus, ut eam Confirmationem vel unctionem, quam à præcedente duplici unctione, tanquam cæremoniis Baptismalibus distinguit, Sacramentum propriè & verè dictum esse demonstret, prolixissimè insupet respondens ad ea, quæ Chemnitius & Calvinus ex Augustino contra hoc Sacramentum observârunt. Quæ ad priorem hujus tractationis partem pertinent, hæc sunt: *Augustinus dicit*, Ecclesiam adhuc servare, quod fecerunt Apostoli, ut Ejus præpositi manus imponant ad Spiritum Sanctum accipiendum. *Ibidem etiam meminit* Chrismatis. *Alibi dicit*, hâc unctione spiritualiter homines perfici. *Item alibi dicit*, Nunc quidem linguis non loqui, quibus post Baptismum manus imponuntur; Reverà tamen accipere Spiritum Sanctum, & latenter atque invisibiliter infundi charitatem. *Sed præcipuus est sequens locus*: In hoc unguento Sacramentum chrismatis vult Petilianus interpretari, quod quidem in genere visibilium signaculorum Sacrosanctum est, sicut ipse Baptismus, sed esse potest in hominibus pessimis: *Et infra*: Discerne igitur visibile sanctum Sacramentum, quod esse & in bonis & in malis potest; illis ad præmium, istis ad judicium, ab invisibili unctione Charitatis, quæ propriè bonorum est. *Hæc Augustini testimonia* & loca à Bellarmino pro Confirmationis & unctionis post Baptismum Sacramentalis demonstratione, dum non sunt unius generis, specificam quoque requirunt considerationem. Et primus quidem, tertius item & quartus de impositione manûs vel manuum; secundus verò & quintus, in quem ultimum Bellarminus omnem suam spem collocat, de unctione agunt. De utrisque videndum, an ad Sacramentum Confirmationis à Baptismi Sacramento distinctum pertineant. Impositionem manûs vel manuum quod attinet, *in vindiciis & Anti-Ottonianis & Anti-Thomistitis* antehàc ostensum fuit, quæ lis & controversia ante Annos non ita multos, inter celeberrimos hujus Seculi & satis eruditos Scriptores, *Petrum Aurelium*, vel potius *Iohannem Vergerium Haurannium*, Abbatem in Biturigibus San-Cyranum, & singulari Regis Galliarum Privilegio, jussu item, adeoque & nomine, & impensis *Cleri Gallicani*, sua de præsenti Quæstione opera iteratò & magno cum plurium adplausu publicantem ex unâ, ex alterâ verò *Iacobum Sirmondum*, in Antiquitate Ecclesiasticâ præ aliis suæ Societatis ho-

Lib. 15. de Trin. c. 26 Conc. II. in Psal. 26. Lib. III. de Bapt. cap. 16. & Tract. 6. in Epist. Joh. Lib. II. contra lit. Petil. cap. 104.

hominibus versatum, libris hinc indè editis, non sine multo & maximo animorum motu fuerit agitata, undè pauca quædam repeti hic debent, ut de *Augustini* Sententiâ eò facilius possit statui, & quidem eo iterùm ordine, quo ea ex ipso *Aurelii* indice, tertio operum Tomo post Præfationem ad Lectorem inserto, excerpsit & recensuit *Ioh. Dallæus*, de hoc Confirmationis Sacramento non Sacramento prolixissimè agens. Nimirùm *Aurelius* sequentia defendere capita *Sirmondum* ait, *primò*, patres antiquos verticis unctionem in Baptismo à Ministris, & frontis in confirmatione ab Episcopis fieri solitam, unam eandemque habuisse & ejusdem efficientiæ. *Secundò* eos frontis chrismationi non tribuisse Spiritum Sanctum, sed putasse, hunc effectum esse proprium manûs impositionis. *Tertiò*, Chrismationis Episcopalis, quæ in Confirmationis Sacramento adhibetur, iterationẽ innoxiam seu non præjudicantem iis visam. *Quartò*, in eâ Chrismatione olim non fuisse situm Confirmationis Sacramentum, sed in solâ manuum impositione, eâque solâ pluribus Seculis sine Chrismatione administratum fuisse hoc Sacramentũ. *Quintò*, eam Chrismationem Confirmationis Sacramento ab Ecclesiâ ornatûs solemniorisque pompæ gratiâ fuisse adjectam, & unctionem, quæ nunc fit in Fronte, ad Baptismi ceremonias olim pertinuisse, posterioribus quoque Seculis aliam, quàm antea, Confirmationis materiam, aliam esse formam cœpisse. *Sextò*, formam in specie verborum, quæ nunc adhibentur, non videri antiquissimam, imò à veteri alienam esse, quam Cyprianus & *Augustinus* orationem fuisse testentur. *Septimò*, Chrismationem frontis olim vulgò tum Presbyteris, tum ipsis etiam Diaconis commissam ab Episcopis, & perpetuum apud Græcos fuisse, ut presbyteri eam frontis Chrismationem, quæ apud Latinos dicitur Episcopalis, peragerent &c. Nostrum non est, intercedere huic unius Ecclesiæ hominum controversiæ, quam nec indè adhuc decisam non immeritò videri potest mirum, undè aliàs omnium in rebus Fidei (& non rarò etiam in rebus Seculi) Controversiarum finis expectari solet. A partibus *Aurelii* stetit Clerus, ut dixi, Gallicanus, cujus magna & nobilis pars dicitur esse Sorbona; à partibus autem *Sirmondi* fuit Societas, cujus nomine *Ludovicus Cellotius* contra *Aurelium* processit in aciem, splendido de *Hierarchiâ & Hierarchis* opere, Hierarcharum Principi & Hierarchiæ capiti, *Vrbano*, hujus nominis octavo, Pontifici tum Romano, ad favorem operi conciliandum dedicato; at nihilo tamen minus sequenti statim post publicationem Anno à Congregatione Indicis sacerrimâ cum aliis pluribus Indici prohibitorum inserto, non absque insigni causæ ab *Aurelio* contra *Sirmondum* defensæ præjudicio, quam post etiam contra *Cellotium* opere itidem insigni, & sub eodem tituli Elogio tuitus est *Franciscus Hallier* Doctor Sorbonicus, Privilegio Regis Galliarum & adprobatione Doctorum in Facultate munitus, eam pertexens telam, quam eodem tempore antehàc cum *Aurelio*, contra Episcopalis Hierarchiæ destructores maximo cum adplausu cœperat. Satis autem ex recensione septem capitum, in quibus à communi Sententiâ Ecclesiæ *Sirmondum* recedere ostendit *Aurelius*, constare potest, quid expectandum nobis esset in hâc Controversiâ, si litibus hisce intermisceri vellemus, egregium unitatis in re Sacramentali documentum exhibentibus & ostendentibus, neque in causâ ministeriali, neque materiali, neque formali, quin & neque finali convenire hos Doctores, imò integras Theologorum Facultates & Societates, unum caput Pontificem Romanum agnoscentes, ad unam Matrem Ecclesiam provocantes, & unitatem Fidei in omnibus Articulis fundamentalibus inque Christianismi conservatione necessariis supercilliosissimè jactantes. Sepositis ergò iis, ad Bellarminum ex Instituto respiciamus, utpotè communiori inhærentem Sententiæ, visuri, an *Augustinus* verè ad illius confirmationem adduci potuerit. Certè primus, ut dixi, tertius item & quartus Sancti Patris locus *manuum impositionis* faciunt mentionem, cujus tamen in describendâ Confirmationis formâ non meminit Bellarminus, eam ad ceremonias tantùm hujus Sacramenti referens, quæ in aliis etiam antehàc actionibus sacris & Sacramentalibus fuit usitata. *Hammondus* ex ordine & numero Presbyterorum in Anglia, & Professor antehàc Oxoniensis, in suo de *Confirmatione* contra *Dallæjum* Tractatu, ad primum *Augustini* locum à Bellarmino laudatum aliqua notavit, quibus *impositionem manuum non meram Baptismi ceremoniam fuisse* studuit evincere. Quid de eo sit habendum ipse verborum Augustini textus ostendet. Ita autem Doctor augustus scribit: *Quomodo Deus non est, qui dat Spiritum Sanctum? imò, quantus est Deus, qui dat Deum! Neque enim aliquis discipulorum Ejus dedit Spiritum Sanctum. Orabant quippè, ut veniret in eos, quibus imponebant manum; non ipsi Eum dabant. Quem morem in suis Præpositis etiam nunc servat Ecclesia.* Addit pro illustratione ejus, quod dixit & observavit, exemplum ex Apostolorum actis de Simone

pag. 498. & 499.

NB.

Mago, eandem communicationis gratiam ab Apostolis desiderante. *Hammondus* notat,

Cap. 6. Sect. 7. p. 167. *Cùm ab Apostolorum praxi morem hunc duxisse Ecclesiam adfirmet Augustinus, eumque non nisi in Præpositis servare, Apostolos verò non in Baptismo, sed ad impetranda priùs baptizatis linguarum dona hunc ritum adhibuisse notissimùm sit; cùmque ipso hoc loco Simonem Magum obferentem Apostolis pecuniam inducat Augustinus, manifestissimum redditur, de manuum impositione, non ut Ceremoniâ Baptismum attinente, sed ut solenni ritu Ecclesiastico, Episcopis sub nomine Præpositorum reservato locutum esse.* Addit ex Augustini sequentibus proximè verbis, *Idem per baptizatorum unctionem notasse videtur de Dono Gratiæ differens Augustinus.* Verba Sancti Patris hæc sunt: *Dominus ipse Iesus Spiritum Sanctum non solum dedit ut Deus, sed accepit etiam ut homo, & propterea dictus est Gratiâ plenus. Et manifestius de illo*

cap. 10. *scriptum est in actibus Apostolorum, quoniam unxit Eum Deus Spiritu Sancto, non utique oleo visibili, sed dono Gratiæ, quod visibili significatur unguento, quo baptizatos ungit Ecclesia.* Notat iterum ad hæc Hammondus, *Ex quo cùm post Marcum Antonium de Dominis, Archi-Episcopum antehàc Spalatensem, Dallæus chrisma ipsius Baptismi ritum fuisse statim concludat, non videt, quod, ut alii videant, perspicillis non indigent, æque saltem, si non magis commodè dici, Ecclesiam Baptizatos ungere, quos peracto statim Baptismo ungit, ac quos in ipso linit Baptismate.* Sed nondum est observationum finis, quia nec dum Augustinus propositam absolvit tractationem, qui jam citatis proximè hæc subjunxit. *Nec sanè tunc unctus est Christus Spiritu Sancto, quando super Eum baptizatum velut columba descendit; tunc enim corpus suum, id est, Ecclesiam suam præfigurare dignatus est, in quâ præcipuè baptizati accipiunt Spiritum Sanctum. Sed istâ invisibili & mysticâ unctione tunc intelligendus est unctus, quando Verbum Dei caro factum est, id est, quando humana Natura sine ullis præcedentibus operum bonorum meritis Dei Verbo in utero Virginis est copulata, ita ut cum Illo una fieret persona.* Hammondus sequentia iterùm ad hæc contra Dallæjum notat: *Nec sanè, quod addit Augustinus, columbam in Baptismo Christi nostram præfigurasse unctionem, certius hoc docet, ut Dallæjo visum, videlicet, unctionem fuisse ritum ad Baptismi ceremonias pertinentem. Nec enim ea sunt Augustini verba,* columbam In Baptismo Christi, *aut, ut Dallæjus (quasi ipsius essent Augustini, ea citat,)* in Christum columba in ipso descendit Baptismo, *sed,* quando super Eum baptizatum velut Columba descendit; *nec si fuissent, Augustino credendum erat, cùm nos multò certius Evangelista doceat, descensum columbæ nullam Baptismi partem fuisse, sed Baptismum planè secutum esse* &c. Hæc omnia ibidem & adhuc plura contra Dallæjum ex hoc Augustini testimonio Sacramentum Confirmationis Pontificiæ infirmantem *Hammondus*, in gratiam Episcopalium Anglorum, pro Episcopali authoritate in Confirmationis sive Benedictionis post Baptismum solenni per impositionem manuum collatione, tanquam pro ritu à Baptismo in totum separato militans, cui quamvis ad respondendum non teneantur Evangelici, nihil omninò sive cum Presbyterianis, sive cum Episcopalibus Anglis negotii habentes, multò minus ad vindicias pro *Dallæjo* scribendas obligati, cum & ipsi non defuerit occasio & tempus, sua ad laudatum Augustini testimonium contra Confirmationis peculiare Sacramentum observata defendendi, & nullum esse debeat vel possit dubium, quin Collegas reliquerit & discipulos ad id operis sufficienter instructos, ubi id è re & necessarium esse videbunt; non tamen præter Instituti erit rationem, si paucissimis moneatur, quid in his *Hammondi* Notationibus jure desideretur. Quem ergò ad modum cum Augustino omnes & omni ex parte verum esse agnoscunt, morem impositionis manuum ab Apostolorum praxi Ecclesiam duxisse, ita *Hammondus* non planè nullam verbis Augustini vim intulisse, ac aliquod impertinens augmentum eis addidisse convinci potest, hunc in modum ea recensens, quasi Augustinus expressè scripsisset, *Ecclesiam hunc morem Non-nisi in Præpositis servare*, ac nomine Præpositorum Episcopos solùm voluerit intellectos. De suo enim addidit Hammondus particulas, *Non-nisi*, suique cerebri quævis ad scopum sibi præfixum vi etiam adigentis figmentum protulit, dum nomine Præpositorum Episcopos solùm voluit intellexisse Augustinum, exclusis omninò Presbyteris, cujus tamen exclusionis & ad Episcopos tantùm restrictionis nullum in verbis Augustini extat indicium. Imò quia in ultimâ eorum, prout suâ serie adduximus, parte hanc manuum impositionem ab Apostolorum Praxi deductam satis manifestè per eam explicavit actionem, quâ intercedente baptizati in Ecclesiâ Spiritum Sanctum, id est, Dona Ejus sanctificantia accipiunt, quibusvis Ecclesiæ Ministris, non Episcopis solùm, Baptismi Sacramentum administrantibus; hanc ad Episcopos restrictionem ab *Hammondo* factam contra Augustini mentem esse, per se patet. Conatur quidem id, quod Dallæjo quoque observatum, eludere Hammondus

per

per baptizatorum in Ecclesiâ ampliationem, scribens: *Quasi verò illi, qui olim Baptismo donati sunt, non sint æquè, imò magis propriè in Ecclesiâ, quàm ipsi, qui jam baptizantur.* Sed apertè iterùm Augustino contradicit, qui in eo notanter convenientiam Baptismi à Christo susceptí & Christianorum observat, quod, etsi non tum demum, ubi in Jordanis fluvio baptizatus fuit, fuerit unctus Spiritu Sancto, is tamen Spiritus Sanctus visibiliter velut columba super Eum modò baptizatum descenderit, & *simul corpus suum, id est, Ecclesiam suam præfigurare dignatus fuerit, in quâ præcipuè baptizati accipiant Spiritum Sanctum:* certè in Baptismo, & dum accipiunt Baptismum, dicti ideò baptizati in tempore præterito, quia jam pro baptizatis habentur, qui in ipsâ Baptismi administratione & actu per impositionem manus inter devotas preces Deo commendantur & sistuntur, formulâ apud Sacros æquè ac profanos Scriptores usitatissimâ. Nihili etiam est omninò, dum *Hammondus* in eo quoque Ingenii acumen subtile voluit ostendere vel potius ostentare, quo Historiam Baptismi Salvatoris divellere conatus, Spiritûs Sancti in visibili columbæ formâ descensum negavit *esse partem Baptismi*, sed Baptismum esse secutum, quem Sacer Evangelista tamen unitissimè cum ipsâ Baptismi historiâ conjunxit, & quasi unam actionem nullâ ratione divellendam accuratissimè cum circumstantiis observatu dignissimis descripsit; undè etiam Patres orthodoxi ex hujus Baptismi descriptione pro Trinitatis Sacro-Sanctæ Mysterio, & Christi æternâ Divinitate contra ejus nefandos detractores argumentati, eos ad Jordanem ablegârunt, ibi satis & sufficienter convincendos. Augustinus in specie: *Adparuit manifestissima Trinitas, Pater in voce, Filius in homine, Spiritus Sanctus in columbâ.* Tract. 6. in Joh. Etsi verum quoque concedatur esse, quod *Hammondus*, sine tamen Scripturæ Sacræ suffragio, contendit, *Apostolos non in Baptismo, sed ad impetranda baptizatis Linguarum dona Ritum impositionis manuum adhibuisse*, idque exemplo Simonis Magi ex Augustino confirmare laborat; non tamen necessariò sequitur, hunc ritum post ab Ecclesiâ fuisse observatum, quasi Ceremoniam ab ipso Baptismi Sacramento ejusque actu & administratione diversam & separatam, dum alia fuit ratio, alius item effectus & respectus dono Linguarum & cæteris administrantibus extraordinariis non amplius, sicut Apostolorum tempore in Ecclesiâ vigentibus, adeoque ceremoniâ hâc sicut ad alias actiones sacras, ita etiam ad Sacramentum Baptismi & in eo ad collationem donorum Sanctificantium relatâ. Neque oculatior fuisse *Hammondus* dici debet, quod absque perspicillis plus se, quàm alios eorum subsidio, existimavit vidisse, *æquè saltem, si non magis commodè dici; Ecclesiam baptizatos ungere, quos peracto statim Baptismo ungit, ac quos in ipso linit Baptismate.* Sæpè enim fieri solet, ut uno etiam oculo plus se quis videre sibi imaginetur, quam alii duobus; quos si postmodùm ipse etiam aperiat, falsum se fuisse experiatur. Demonstrandum videlicet est, non divinandum, Augustini tempore duplicem in usu fuisse unctionem, vel juxta computum Bellarmini triplicem: primam, quæ Baptismum antecederet, secundam, quæ Baptismum sequeretur, tertiam, quæ Sacramentum Confirmationis peculiare constitueret; vel ut *Hammondo* per dichotomiam agere placuit, unam, quâ in ipso Baptismi actu, alteram, quâ peracto statim Baptismo quis ungeretur; quod tam diu negatur, donec apertis ex Augustino testimoniis confirmetur. Ut paucis vindicias primi hujus testimonii finiam, nisi velimus esse nimis curiosi, nodumque in scirpo quærere, ipsa Sancti Patris verba satis sunt manifesta, exhibentia videlicet in primâ parte impositionem manus, quasi ritum ab Apostolis mutuatum, sine tamen Sacramenti mentione; in secundâ unctionem baptizatorum, per Christi-Hominis unctionem aliquâ ratione præsignificatam; in tertiâ Christum columbâ Spiritûs Sancti symbolo designatum, & simul Filium Dei declaratum, Ecclesiam præfigurantem, *in quâ baptizati accipiunt Spiritum Sanctum*, & quidem, ut multâ cum significatione dixit Augustinus, *præcipuè*, id est, præprimis in ipso Baptismi actu, in quo, qui baptizantur, accipiunt Spiritûs Sancti dona, ut sæpè jam dixi, sanctificantia, quæ in eis postmodùm confirmantur per Pœnitentiam & salutarem Eucharistiæ usum. Manet, primum hoc Augustini testimonium agere primùm de impositione manuum, deindè etiam de unctione, ac utramque ad collationem donorum Spiritûs Sancti referre, quod primariò in Baptismi Sacramento fieri certum est, nec alio post Baptismum Sacramento peculiari indiget Ecclesia.

Cætera Augustini testimonia de manuum impositione tantùm agentia, ad quæ Bellarminus lectorem ducit, Ejus instituto planè non inserviunt, quia, ut ad primum observavimus, & hic omninò venit repetendum, Is impositionem manuum non nisi inter ceremonias hujus Sacramenti, si modò Sacramentum est vel dici potest ad Augustini men-

mentem, retulit, atque adeò ea ad essentiam vel formam Sacramenti non pertineat, pluribusque, ut itidem monui, actionibus in Ecclesia sacris sit communis, & hinc ab ejus mentione ad peculiare hoc Sacramentum Confirmationis demonstrandum non ritè concludatur. De uno eorum, quod ex opere *de Baptismo contra Donatistas* est desumtum mox agetur pluribus; alterum verò, quod in *sexto super Epistolam Iohannis tractatu* legitur, non nisi differentiam impositionis manuum, antehàc & tum temporis usitatæ, quoad effectum sistit, nihilque ea præter ad rem hanc facit. Si Bellarminus autem ad *tertium in eâdem Explicatione tractatum* retroivisset, in terminis de Unctione testimonium invenisset, quo *Aurelius* contra *Sirmondum* usus obtinuisse voluit videri, *Sacramenti unctionis virtute invisibilem Spiritus Sancti unctionem præberi*. Sed si, utut absque perspicillis, Augustini verba rectè fuisset intuitus, fortè ab eorum commendatione abstinuisset, Vir aliàs satis perspicax & oculatus, præ nimio tamen contradicendi studio non semel cœcus, inque manifestissimâ luce impingens, quod *Dallæus* & hic & alibi pluries ad oculum lectori ostendit. Nimirum Augustinus verba Apostoli Johannis explicaturus, quibus de Unctione suos informavit auditores, sequentem in modum scripsit: *Unctionis Sacramentum est virtus ipsa invisibilis, unctio invisibilis, Spiritus Sanctus.* De Sacramento Confirmationis Pontificiæ neque Johannem, neque Augustinum loqui, indè patet, quia de unctione invisibili loquitur, dum unctio, quæ in Sacramento Confirmationis adhibetur, oleo visibili constat, eoquemet ipso ab invisibili hac unctione discernitur. Etquamvis peculiare Unctionis Sacramentum constituere videatur hisce verbis Augustinus, nullum tamen est vel esse potest aut debet dubium, eam hoc elogio Baptismum designasse, utpotè in quo fideles oleo Spiritûs Sancti unguntur, donisque ab Eo sanctificantibus ad Christianismi exercitia idonei fiunt & instruuntur, ita ut nullo peculiari Confirmationis Sacramento habeant opus. Sed ad ea nos conferamus Augustini testimonia, ad quæ Bellarminus provocat, tanquam ipsius Unctionis Sacramentalis expressam mentionem facientia, quorum prius sequentia exhibet verba: *Non solum caput nostrum, Christus, unctum est, sed & corpus Ejus, nos ipsi. Rex autem est, quia nos regit & ducit; Sacerdos, quia pro nobis interpellat. Et quidem solus ille Sacerdos talis extitit, ut ipse etiam esset Sacrificium, obtulit Deo non aliud, quàm semetipsum. Non enim inveniret præ se mundissimam rationalem victimam, tanquam Agnus immaculatus, fuso sanguine suo redimens nos, concorporans nos sibi, faciens nos membra sua, ut in Illo & nos Christi essemus; ideò ad omnes Christianos pertinet unctio. Indè autem adparet, Christi corpus nos esse, quia omnes ungimur, & omnes in Illo & Christi & Christus sumus, quia quodam modo totus Christus caput & corpus est. Unctio ista perficiet nos spiritualiter in illâ vitâ, quæ nobis promittitur. Ungimur enim modò in Sacramento, & Sacramento ipso præfiguratur quiddam, quod futuri sumus. Et illud nescio quod futurum ineffabile debemus desiderare, & in Sacramento gemere, ut in ære gaudeamus, quæ Sacramento præmonstratur.* Hæc Augustinus, multa de Unctione, de Unctione in Sacramento, de Sacramenti præfiguratione & ad spiritualem in altera Vita perfectionem præmonstratione; nihil autem de peculiari Confirmationis vel Unctionis Sacramento, quod à Baptismi Sacramento differret. Imò dum augustus Doctor in laudatæ Unctionis descriptione cum capite Christo fideles tanquam membra in corpore mystico comparat, supra apertissimè testatus, Christum non visibili oleo fuisse unctum, sed invisibili gratia Spiritûs Sancti *præ consortibus*, videtur statuendum, Eum de Christianorum eâ etiam unctione locutum esse, qua invisibiliter donis Spiritûs Sancti in Sacramento Baptismi unguntur, quam Augustini tempore visibili unctionis ritu Ecclesia voluit significare, ob quam causam Baptismus rectè Sacramentum unctionis dici potuit. *Posterius* nunc restat Augustini testimonium, quod Bellarminus dicit esse *præcipuum*, & ideò solum verbotenus expressit, omnem in eo ponens fiduciam; cujus operâ tamen quia vice iterata utitur Bellarminus, dum videlicet ad ea respõdere est occupatus, quæ contra hoc Confirmationis Sacramentum ex Augustino, objiciuntur, illuc considerationem ejus reservari consultum est, ne repetitio Lectori pariat fastidium. Et quidem ut ad eas locorum Augustini vindicias tandem deveniamus, quibus hoc Sacramentum Confirmationis infirmari potest, provocavit præter Calvinum noster *Chemnitius* in Examine Anti-Tridentino ad ea præprimis verba Augustini, quæ tertio leguntur loco, ex quo Bellarminus Sacramentum Confirmationis voluit confirmare: *Manûs impositio quid est aliud, quàm Oratio super hominem; ergò non, sicut Baptismus, repeti non potest.* Addidit Gratiani glossam sequentem: *Ex eo, quod manûs impositio iterari præcipitur, Sacramentum non esse ostenditur.* Bellarminus ad ipsum Augustini locum re-

Oper. Tom. III. p. m. 525.

L. II. c. 24. pag. 292. & 293. cõf. antec. & seqq.

in Psal. 26. Præf. 11.

Lib. III. de Bapt. c. Donat. cap. 16.

spondet, *Eum de simplici manûs impositione loqui, quæ fiebat in reconciliatione pœnitentium, non de manûs impositione cum Chrismate, quæ propriè sit Sacramentum Confirmationis.* Quia verò Calvinus, huic Bellarmini responso præveniens, demonstravit, *agi in his Augustini verbis de utraque simul, & loqui Augustinum de hæreticis ad Ecclesiam redeuntibus, qui quidem non fuerint rebaptizati, attamen impositæ eis manus, & eo modo datum eis fuisse Spiritum Sanctum*, id quod ex alio ejusdem de Baptismo operis loco possit confirmari; respondit porrò Bellarminus, *hæc omnia si quid probarent, solùm probarent, Confirmationem esse Sacramentum iterabile, non autem, non esse Sacramentum propriè dictum. Ex eo enim, quod manûs impositio sit oratio, Augustinum non colligere non esse Sacramentum, sed non esse Sacramentum tale, ut repeti non possit. Alioqui Sacramentum esse, probatur manifestè*, inquit Bellarminus: *Nam hic est materia sensibilis*, impositio videlicet manuum; *forma* est oratio, *effectus* est gratia Spiritûs Sancti. *At neque ex hoc probari potest, Confirmationem esse Sacramentum iterabile; nam, ut dictum, non agitur hic de Confirmatione, sed de Reconciliatione pœnitentium*, id quod probo his rationibus. *Primò*, Augustinus passim docet, chrismate fieri Confirmationem, ut patet ex locis suprà adlegatis. Hic autem non solùm non meminit chrismatis, sed apertè indicat, se loqui de impositione manuum sine Chrismate. *Secundò*, Confirmationis Sacramentum semel datum non potest repeti, apertè id enim colligitur ex alio Augustini loco, ubi dicit, *Sacramentum Confirmationis, sicut etiam Baptismi, interdum in pessimis hominibus esse & manere, licet ad judicium.* Quod si manet etiam in pessimis, non potest nec debet eis dari, cùm reconciliantur, quia jam habent, nec amiserunt. At hoc loco dicit, manûs impositionem repeti posse. Non igitur de manûs impositione confirmatoriâ loquitur. *Tertiò*, Augustinus loquitur de reconciliatione hæreticorum, ut ex utroque loco jam citato est perspicuum. Sed manus impositio reconciliatoria erat distincta, præsertim in occidentali Ecclesiâ, à manûs impositione confirmatoriâ. Ergò de hâc non loquitur Augustinus, quæ non fit sine unctione, sed simplici reconciliatione. At, *scribit ultrà Bellarminus*, duo huic Explicationi videntur obstare, *unum*, quod Augustinus eodem in loco, ubi dicit, impositionem manuum nihil aliud esse, nisi orationem, dicit etiam, *per eam manuum impositionem nunc non expectari, ut homines loquantur linguis, sicut fiebat Apostolorum tempore; sed satis esse, si infundatur Spiritus Sanctus invisibiliter*, quem locum nos, inquit Bellarminus, suprà citavimus pro Sacramento Confirmationis. Ergò loquitur Augustinus de manûs impositione confirmatoriâ, vel certè accipit æquivocè in uno & eodem capite manûs impositionem, quod absurdum videtur. *Alterum est*, quod eodem in opere, & in eo quidem loco, ad quem Calvinus provocavit, Augustinus dicit, *per manûs impositionem reconciliatoriam dari Spiritum Sanctum.* At hic per nos, inquit iterum Bellarminus, est Confirmationis effectus. Ergò eadem erat apud Augustinum impositio manûs confirmatoria & reconciliatoria. *Respondet autem Bellarminus ad primum*, vario modo accipere Augustinum in eo capite manûs impositionem, sed sine ullo vitio. Nam propositum ejus erat, solvere argumentum Cypriani, qui ex eo, quod in solâ Ecclesia Catholica dari potest & accipi Spiritus Sanctus, colligebat, Sacramenta hæreticorum non esse vera & rata. *Ad argumentum* hoc diluendum Augustinus initio capitis explicat, quid intelligi debeat per Spiritum Sanctum, cùm dicitur non posse dari vel accipi, nisi in Ecclesia Catholica per manus impositionem, ac dicit intelligi donum Charitatis; hoc enim non possunt habere, nisi boni, & ideò non-nisi in Ecclesia Catholica, quia extra illam nulli sunt boni. Hoc autem loco accipit Augustinus impositionem manus in genere, sive sit confirmatoria, sive sit reconciliatoria, sive ut sic loquar ordinatoria; semper enim per eam datur Gratia & Charitas, nisi ponatur obex. *Deindè* vult Augustinus ostendere per manus impositionem dari reverà Donum Charitatis, & declarat exemplo impositionis manus confirmatoriæ, cùm dicit, nunc non expectari, ut loquantur linguis, quibus imponitur manus, sed latenter eis infundi charitatem. Itaque ibi accipit manus impositionem magis strictè, pro solâ confirmatoria, nec tamen est vitiosa æquivocatio, quia quod toti convenit generi, rectè declaratur exemplo unius speciei. *Posteà* redit Augustinus ad argumentum Cypriani, & distinguit tria, Sacramentum, Donum Spiritus Sancti gratis datum, ut Prophetiam &c. & Donum faciens gratum, id est, Charitatem; ac dicit, extra Ecclesiam vel in malis hominibus posse duo priora esse, non tamen tertium, & idcircò debere ad Ecclesiam redire, ut in ea per impositionem manus reconciliatoriam illud (Donum faciens gratum) accipiant. Et quia poterat aliquis suspicari, non posse repeti hanc manus impositionem, sicut non potest repeti Baptismus, nec Confirmatio, nec ordinatio;

L. V. c. 23.

L. II. contra lit Petil. c. 104.

ideò

ideò subjungit Augustinus, posse repeti manus impositionem, id est, reconciliatoriam, quia (vel quæ) nihil aliud sit, nisi oratio super hominem, id est, non aliqua Consecratio, quæ maneat & characterem imprimat, undè non possit repeti, sed quæ Ceremonia tantùm sit adjuvans orationem. *Ad alterum respondet Bellarminus*, Spiritum Sanctum dari per omnem manuum impositionem, sed ad varios effectus. Nam per impositionem manus confirmatoriam ad roborandam in Fidei confessione animam dari, per reconciliatoriam ad remissionem peccatorum, per ordinatoriam ad potestatem Sacramenta ministrandi. *Ad locum Gratiani* dicit, velle Eum dicere, impositionem manuum, de quâ loquitur Augustinus, non esse Sacramentum ordinis vel Confirmationis; & rectè id Eum dicere, ac rectè etiam probare ex eo, quod repeti possit, non autem negare, esse Sacramentum reconciliationis; nam alioqui etiam repeti posse (& debere) Eucharistiam, & tamen esse verissimum Sacramentum. *In sequentibus* meminit Bellarminus responsi, quo Chemnitius per quinque capita satis studuit facere iis Patrum testimoniis, quæ pro Confirmationis Sacramento communiter adferri solent, inter quæ tertium esse dicit, quo agnovit, esse inter eos, *qui de unctione faciant mentionem, sed eam vocare Sacramentum impropriè & largiori modo, quia fuerit Ceremonia quædam in Baptismo adhiberi solita*, atque sic Eum exponere primum & ultimum Augustini locum à se suprà citatum. At, inquit Bellarminus, *multùm hic errat Chemnitius*. Ostendimus enim, Patres ferè omnes distinguere Confirmationem à Baptismo, & spiritualem ei tribuere effectum, qui non convenit, nisi Sacramentis verè ac propriè sic dictis, id quod etiam manifestè patet ex locis Augustini citatis, quæ Chemnitius suo more truncata & imperfectè citavit. *Pergit Bellarminus*: Nam in priore loco dicit Augustinus, Præpositos Ecclesiæ imponere manum & Chrismate ad hoc inungere, ut detur Spiritus Sanctus, ut olim fecerunt Apostoli. At actio Apostolorum non fuit Ceremonia humana Baptismo adjuncta, sed alia, & quidem Divina, & efficacissima. *In posteriore loco* Augustinus multùm laborat, ut ostendat, veram Confirmationem posse dari & accipi à malis, ut ipsum etiam Baptismum. At, quid opus erat hoc probare de humanâ & sterili ceremoniâ; quis enim de eo dubitare poterat? *Deindè* ibidem Augustinus dicit, malos accipere Sacramentum Confirmationis visibile, sine invisibili gratiâ Spiritus Sancti, idque ad judicium. At certè non distingueret Sacramentum visibile ab invisibili gratiâ in malis, nisi crederet in bonis ista conjungi, & unum dari per alterum; neque ad judicium sumitur ceremonia humana, etiamsi à malis sumatur. *Denique* ibidem Augustinus dicit, Sacramentum chrismatis esse Sacro-sanctum, sicut ipse Baptismus est. At, quanta fuisset blasphemia, humanam ceremoniam æquare Sacramento Baptismi! *Hæc omnia* Bellarminus prolixissimè, quæ verbotenùs hic exscribi debuerunt, ne quid ad rem ipsam pertinens singulari studio videatur omissum.

Ne autem responsio ad hæc nimis prolixè cum non plane nullo Lectoris fastidio sese extendat, per certas quasdam observationes eam contrahere placet, præmissis tamen ipsis Augustini verbis, ut de truncatâ & imperfectâ citatione nemo jure possit conqueri. Et de primo quidem ex Libris de Trinitate testimonio satis actum puto contra *Hammondum*, ut ad Ejus vindicias nihil amplius requiratur. Sequitur ergò, ad quod *Chemnitius* præprimis respexit, in ordine, quem Bellarminus observavit, *tertium*, ex opere de Baptismo contra Donatistas desumtum, verba exhibens sequentia: *Spiritus*

Lib. III. cap. 16. „ *Sanctus, quia in solâ Catholicâ* (Ecclesiâ) per manus impositionem dari dicitur, nimirum hoc intelligi Majores nostri voluerunt, quod Apostolus ait, quoniam Charitas „ Dei diffusa est in cordibus nostris per Spiritum Sanctum, qui datus est nobis. Ipse est „ enim charitas, quam non habent, qui ab Ecclesiæ Catholicæ communione sunt præ„ cisi. Ac per hoc etiam, si linguis hominum loquantur & Angelorum, si omnia sciant „ Sacramenta & omnem Scientiam, & si omnem habeant Prophetiam, & omnem fi„ dem, ita ut montes transferant, & omnia sua distribuant pauperibus, & tradant cor„ pus suum, ut ardeant, nihil illis prodest. Non autem habet Dei charitatem, qui Ec„ clesiæ non diligit unitatem. Ac per hoc rectè intelligitur dici non nisi in (Ecclesiâ) „ Catholicâ accipi Spiritus Sanctus. Neque enim temporalibus & sensibilibus miraculis „ attestantibus per impositionem manus modò datur Spiritus Sanctus, sicut antèà dabatur ad commendationem rudis fidei & primordia Ecclesiæ dilatanda. Quis enim nunc „ expectat hoc, ut ii, quibus ad accipiendum Spiritum Sanctum manus imponuntur, re„ pentè incipiant linguis loqui? Sed invisibiliter & latenter intelligitur per vinculum „ Pacis, Divina charitas eorum cordibus inspirari, ut possint dicere, quoniam Charitas

Dei

„Dei diffusa est in cordibus nostris per Spiritum Sanctum, qui datus est nobis. Multæ „sunt autem Spiritus Sancti operationes, quas idem Apostolus, cùm loco quodam, „quantum sufficere arbitratus est, commemorasset, ita concluſit: Omnia autem hæc „operatur unus atque idem Spiritus, dividens singulis, prout vult. Cum ergo aliud sit Sa„cramentum, quod habere etiam Simon Magus potuit, aliud operatio Spiritus, quæ in „malis etiam hominibus solet fieri, sicut Saul habuit Prophetiam; aliud operatio Spiri„tus ejusdem, quam nisi boni habere non possunt, sicut est finis præcepti Charitas de „corde puro, & conscientiâ bonâ & fide n ō fictâ; quodlibet hæretici & schismatici acci„piant; Charitas, quæ cooperit multitudinem peccatorum proprium donum est Ca„tholicæ Unitatis & Pacis, nec est in omnibus, quia nec ejus sunt, sicut suo videbimus „loco. Præter ipsam tamen esse illa Charitas non potest, sine quâ cætera, etiamsi agnosci „& adprobari possunt, prodesse tamen & liberare non possunt. Manus autem impositio „non, sicut Baptismus, repeti non potest; quid enim est aliud, *nisi oratio super hominem?* Addi etiam debet testimonium ex ordine Bellarmini ultimum, utpote ad quod Bellarminus non solùm quasi ex omnibus *præcipuum* provocavit, sed & eo vicibus iteratis in responso contra Chemnitium & Calvinum usus est. Ante verò, quam Textum illius intueamur, prænotandum venit, illud continere responsum ad objectiones Donatistarum, contra Baptismum (cui hunc unctionis ritum fuisse connexum, nunc præsupponimus, post in observationibus ex ipsâ verborum seriè demonstraturi: Catholicorum, quos pro schismaticis habebant, ex ipso hoc unctionis ritu argumentantium, non sine abusu quorundam Veteris Testamenti Oraculorum, quæ unctionis faciunt mentionem, duorum præprimis ex Psalmorum libro desumtorum; quorum uno Psaltes Regius legitur orasse, *oleum peccatoris non unget caput meum*; altero autem fraternæ charitatis Elogium sequen- Psal. 140. tibus explicasse verbis: *Ecce, quam bonum, & quam jucundum, habitare fratres in unum;* & 132. *tanquam unguentum in capite, quod descendit in barbam Aaron.* Sequi nimirum ex his putârunt Donatistæ, oleum & unguentum, id est, chrisma & unctionem in Baptismi administratione à Catholicis tanquam schismaticis, adeò non fratribus, nec veræ Christi Ecclesiæ filiis, adhibitam non valere, ipsumque Baptismi Sacramentum non habere effectum & virtutem, quam suo adscripserunt Baptismo ac chrismati in eo, juxta receptam *à Majoribus*, ut Augustinus scribit, consuetudinem adhibito. *Ad utrumque* respondet ex debito Augustinus, impertinentissimam eorum commendationem ostendens. Et quidem ad primum: *David oleum peccatoris dixit, non traditoris, non thurificatoris, non perse-* Lib. II. c. lit. Petil. *cutoris; sed peccatoris.* Post aliqua ad antecedentia proxime verba pro legitimo intellectu cap. 103. eorum respiciendum esse monet, ubi regius Psaltes cecinit: *Emendabit me justus in Misericordiâ & arguet me; oleum verò peccatoris non impinguabit caput meum. Quid planius,* scribit Augustinus, *quid apertius? Malim, inquit, me misericordi objurgatione sanari, quàm adulatione blandâ, tanquam mihi caput ungatur, decipi atque perverti. Sub aliis verbis ipsa Sententia est alibi Scripturarum: Meliora sunt amici vulnera, quàm voluntaria inimici oscula.* Ad posterius autem è Psalmis testimonium à Donatistis impertinenter objectum respondet Augustinus: *Caput est ipse Salvator corporis, de quo Apostolus ait, Et ipse est caput corporis Ec-* & c. 104. *clesiæ. Per barbam non incongruè Fortitudo intelligitur. Ergò ad eos, qui sunt fortes in Ecclesiâ, & adhærent oræ Ejus, ut sine timore prædicent veritatem, ab ipso Christo, tanquã à capite, Sanctum descendit unguentum, id est, Sanctificatio Spiritalis. Ora vestimenti hæc datur intelligi, quæ in capite vestimenti est, quâ vestientis caput ingreditur; per hanc significantur perfecti fideles in Ecclesiâ, in orâ namque perfectio est,* &c. Post quædam Petiliani argumentum ex hoc Davidis Oraculo repetit Augustinus cum responso, scribens: *In hoc unguento Sacramentum Chrismatis vult interpretari, quod quidem in genere visibilium signaculorum Sacro-sanctum est, sicut ipse Baptismus; Sed potest esse & in hominibus pessimis, in operibus carnis vitam consumentibus, & Regnum Cælorum non possessuris, & ideò nec ad barbam Aaron, nec ad oram vestimenti Ejus, nec ad ullam contextionem Vestimenti Sacerdotalis pertinentibus:* Et iterum post alia; *Discerne ergò visibile S. Sacramentum, (quod esse & in bonis & in malis potest, illis ad præmium, his ad judicium,) ab invisibili unctione Charitatis, quæ propria bonorum est.* Ita utrobique Augustinus contra Donatistas, cujus verba, ea inprimis, quæ ad suam trahit Bellarminus Sententiam, ut intelligantur rite, ante omnia & in genere observandũ est, ac omninò notari debet, Augustino cũ Donatistis nullam de peculiari quodam Confirmationis vel Unctionis ab unctione Baptismali separatæ Sacramento, sed de ipso Baptismi Sacramento ejusq; effectu & valore litem & controversiam fuisse, adeòq; omnia, quæ in his Disputationibus ab utrâque parte ultrò citròque leguntur dicta, ad

hoc Baptismi Sacramentum, ejusque apud Catholicos & Schismaticos valorem sive adfirmandum sive negandum pertinere; dum neque ex Augustino, nec alio, quodam Scriptore antiquo contrarium hactenus potuit demonstrari, idque etiam inposterum ad Græcorum Calendas erit differendum. Id notâsse diligenter & observasse ad rem ipsam confert plurimum, si non planè omnia.

In specie & ad prius testimonium ex opere de Baptismo desumtum repeti hic debet, quod suprà jam de similibus aliis à Bellarmino commendatis fuit monitum, agere illud de manus impositione tantùm, nullâ Chrismatis vel unctionis mentione factâ, quam tamen Bellarminus materiam hujus Sacramenti facit, manus impositionem inter ceremonias saltem referens, de quâ jam vidimus, *Sirmondum*, magi nominis & æstimii inter suos Scriptorem, statuisse, in eâ solâ Sacramentum Confirmationis constitisse, idque pluribus Seculis sine chrismatione administratum fuisse, ob quam Sententiam quasi novam vel suspectam, nulla ei hactenus dica, si *Aurelium* & Galliæ Clerum suis ductos rationibus excipias, à cæteris Romanis Doctoribus fuit scripta, ipso hoc silentio non improbatam, sed potius adprobatam. Ea præter Augustinus Ritum impositionis manuum suo tempore usitatum commendans, & contra Donatistas defendens, quoad ejus originem & Authoritatem, non ad Christum & Apostolos expresse vel nominatim, sed ad *Majores* in genere provocavit, aliàs Christum in specie authorem nominâs, ubi de Sacramentis vere & proprie dictis ac eorum institutione egit, cujus rei documenta habuimus, ubi suprà de numero Sacramentorum fuit actum. Utilis est hæc observatio, si Bellarmini Sententiam attendamus, quam de hujus Sacramenti Confirmationis, vel potius Manuum impositionis demonstratione ex Scripturâ & Verbo mandati sibimetipsi contradicens & scribens exhibet: *Nunquam Apostoli ordinariè & securè omnibus baptizatis imposuissent manus, ut veniret super eos Spiritus Sanctus, nisi Dominus hoc eis mandasset. Fuisse autem ritum illum ordinarium & communem omnibus baptizatis, patet ex capite octavo & decimo-nono Actorum, & sexto Epistolæ Pauli ad Ebræos.* Quæ Bellarmini verba non solum contra *Hammondi* Opinionem inservire possunt, statuentis, Apostolos non in Baptismo, sed ad impetranda baptizatis linguarum dona ritum impositionis manuum adhibuisse; sed & contra ipsius Bellarmini methodum minus ordinatam, qui dum pro singulari Confirmationis & Unctionis ab Unctione Baptismali separatæ Sacramento ex Scripturâ Verbum mandati adducere tenetur, ad eam manuum impositionem delabitur, quam Apostolos, & quidem ex mandato Domini, communiter & ordinariè in administratione Baptismi, ad dandum videlicet Spiritum Sanctum adhibuisse scribit, eam non nisi inter ceremonias Sacramenti Confirmationis referens. Et certum est omninò, Augustinum in hujus manuum impositionis descriptione per *Majores* non Apostolos, multò minus Christum, ex cujus tamen mandato & instructione illos in administratione Sacramentorum egisse non malè dicitur, sed suos in Ecclesiâ Antecessores intellexisse, qui etsi similem suo tempore effectum impositionis manuum ad impetranda Spiritus Sancti dona miraculorum extraordinaria non habuerunt, eam tamen ad indicanda ejusdem Spiritus Sancti dona, quæ dicuntur sanctificantia, sicut in actionibus aliis Sacramentalibus, ita etiam in Baptismi administratione non inutiliter, libere tamen inter preces devotas adhibendam statuerunt, quorum vestigia Evangelici hodienum premunt. *Porrò*, dum Augustinus hunc ritum impositionis manuum ob adjunctas preces per locutionem figuratam dicit esse orationem, adeòque ritum iterabilem, & sic abiplo Baptismi irreiterabilis Sacramento diversum, & pluribus sacris actionibus adplicabilem, & tamen videtur eidem Sacramenti Elogium adscribere, eo metipso constat, hoc vocabulum Sacramenti ab Eodem in sensu latiori & laxiori esse adhibitum, sicut aliàs non semel, ut suprà ex *Chemnitio* vidimus, qui dum ad vindicatum hactenus Augustini testimonium *Gratiani* glossam adhibuit, ad hominem disputavit, ex tàm æstimato Juris Canonici non authore, sed potius compilatore volens ostendere, hunc ritum impositionis manuum non esse Sacramentum propriè dictum, de medio probandi, quod ab iterabilitate ejusdem deduxit, securus. *Nunc* posterius Augustini testimonium, Bellarmini judicio in hâc Controversiâ *præcipuum*, quod attinet, dum Petilianus Donatista contra Augustinum & Catholicos à parte ad totum, à ritu Baptismi ejusque efficaciâ & valore ad ipsum Baptismi Sacramentum argumentatus est, ex eo ostendere conatus, quia ille ab homine malo & Schismatico, in quem censum omnes cum Augustino Catholicos retulit, adhibitus nullam habeat virtutem & efficaciam, idem de eorum Baptismo statui debere; Augustinus nomine Catholicorum con-

consequentiæ rationem largitus ad antecedens respondit, & quidem per instantiam, ut ex verbis est manifestum. Etsi autem Augustinus ad alterum Regii Psaltis oraculum Donatistis concessisse videatur Chrismatis Sacramentum, illud in genere visibilium Signaculorum dicens *Sacro-sanctum*, & quidem à Baptismi Sacramento distinctum; tamen si nexum Augustini verborum accurate attendamus, non id Eum voluisse fatebimur. Nimirum, non difficilis est Sanctus Doctor in vocabulis, nec ægrius fert, partem Baptismi, etsi non essentialem, sed ritualem modò, & ceremonialem, nomine totius vel integri venire & Sacramentum dici; quippe in quo Quæstionis cum Donatistis controversæ cardo non versabatur. Agnovit etiam, esse hoc Chrisma vel unctionem in Baptismo usitatam in *genere visibilium Signaculorum*, & quidem, quod multum præ se fert, rem Sacrosanctam, ideò, quia invisibilis per Spiritum Sanctum unctionis & donorum ab Eo sanctificantium significatricem, & in non profanâ, sed Sacra vel sacramentali actione adhibitam. Non tamen dixit, quod notandum ante omnia, Sacramentum ab ipso Baptismi Sacramento esse diversum. Quamvis enim Chrisma hoc *Sacro-sanctum* vocavit, & ita Sacro-sanctum, *sicut ipse Baptismus est*, quæ Ejus verba sunt, in quibus Chrismatores Papæi omnem victoriæ spem ponunt; non id tamen voluit, quod Eum voluisse Interpretes non boni existimant. Si enim Pater Augustus & Latini Idiomatis non ignarus, Chrisma tanquam peculiare Sacramentum cum Sacramento Baptismi voluisset conferre, omninò scribendum ipsi fuisset, esse hoc Chrisma Sacro-sanctum, *sicut est Baptismus*; & tunc forte haberent, in quo triumpharent Sacramentorum præter necessitatem multiplicatores. Sed notanter scripsit, *sicut ipse* Baptismus; eomet ipso ostendens, se Chrisma non tanquam peculiare Sacramentum cum Baptismi Sacramento, sed tanquam aliquem ritum & ceremoniam Sacramentalem cum ipso comparare Sacramento, id est aliquam ejus partem cum toto, sine ulla absurditate, vestigia nimirum legendo Adversarii, à parte ad totum, ab illius ad hujus nullitatem argumentantis, quod iterum observasse, mentem Augustini prima lectione adversam, satis claram & Instituto convenientem reddit. Et ita rebus sic stantibus per se cadunt facillime, quæ Bellarminus ad suam hypothesin defendendam non ex Augustino, vel ad sensum Ejus protulit, sed potius Textui per vim quasi intulit, Lectori ea & magna quidem in copia exhibens, quæ si quis in Augustino legere desideraret, nescio, quibus perspicillis uti cogeretur. Contrarius præsertim sibi est pro more non raro Bellarminus, dum in priori loco Augustini, quem *Chemnitius* contra manus impositionem quasi Sacramentum propriè dictum commendavit, *non de manus impositione cum Chrismate, quæ propriè sit Confirmationis Sacramentum, sed de manus impositione simplici, quæ fiebat in reconciliatione pœnitentium*, agi scribit, quem locum tamen paulò ante inter ea retulit testimonia, quibus ipsum hoc Confirmationis Sacramentum demonstrare conatus est, unâ manu ædificans, alterâ autem destruens. Prævidit id quidem, quod non potuit non prævidere, & agnovit hinc ingenuè, non posse hâc ratione indicatam à se loci Augustiniani explicationem stare, nisi *æquivocatio* Patri augustissimo adscribatur, sollicitus hinc, Eum ab hoc æquivocationis, sequemet ipsum à contradictionis vitio liberare. Sed dum liberare laborat, magis utrumque implicat. Quod enim dicit, Augustinum sine vitio æquivocationis in uno eodemque loco, eo nimirùm, de quo agimus, manus impositionem accipere *mox in genere, mox magis strictè, idque quod toti convenit generi*, dationem videlicet gratiarum & donorum Spiritus Sancti, *rectè exemplo unius Speciei declarare*; Augustino adfingit, Ejusque verba obtenebrat, quæ, si de unâ eâdemque manus impositione, de quâ nimirum inter Eum & Donatistas controvertebatur, videlicet ad Baptismi Sacramentum pertinente, intelligantur, sicut omninò intelligi debere, integer contextus suprà exscriptus, rite attentus ostendit & evincit, nullam plane in se habent difficultatem, sed absque omni Glossâ per se Lectori aperte sistunt mentem Authoris ab omni æquivocationis vitio liberi, dum è contrario Bellarminus in prævisa & prædicta contradictione, sicut mus in pice hæret, nulla ratione & modo ab eâ liberandus. *Contrarius* itidē sibi est, dum, quamvis sine Augustini authoritate, occasione tamen loci hujus Augustiniani, Confirmationē esse Sacramentum proprie dictum demonstraturus dicit, *Materiam ejus sensibilem esse manus impositionem, formam verò orationem*, cujus tamen utriusq; mentionem post facit inter ceremonias hujus Sacramenti non-Sacramenti accidentales, nullam verò, ubi ipsam ejus materiam & formā ex Ecclesiæ Romanensis mente describit, imemor, Disputatorem & Controversiarum Tractatorem debere sui memorem esse, ne hoc vitium contradictionis incurrat, suorumq; contra adversarios argumentorū nervos incidat, & sic arma contra semetipsum subministret.

Contrarium quoque Lectori se exhibet, dum in uno eodemque paragrapho argumentum ex priori testimonio Augustini desumtum probare quidem concedit, Confirmationem, quatenus nimirùm consistit in manus impositione, esse Sacramentum iterabile, id est, ritum & Ceremoniam, quæ sæpius repeti possit, in uno etiam homine, testatus, *Augustinũ ex eo, quod manûs impositio sit oratio, non colligere, non esse Sacramentum, sed, non esse Sacramentum tale, ut repeti non possit*; & tamen in proximè sequentibus, ubi demonstrare laboravit, Confirmationem, vel potius impositionem manûs esse Sacramentum, per denominationem materiæ, formæ & effectus Sacramentalis, (neglecto Institutore & causâ efficiente,) sibimet iterùm ipsi in faciem contradixit & scripsit, *neq; ex hoc probari posse, Confirmationem esse Sacramentum iterabile*, quæ si quis non viderit esse contraria, omninò perspicillis indigebit. Sed adhuc in contradictionis labyrintho versatur Bellarminus, agnoscens, Augustinum in loco sæpius citato agere de manus impositione, quam cum unctione vel Confirmatione habet pro synonymis, & promiscuè Sacramentum ex Augustino dicit; & tamen tribus postmodùm rationibus confirmare studens, non agi in eo de manus impositione confirmatoriâ, sed pœnitentium Reconciliatoriâ, quo insigniter se suimet oblitum testatus est Bellarminus. Verum tædet amplius versari in hoc contradictionum labyrintho, undè nullus ipsimet Bellarmino patuit exitus, semetipsum magis magisq; intricanti. Neq; consultum videtur similinos committere, per Examen sequentium de hujus Sacramenti non Sacramenti Materiâ, forma, effectu, Ministro, Ceremoniis controversiarum, utpote in quibus non tam ipsi Bellarmino non convenit, ut jam aliquo specimine vidimus, quàm Bellarmino & cæteris Ecclesiæ Romanensis Scriptoribus, in varias Sententiarum & opinionum partes scissis, quin & ipsis in oriente & occidente Ecclesiis, utut de perpetuo utriusq; in re præsertim Sacramentariâ, consensu plurima hodiè apud adversariam partem sit jactatio, *Petro* inprimis *Arcudio* antehàc multam navante operã, quamvis ab Euchologii sive Ritualis Græcorum Illustratore, *Iacobo Goar*, Parisino, ordinis Prædicatorum, & Missionario antehàc in Orientem Apostolico, non semel in hâc etiam Quæstione sub limam vocato; quibus jam ob tædiosæ prolixitatis evitationem occasioni, loco & tempori futuro reservatis, addo tertium in hoc argumento versatum, *Lucam* dico *Holstenium*, post varia apud Romanos officia tandem Bibliothecæ in Vaticano Præfectum, Virum præ multis eruditum, cujus in Geographiam Sacram *Caroli à S. Paulo*, Italiam antiquam *Cluverii*, Thesaurum Geographicum *Ortelii* Adnotationibus, nuper demum post Ejus mortem Romæ à Francisco Cardinali Barberino publicatis adjuncta fuit duplex de *Sacramento Confirmationis apud Græcos*, in specie de Ministro & formâ Ejus, adversus quendam recentiorem Dissertatio, in quarum priore, juxta Scri-

Tom. IV. pag. 43. ptoris Ephemeridum Gallicanarum epitomen, *omni omninò tempore Presbyteros in Ecclesiâ Græca unctionem Sacramentalem, præcipuam Confirmationis partem, administrasse, Ecclesias item occidentales maximam partem, & inter alias, Africanas, Gallicas atq; Hispanicas, ad septimum usq; Seculum, eandem rem exercuisse contendit. Equidem quod Romanam attineat Ecclesiam, negari non posse, quin Sacramenti hujus administratio Episcopis sit reservata; id verò esse alicujus singularis usus, cujus duæ fuissent rationes. Vna, quod in illâ Ecclesia confirmaturis imponerentur manus; quæ impositio, cùm non nisi Episcopis concederetur, unctionem, quæ eodem tempore fiebat, iisdem simul fuisse reservatam. Altera verò, quod minus honoris attribueretur Presbyteris, minusq; authoritatis in Romana, quàm aliis in Ecclesiis. Addit etiam illud, quod evidenter Græcorum consuetudini conciliat authoritatem, Latinos in Synodo Florentinâ nullam de ea re movisse difficultatem: Atq; etiam mirandum profectò est, illam Quæstionem, quæ tantum edidit strepitum, quæque inter causas Schismatis fuit, (utut Alii alias hujus Schismatis causas soleant allegare,) tam facilè finitam fuisse, ita ut ne quidem in ordinem articulorum controversorum fuerit rejecta.* Quæ scriptoris Ephemeridum censura, quam deductioni Holstenianæ de suo ex more subjunxit, omninò notatu est dignissima, sicut & in ipsa *Holstenii* Dissertatione plura occurrunt, inprimis de suppositiis Veterum Pontificum literis, & ficto aliquorum ex Synodis Canonum sensu, quæ ob apertam satis & insolitam in his hominibus ingenuitatem, contra alios obstinatiores & in re manifestissimâ Veritati reluctantes observari omninò merentur. Et quia præter Africanas, Gallicarum quoque & Hispanicarum meminit Ecclesiarum, ad ejus rei illustrationem referri potest, quod de Ecclesiæ in Galliâ more circa Baptismum *Clodovei*, primi è Galliæ Regibus Christiani, ac parvulorum, qui cum Eo Baptismum susceperunt, ut & circa subsecutam unctionem sive Confirmationem, memoravit laudatus ad caput antecedens *Annalium Franciæ Ecclesiasticorum* Scriptor; & quod de eâdem re circa

morem

morem in Hispaniâ usitatum, ad Canonem quendam Illiberitanum, post *Ferdinandum de Mendozâ*, illius Concilii Vindicem & Defensorem, & præter *Gabrielem Albaspinæum*, Episcopum antehàc Aurelianensem, Observationum Ecclesiasticarum cum *Optato Milevitano* Editorem, observavit nuper *Immanuel Gundisalvus* vel *Gonzales*. Cæteras modernorum inter adversarios Doctorum de hoc Confirmationis Sactamento non Sacramento differentias & opiniones inter se diversas nuper itidem modo exhibuit *Andreas de Mendo*, opinionum in Controversiis Moralibus Benignarum Stateriſta, quas, utpote ad Institutum impertinentes excutere jam nec libet, nec licet.

Can. 39. pag. 376. seqq.

pag. 291. seqq.

Controversiæ Generalis Tertiæ DE SACRAMENTO EUCHARISTIAE, LIBRI PRIMI CAPVT QVINTVM ET SEPTIMVM, DE *Capite Johannis Sexto.*

NON agi in hoc Capite, & illis quidem verbis, quæ utplurimùm in Controversiâ hâc Eucharisticâ solent attendi, de manducatione & bibitione Corporis & Sanguinis Domini, quæ ad differentiam dicitur sacramentalis, distincta à spirituali, fatetur Bellarminus, agnovisse Doctores quosdam Catholicos, nominatim à se expressos, quibus post *Salmeronem*, *Vasquezium*, *Maldonatum*, *Conzenium*, numero plures addidit *Edmundus Albertinus*, Carentonensis apud Parisinos non ita pridem Minister in de hoc Eucharistiæ Sacramento opere posthumo per *Davidem Blondellum* publicato, sistens hujus Sententiæ Pontifices duos, *Innocentium tertium*, *& Pium secundum*; Cardinales quatuor, *Bonaventuram*, *Alliacum*, *Cusanum*, *Cajetanum*; Archi-Episcopos duos, *Richardum Armachanum*, *& Granatensem*; Episcopos quinque, *Stephanum Eduensem*, *Durandum Miuratensem*, *Guilielmum Altissiodorensem*, *Lindanum Ruremundensem*, *Ianſenium Gandavensem*, quem alicubi, inconstanter licet, *Tannerum* sequi monet. Addit è cæteris Scriptoribus Romanis *Alexandrum Halensem*, *Richardum Mediavillanum*, *Iohannem Gersonem*, *Iohannem Ragusinum*, *Gabrielem Bielem*, *Thomam VValdensem*, *Iohannem Mariam Verratum*, *Tilemannum Segebergensem*, *Iohannem Eccium*, *Iohannem Majorem*, *Astesanum*, *Conradum*, *Iohannem Ferum*, *Conradum Safgerum*, *Iohannem Hesselium*, *Ruardum Tapperum*, *Palatium*, & novissimè *Nicolaum Rigaltium*, plerosque Theologiæ Doctores & Professores, Concionatoresque celeberrimos, à quibus non longè dicit abesse *Thomam* cui se etiam *Esthius* præsertim junxerit. Utut autem hic non agamus de consensu & confessione Scriptorum Papisticorum, attamen, tanto præprimis numero, non parvum Veritati Evangelicæ præjudicium & patrocinium adferunt, de quo nunquam satis laudata *Confessio Gerhardi Catholica* luculentum præbere potest documentum; nobis jam ad Augustini authoritatem hic etiam ex instituto respicientibus, quem Bellarminus, ut obtineat, agi in hoc Capite de manducatione Sacramentali, non tantùm inter cæteros Patres pro suâ laudat Sententiâ, pluribus eam in rem locis ex non uno Ejus Scriptorum sive Homileticorum, sive Polemicorum, etsi nullis expresse verbis, ut aliàs solet, citatis; sed & quæ ex Eo *Lutherus & Chemnitius* pro Sententiâ de manducatione & bibitione spirituali commendârunt, prolixissimè examinat, omni modo & ratione sollicitus, ne Augustinus & hic noster sit. De locis, quæ Bellarminus pro se citat, postmodùm videbimus; nunc responsum Ejus ad loca Evangelicis faventia ponderemus, quæ in quarto exhibet fundamento sequentia: *Augustinus docet*, Infantes manducare carnem Christi, quatenus Fidei communicant. *Igitur hic Locus de manducatione per Fidem intelligitur. Idem alibi hoc Caput adeò spiritualiter exponit, ut dicat*, Crede & manducasti. *Qui & scripsit*, Credere in eum, hoc est manducare

L. I. c. 30. pag 209. &, 210.

L. I. contra Jul. cap. 2.

Tract. 25. & 26. in Johan. L. III. de Doctr. Christ. cap. 16.

Panem vivum. *Et iterum alibi dicit*, Hæc verba, Nisi manducaveritis carnem filii hominis, nihil aliud significare, nisi Passioni Domini esse communicandum, & mente suaviter cogitandum, Christi carnem fuisse pro nobis crucifixam. *Bellarminus ad hæc respondet & observandum esse monet primò*, Augustinum non rarò dicere, Infantes debere corpus Domini edere, si Salvi sint futuri; cæterùm non intelligit, id fieri debere necessariò reipsa. Nam idem Augustinus ibidem & alibi scribit, Infantes in ipso (etiam) Baptismo communicare corpori Christi, & per susceptionem Baptismi implere etiam præceptum de sumtione Eucharistiæ. *Secundò*, Infantes non solùm non obligari ad communionem re-

L. III. de peccat. merit. cap. 4. & in Serm. ad Infant. apud Bedam in Comment. 1. Corinth. 10.

ipsâ, sed nec in Voto explicito, cujus non sunt ullo modo capaces; sed tantùm in voto implicito, quod votum Infantes habent, dum baptizantur, tunc enim Infantes jus accipiunt ad Eucharistiam percipiendum. Et quia omnis, qui nascitur, naturaliter adpetit cibum; ideò etiam illi hoc ipso, quod renascuntur in Christo, adpetunt cibum renatorum, suo tamen loco & tempore percipiendum. Itaque infantes non communicant spiritualiter, nec Sacramentaliter in re, sed Sacramentaliter in Voto implicito; ex quo sequitur, ut non sit illis omninò idem, baptizari & communicare, licet simul fiant, cùm unam sequatur ex altero. *Itaque licet Augustinus locis citatis dicat*, infantes manducare Domini carnem in Baptismo, alibi tamen apertè distinguit baptizari & comedere carnem Christi. Aliud, inquit, est nasci de Spiritu, aliud pasci de Spiritu; sicut aliud est nasci de Carne,

Serm. 11. de Verb. Dom. Lib. I. de peccat. merit. cap. 20.

quod fit, cùm parit Mater, & aliud pasci de Carne, quod fit, cùm lactat infantem. *Et alibi apertè demonstrat*, hoc præceptum, Nisi manducaveritis, distingui à præcepto Baptismi, etiam in Infantibus. *Ad argumentum ergò respondemus*, scribit Bellarminus, Augustinum exponere hunc locum de manducatione Sacramentali, sed eam tamen Infantibus tribuere manducationem non in re, sed in Voto implicito, quod per Baptismum habetur, ut diximus. *Ad alia duo Ejusdem loca respondet*, dicta esse ea ab Augustino non de Sacramento, sed de fide (rectius, fine) Incarnationis; nondum enim pervenerat ad eum Evangelii locum, ubi de Sacramento agitur. Illud autem, *Qui manducat corde, non qui premit dente*, dixit Augustinus, cùm de Sacramento loqueretur, non ut excluderet Sacramentalem esum, sed ut significaret, finem hujus Sacramenti esse, alere Animam, non corpus, licet per instrumentum corporis sumatur. Verè enim reficitur hoc cibo, *qui manducat corde, non qui premit, dente*, nimirùm solo; non enim excludit corporalem esum, cum dicat ibidem, Judam comedisse solo corpore. Sed solum anteponit spiritualem manducationem corporali, quod illa prosit sine istâ, ista non prosit sine illâ, sed obsit. *Ad ultimum respondet*, Augustinum ponere figuram in his verbis ratione modi sumendi carnem Christi, non ratione substantiæ ipsius rei. Non enim vult dicere, carnem Christi tropicè dictam manducari, id est, panem, quo significatur Caro; nec veram Carnem tropicè manducari, si essentiam manducationis spectemus, quæ solum requirit, ut verus cibus ab ore trajiciatur ad stomachum per instrumenta vitalia, Sed vult dicere, tropicè manducari quoad modum. Nam ordinarius & proprius manducandi carnem modus est, ut ea visibiliter secetur in partes, & paulatim sumatur, & (quidem) cocta, non cruda &c. Christi autem caro sumitur integra & invisibiliter, & sine ullâ sui læsione: quare non propriè, sed figuratè tantum Christi caro occiditur, & laceratur in manducatione, repræsentamus enim Christi passionem. *Augustinum* id voluisse, perspicuum est ex duobus, *Primò*, quia dicit tropicè id exponendum, ne scelus aliquod vel flagitium præcipi videatur. Porrò scelus esset, Christi carnem occidere & in partes secare; non autem spirituali quodam modo ipsam carnem veram sine ulla sui læsione in Sacramento sumere. *Secundò*, quia Ipse id explicat, quis sit literalis Sensus, qui scelus sonare videatur, videlicet is, in quo verba Christi acceperunt Capharnaitæ, qui putarunt, Christi carnem laniandam, sicut in Macello fieri videmus, & dandam cuique particulam. Cum igitur Augustinus

vid. Tract. 27. in Joh. & in Ps. 98.

dicit, hoc præcepto, Nisi manducaveritis, mandari, ut communicemus Christi passioni, & eam recolamus ac mente revolvamus, id ipsum significat, quod Apostolus ait, sumendam Christi carnem in Sacramento in memoriam passionis & mortis Domini. *Hæc Bellarminus* de Augustini Sententiâ, qui etiam in antecedentibus, ubi ad authoritatem Patrum, quos maximo citavit numero, & inter eos Augustinum quoque, *Ruardum & Iansenium* respondere dicit, eos in Homiliis ad populum præsertim, adcommodasse hæc Christi apud Johannem verba ad Eucharistiæ Sacramentum; monet, *majorem eorum partem scripsisse Commentaria vel Disputationes, in quibus non adcommodationes & mystici Sensus, sed literalis exprimi debeat, inter alios*, qui Commentaria in Johannem scripserunt, Augustinum nominans, cujus tamen Tractatus in Johannem non immeritò inter Homiletici

generis

generis scripta recensentur. Post Bellarminum & præter alios de Augustini Sententiâ circa Verborum Christi in sexto capite Johannis sensum prolixè etiam agit *Conzenius* in suis super hoc Caput Commentariis, qui tamen dum pleraque à Bellarmino jam observata repetit, & inprimis contra Calvinistas agit, hic à nobis attendi non debet, ad Bellarminum ex instituto respicientibus, cui jam ordine respondendum est.

Ad primum igitur dicimus, Bellarmini objectionem laborare Elencho ignorantiæ, vel ut communiter dicunt, ignoratione Elenchi. Nimirum non attendit, vel attendere noluit, quem in finem à parte Evangelicorum Augustini Sententia de communione Infantum per Fidem soleat laudari. Quia enim Christus in verbis, de quorum sensu agitur, necessitatem manducationis & bibitionis omni modo inculcat, sine quâ nemo possit in Ipso manere, & de infantibus post Baptismum sine Sacramento Eucharistiæ decedentibus adeò rigorosè non licet judicare, eos ob defectum communionis Sacramentalis Vitâ privari æternâ, de quibus monuit Augustinus, eos manducare carnem Christi, quatenus Fidei communicant; sequitur indè necessariò, Christum non de Sacramentali, sed spirituali potius manducatione & bibitione in his agere verbis, eaque non aliter intelligi posse. Hinc quæcunque Bellarminus vel de debito manducationis, sed non reipsâ necessario, verum ratione susceptionis Baptismi præstandæ, vel de distinctione Voti *explicitii & impliciti*, hoc, non illud Infantibus baptizatis adscribens habet, neq; rem ipsam tangunt, adeoque non contrariantur argumentationi ex Augustini verbis factæ, neq; id in fundamento exhibent, quod omni modo sit liquidũ, sed potius principiorum petitiones nondum probatas, sed & nunquam probandas, ex quibus nulla deduci potest consequentia. Imò si velimus, licebit ea invertere & in Bellarminum retorquere. Nam, ad hominem disputo, si Augustinus non intelligit, manducationem & bibitionem corporis & sanguinis Christi ab infantibus necessariò reipsâ fieri debere, & tamen contendit, *debere illud fieri*, quocunq; etiam modò, *si salvi sint futuri*; utiq; Christus ad Augustini mentem, ubi de necessitate ejus egit, intellexit spiritualem, aut Bellarminus tenebitur, aliud & tertiũ manducationis genus fingere à Sacramentali & spirituali diversum, quod vix esse dicet naturale. *Præterea*, si implicitum sufficit votum in Infantibus, ut injunctæ à Christo necessitati communionis fiat ex asse satis, illudq; Votum (si absq; implicationis & contradictionis vitio ita dici aut cogitari potest ab homine prudenti,) implicitum non nisi à Dono Fidei in Baptismo collatæ potest provenire, utiq; communio spiritualis locum hic habebit, quæ vicem sustineat communionis Sacramentalis, cujus morte præventi Infantes plurimi non fiunt participes, æternâ privandi Beatitudine, si Christi de necessitate ejus verba juxta Bellarminum ad Sacramentalem trahi debent communionẽ. Et sic infantes per tale Votum non Sacramentaliter, sed spiritualiter tantùm communicare dici omninò debet, non obstante, quod diversa sint, *baptizari & communicare*, de quibus diversis actionibus contra semet ipsum pro more Bellarminus agnoscit & fatetur, *quod simul fiant*, (id quod tamen dicere necessum non est,) *& quod unum sequatur ex altero*; quâ ratione testimonia Augustini à Bellarmino in hunc finem adducta, quæ primâ facie videntur inter se contraria, optimè conveniunt, & quæ Bellarminus exindè conatus est deducere, omninò subruunt. *Ad alia duo Augustini loca* ex ipso Ejus in Johannem Commentario desumta Bellarminus ineptè & simul iterum contradictoriè respondet. Ineptè quidem, dum Augustinum *non de Sacramento, sed de fide* (rectius, fine) *Incarnationis* agere, neq; Eum ad Evangelii locum adhuc tum pervenisse scribit, in quo de Sacramento agitur. Contradictoriè autem, cum de iisdem Augustini verbis, ad quæ facta fuit provocatio, fatetur, sui ex more immemor, dixisse ea Augustinum, *cum de Sacramento loqueretur, quamvis non ut excluderet esum Sacramentalem, sed ut finem ejus esse, animã alere, non corpus, significaret*. Utrum q; contra mentem Augustini, qui neq; de Fide (rectius, fine) Incarnationis, in citatis nimirum verbis, neq; de Sacramento vel esu Sacramentali, neq; ad locum Evangelistæ, in quo de Sacramento ad literam agatur, quidquam scripsit; sed Verba Christi de manducatione spirituali agentia ad literam de eâdem intellexit & explicavit. Verba Christi sunt: *Hoc est opus Dei, ut credatis in Eum, quem misit Ille*: Ea hunc in modum explicat Augustinus: *Hoc est manducare cibum, non qui perit, sed qui permanet in Vitam æternam. Ut quid paras ventrem & dentes? Crede & manducasti.* Quæ Augustini verba adeò perspicua sunt visa *Gratiano*, ut ea etiam Juri Canonico insereret, & sub hoc quidem Lemmate, *Credere in Christum est manducare & bibere Christum*. Qui & in capitulo antecedente ex jusdem Augustini Sermone quodam de Verbis Evangelii, sub lemmate, *Quid sit corpus Christi manducare & sanguinem Ejus bibere*, sequens Lectori exhibuit testimonium: *Quid est, Christum manducare?*

Conf. P. Tarn. Cõment. in Joh. p. 590 seqq.

c. Ut quid, dist. II. de Consecr.

care? Non hoc solùm est, in Sacramento corpus Ejus accipere; multi enim accipiunt indignè, de quibus ait Apostolus, Qui manducat panem, & bibit calicem Domini indignè, judicium sibi manducat & bibit. *Sed quo-modo manducandus est Christus? Quo-modo Ipse dicit,* Qui manducat carnem meum, & bibit Sanguinem meum, in me manet, & Ego in eo. *Sic ergo in illo, etsi accipit Sacramentum, adquirit magnum tormentum.* Potuitne aliquid manifestius ad sensum Christi de manducatione & bibitione spirituali ab Augustino dici & scribi, quod Verba Ejus magis illustraret & explicaret? Hinc & Glossator Juris Canonici ad locum priorem notanter observavit: *Non prohibet* (nimirùm Augustinus) *sacramentaliter accipi corpus* (& sanguinem) *Domini, sed quod necessitate instante, ubi non potest haberi copia corporis* (& sanguinis) *Domini,* videlicet Sacramentalis, *ei non obsit, si non accipit, ex quo per eum non stat; cùm enim non accipit, manducat spiritualiter, sed sacramentaliter:* quæ verba postrema videntur contra sensum Scriptoris transposita, inque hunc ordinem redigenda: *cùm enim non accipit sacramentaliter, manducat spiritualiter.* Et ita alteri testimonio conveniunt ex asse, ad quod ipse Glossator provocavit. Plura autem adhuc Augustinus in Expositione verborum Christi habet huic Instituto inservientia. Explicans enim verba Ejus, quibus de semetipso dixit: *Hic est Panis, qui de Cœlo descendit; ut si quis manducaverit ex ipso, non moriatur,* ita sensum eorum expressit: *Quod pertinet ad virtutem Sacramenti, non quod pertinet ad visibile Sacramentum. Qui manducat intus, non foris; qui manducat in corde, non qui premit dente.* Et post ad verba: *Qui manducat carnem meam, & bibit sanguinem meum, in me manet, & Ego in illo,* ita ad mentem Christi scribit: *Hoc est manducare illam escam & illum bibere potum, in Christo manere & illum in se manentem habere. Ac per hoc, qui non manet in Christo, & in quo non manet Christus, procul dubio nec manducat* spiritualiter *carnem ejus, nec bibit sanguinem Ejus, licet carnaliter & visibiliter dentibus premat Sacramentum corporis & sanguinis Christi* &c. utut particulam adverbialem, *spiritualiter,* textui insertam, verba autem posteriora, *licet carnaliter & visibiliter* &c. eidem impertinenter adsuta, ex Codicibus manuscriptis, Catenâ *Thomæ Aquinatis,* citatione *Prosperi* in Sententiis ex Augustino collectis, quam *Ivo* Carnotensis, *Gratianus,* & Sententiarum Magister *Lombardus* expressêrunt, adferat *Dallæus,* de quo Critici. Nunc addo Augustini verba, quibus totam de sexto capite Johannis, & de manducatione ex eo tractationem finivit, scribens: *Hoc totum, quod Dominus de carne & de sanguine suo locutus est, & quod in ejus distributionis gratiâ vitam nobis promisit æternam, & quod hinc voluit intelligi manducatores & potatores carnis & Sanguinis sui, ut in Illo maneant, & Ipse in illis; hoc ergò totum ad hoc nobis valeat, ut carnem Christi & sanguinem Christi non edamus tantum in Sacramento, quod & multi* (faciunt) *mali, sed usque ad Spiritûs participationem manducemus & bibamus, ut in Domini corpore tanquam membra maneamus, ut Ejus spiritu vegetemur, & non scandalizemur* &c. Quod verò Augustinus & hic & alibi in suis Tractatibus in horum Christi verborum explicatione manducationis & bibitionis etiam Sacramentalis meminit, id quod ab aliis quoque Patribus non semel factum, quæ Ejus rei fuerit causa, post in responsione ad loca, quæ Bellarminus pro se citavit, indicabitur. Ea inter restat, ut videamus, quid ad ultimum Augustini testimonium, quod pro spirituali manducatione Evangelici laudare solent, respondeat Bellarminus; Qui sicut verè dixit, Augustinum ponere figuram in verbis Christi *non ratione substantiæ ipsius rei, sed ratione modi Christi carnem* (& sanguinem) *sumendi, neque voluisse Eum dicere, carnem Christi tropicè dictam manducari;* ita absurdè è contrario & contradicenter iterum scripsit, negans ex Augustini mente, *carnem Christi tropicè manducari,* & concedens tamen ex Ejusdem sententiâ, *tropicè eam manducari quoad modum.* Nam eo metipso, quo tropicè & figuratè Augustinus scripsit hæc Christi verba esse intelligenda, dicere volens juxta Bellarminum, tropicè manducari carnẽ Christi, simul ipsum manducationis modum voluit exprimere, Capernaitis videlicet oppositũ, quibus quæcunq; Bellarminus Augustini verba explicans opposuit, Evangelici quoq; opponunt, addentes insuper, hunc manducationis modum in manducatione etiam sacramentali, si salutaris illa sit, suum omninò habere locum, utut ad mentem Christi & Augustini id etiam statuant, hunc modum absque illâ, si nimirum haberi non possit, sufficientem esse & salutarem, & quod ad Institutum pertinet, vi verborum Christi quam-maximè necessarium. Et ita Augustini in citatis & hactenus vindicatis ex Eo testimoniis habet Sententia, quam Bellarminus suis Responsionibus, utut eas satis plausibiles Lectori exhibere sit conatus, frustrà Evangelicis studuit eripere.

de Usu Patrum. pag. 88. & 89. conf. Salmas. de Trãssubst. pag 125.

Restat

Restat jam, ut videamus, quid de iis statuendum sit locis, quæ pro suâ & communi Ecclesiæ Romanensis opinione exceptis Doctoribus suprà nominatis, Bellarminus sicut ex aliis Ecclesiæ Doctoribus, ita ex Augustino inprimis magno satis numero citavit. Ea dum generis sunt duplicis; duplici etiam responso debent excipi. Et quidem priori adnumerat classi ea, quæ de his Christi verbis Augustinus in suis ad Evangelium Johannis habet Commentariis, de quibus dum ipse Bellarminus monet, quod ex eo genere Scriptorum sint, *in quibus non adcommodationes & mystici Sensus, sed literalis exprimi debeant*; nisi Augustinum velit adcusare, quod boni Interpretis muneri non ex asse fecerit satis, sed, relicto Sensu literali, mysticis & accommodatitiis Textum magis obscurârit, quàm explicârit, omninò fateri necessum habebit, augustissimum Doctorem plus hic, quàm alibi de legitimo verborum Christi sensu fuisse occupatum, nimirùm in ipsâ, quod dicitur, & propriâ Sede ea, & quidem eò facilius explicantem, quo ex antecedentium & consequentiũ accuratâ collatione, in quo præprimis boni Interpretis officium consistit, Scopus dicentis faciliori opera potest observari, quàm si extra contextum aliquod Oraculum ex occasione saltem incidenter oblatâ veniat explicandum. Et huc etiam omninò referri debent Sancti Patris de *Doctrinâ Christianâ* libri, in quibus methodum indagandi verum Scripturæ sensum, id est, *literalem* per certas quasdam regulas præscripsit, & Exemplis ex utroq; Testamento desumtis confirmavit, utpotè qui labor quam maximè illud requisivit, ut ostenderetur attento Scripturarum Lectori & scrutatori, quis hujus & illius Oraculi sensus sit legitimus. Neq; cogitari debet, in eo Doctorem augustissimum à scopo sibi præfixo aberrâsse, dum in iis Christi verbis, de quibus eorumq; sensu actum est hactenus, aliquam observavit *figuram* vel improprium loquendi modum, quia literali illud sensui contrarium non est, de quo testantur Exempla. Atq; sic priori testimoniorum classe prætermissâ, quibus jam in præmissis satisfactum est vindiciis, ad alteram rectà nos conferimus, eorum videlicet testimoniorum, quæ in aliis Augustini Scriptis de hoc oraculo leguntur; de quibus in genere duo notanda veniunt. *Unum*, loqui quidem in quibusdam Augustinum occasione horum Christi verborum de manducatione & bibitione Sacramentali, sed non, ac si Christi verba in Sensu literali ita essent intelligenda, cùm ex testimoniis proximè vindicatis è propriâ sede desumtis aliud de Augustini Sententiâ sit demonstratum; verùm per adcommodationem, quia vidit Augustinus, unum atq; idem esse objectum utriusq; manducationis & bibitionis, Sacramentalis nimirùm & spiritualis, dum idem corpus ac idem sanguis Christi, qui in ipso Eucharistiæ Sacramento à communicantibus in, cum, & sub Pane & Vino benedicto oraliter accipitur, editur & bibitur, à cunctis verè fidelibus, etiam extra Sacramenti usum, per Beneficiorum Passionis & Mortis Dominicæ adplicationem editur & bibitur, hâc juxta expressam Christi informationem magis ad Salutem æternam necessariâ, quàm illâ; hâc etiam semper salutari, non autem illâ, quâ plurimos indignè & sic ad judicium uti, Paulum jam testem habuimus. *Alterum* in antecessum observatu dignum pro faciliori ad Augustini de Sacramẽtali manducatione & bibitione testimonia à Bellarmino citata responsione est, quod non sequatur, ubicunq; Augustinus de verâ manducatione & bibitione corporis & sanguinis Domini ad Oraculum, de quo hactenus, agit, Eum de manducatione & bibitione Sacramentali agere, cùm & spiritualis extra usum Sacramentalem manducatio & bibitio non nisi pro verâ manducatione & bibitione haberi debeat. Quin & si Augustinus vocabulo etiam Sacramenti utatur, & Sacramentum corporis & sanguinis id esse dicat, quod Christus verè fidelibus tanquam rem necessariam ad æternam Beatitudinem adquirendam commendat, non tamen indè sequitur, loqui Eum de manducatione & bibitione etiam Sacramentali, quia aliàs sæpius voce Sacramenti prò voce Mysterii usus est, de re quâdam sublimiori agens, quod infra etiam patebit, ubi de Sacramento, vel mysterio potius, Matrimonii agetur, quatenus illud conjunctionẽ Christi capitis cum Ecclesiâ omnibusq; fidelibus membris Ejus, Apostolo informatore, ad aliquam Mysterii hujus significationem exhibet. Sed ipsa videamus loca, quæ numero quatuor citat Bellarminus, ad evincendam Sacramentalem è verbis Christi & explicatione Augustini manducationẽ. *In primo* ad sequentia Bellarminus videtur respexisse verba: *Manducent, qui manducant; & bibant, qui bibunt. Esuriant & sitiant, vitam manducent, vitam bibant. illud manducare, refici est; illud bibere, quid est, nisi vivere? Manduca vitam, bibe vitam; habebis vitam, & integra est* (rectius, erit) *vita. Tunc autem hoc erit, id est, Vita unicuiq; erit corpus & sanguis Christi, si, quod in Sacramento* visibiliter *sumitur, in ipsâ veritate spiritaliter manducetur, spiritaliter bibatur. Audivimus enim ipsum dicentẽ Dominum, Spiritus est, qui vivificat, caro autem non prodest quidquam; verba, quæ locutus sum vobis, Spiritus & vita sunt.* Verùm etiamsi Serm. II. de Verb. Apost.

Augu-

Augustinus per adverbialem particulam *visibiliter* agere videatur de manducatione & bibitione Sacramentali, quæ visibiliter & ore corporis fit, ex toto tamen contextu adparet, Eum, & quidem juxta mentem Christi ac tenorem Ejus verborum, *magis* urgere manducationem & bibitionem spiritualem, utpotè magis necessariam, & in qua vere ratio vivificandi consistat, dum è contrario illam apud indignè manducantes & bibentes mors æterna sequatur. *In secundo* hæc leguntur: *Cum Dominus dicat, Nisi manducaveritis carnem meam, & biberitis Sanguinem meum, non habebitis vitam in vobis; quid sibi vult, quod à sanguine Sacrificiorum, quæ pro peccatis obferebantur, tantoperè populus prohibetur, si illis Sacrificiis unum hoc Sacrificium significabatur, in quo vera sit remissio peccatorum; à cujus tamen Sacrificii sanguine in alimentum sumendo non solum nemo prohibetur, sed ad bibendum potius exhortantur omnes, qui volunt habere vitam?* Sed si scopum citationis Augustinianæ attendamus, non intendit Sanctus Pater demonstrare ex Christi verbis manducationem & bibitionem Sacramentalem; verùm potius conciliare studuit illa Christi verba cum ablatione omnimodâ Sacrificiorum Veteris Testamenti, unum Christi Sacrificium antehàc præsignificantiũ, ea postmodũ occasione agens de bibitione Sanguinis Christi, de qua tamen, dum *in alimentum* fieri eam dixit, alimentũ sine omni dubio non-nisi spirituale intellexit, cujus etiã extrà Sacramentalem usum verè fidelem fieri participem, per manducationem & bibitionem spiritualem videlicet, sæpè jam ex Augustino doctũ fuit.

Super Levit. Quæst. 57.

In tertio Augustini testimonio, juxta Bellarmini ordinem, *Christophorus de capite fontium*, ArchiEpiscopus quondam Cæsarienſis, & ordinis Minorum generalis, Scripto *de necessariâ correctione Theologiæ Scholasticæ*, plerisque Eruditorum ex Indice librorum prohibitorum Romano æquè ac Hispano notus, in *defensione Fidei Majorum de verâ & reali corporis Christi in Eucharistiæ Sacramento præsentiâ*, tantum posuit fiduciæ, ut omissis pluribus aliis & ad rem pertinentioribus, integrum & prolixum satis Augustini sermonem suæ *Actioni secundæ* inseruerit, obtenturus, Christum in verbis sæpè jam citatis de manducatione & bibitione Sacramentali agere, cùm tamen tribus vel ad summum quatuor lineolis potuissent describi, quæ Augustinus in eo habet, aliquatenùs Instituto inservientia, nimirùm sequentia: *Quasi furor & insania videbatur, dare carnem hominibus manducandam, & Sanguinem bibendum. Ille autem qui noverat, quod dicebat, Sacramenta prædicabat.* Et postaliqua: *Nonne erant tanquã verba infantilia, Manducate carnem meam, & bibite Sanguinem meum? Sed ista infantilia verba tegebant Virtutem ejus.* Videlicet Sacramenta, quæ Christus his de manducatione & bibitione corporis & Sanguinis sui verbis prædicasse Augustinus scripsit, in eam Pontificios Doctores induxerunt opinionem, ac si necessariò in eis de manducatione & bibitione Sacramentali ageretur, cùm tamen, ut ex toto manifestum est Augustini textu, per Sacramenta non-nisi mysteria manducationis & bibitionis spiritualis fuerint intellecta, singularem in se comprehendentia virtutem, utut infantilia primùm, quin & planè stulta auditoribus fuerint, hæc talia ad rationis suæ normam intelligentibus. *In quarto* testimonio dum Augustinus scribit, *Iohannem de corpore & sanguine Domini hoc* (quo alii Evangelistæ) *loco nihil dixisse, sed planè alibi multò uberius hic* (vel de hoc) *Dominum esse locutum testatur*; habuit quidem sine omni dubio Sanctus Doctor aliquem respectum ad caput sextum Johannis, sed non quasi in eo ageretur de manducatione & bibitione Sacramentali, verùm quia communio hæc Sacramentalis sine spirituali, quæ per fidem perficitur, non prodest, ut de salutari usu ejus verè fideles exinformatione Christi tanquam Institutoris docerentur. *Christophorus de capite fontium* loco proximè citato *quintum* ex Augustino addit testimonium, quo Augustinum manifestè putat statuere, *Christum hoc in Capitulo de Sacramento Corporis & sanguinis sui locutum esse*, dum scripsit, *Dei sapientiam verbis Sacramento congruis paviſſe animam credentem, nec curâsse insipientiam nauseantẽ.* Sed nõ percepit bene Episcopi Hipponensis mentẽ Archiepiscopus Cæsarienſis, ac nimis specialiter verba generalibus cõcepta intellexit ordinisui Generalis. Nimirum id voluit augustus Doctor, Christum Dei Sapientiam paviſſe animã fidelem verbis, quibus ipsum quoq; Sacramentum explicari posset. At inde ad manducationem ipsam Sacramentalem argumentari, res est omninò absurdissima, tantoq; Episcopo indigna. Addo ex superfluo & indebitâ liberalitate *sextum* Augustini pro communione Sacramentali testimonium; *Quid aliud tenent, qui Baptismum nomine Salutis adpellant, nisi quod dictum est, salvos nos fecit per lavacrum regenerationis; & quod Petrus ait, sic & vos similiformâ Baptismus salvos facit? Quid aliud etiam, qui Sacramentum Mensæ Dominicæ vocant Vitam, nisi quod dictum est, Ego sum Panis vitæ, qui de Cælo descendi, & Panis, quem Ego dedero, Caro mea est pro Seculi vitâ. Et, si non manducaveritis carnem filii hominis, & sanguinem biberitis, non habebitis vitam in vobis?* Certe non minus hoc Augustini testimoni-

in Psal. 33. Conc. 1.

L. III. de conſ. Evang. c. 1.

L. I. contra adverſ. Legis & Proph. cap. ult.

de peccat. merit. lib. 1. cap. 24. conf. Arcad. de Conc. Lib. III. c. 41. pag 283.

monium, quàm antecedentia videntur evincere, Christum ex mente Augustini de manducatione & bibitione Sacramentali esse locutum. Verùm inservire hic potest responsio, quam Bellarminus suprà ad duo Augustini testimonia, quæ secundo ordine loco contra Sacramentalem in his Christi verbis communionem fuerunt laudata & vindicata, suppeditavit, scribens, *Augustinũ ibi non de Sacramento, sed Fide* (rectius, fine,) *Incarnationis locutum; neq; tùm perveniſſe ad illum Evangelii locum, ubi de Sacramento agatur.* Quia enim priora Christi verba, *Ego ſum Panis vitæ* &c. quæ ad *Sacramentum Mensæ Dominicæ* Augustinus censuit pertinere, ut eam rectè dici vitam demonstret, immediatè & eodem textu cum iis cohærent, de quibus judicavit Bellarminus, *non in eis agi de Sacramento*, adeòq; nec Augustinum in explicatione eorum dici posse de eo egisse; eodem hic etiam responso uti licitum esset, si quis hujus testimonii authoritate pro Sacramentali communione vellet contra Evangelicos militare. Ut taceam, vel non cum tædio prolixius repetam, quod paulò ante in utriusque testimonii vindiciis notavi, Augustinum ibi expresse ad mentem Christi explicandam scripsisse, illud, quod Christus de semetipso, tanquam Pane de Cœlo descendente dixit, *non pertinere ad visibile Sacramentum, ſed ad virtutem Sacramenti*, quo non clarius potuit, remota Sacramentali, de communione spirituali suam proposuisse Sententiam.

Ad hanc de Capite Johannis sexto tractationem pertinet Sententia, quæ communiter Augustini dicitur, & qua tantam Sacramenti Eucharistiæ necessitatem docuisse statuitur, ut sine ea pueri, etiam baptizati, non possint salvari, prout eam exprimit noviter post alios *Henricus de Noris* in Vindiciis Augustinianis, testatus, eam quasi erroneam Doctori Sancto adscribi à recentioribus quibusdam, nominatim *Iohanne Adamo, & Antonio Moraine*, vel *Iohanne Martinono*, & hoc quidem posteriore, verbis ex opere de *peccatorum Meritis & Remiſſione* ad hoc institutum pertinentibus expresè citatis, scribente, *ea adeò esse manifesta, ut difficillimè patiantur benignam interpretationem, quâ plerique Theologorum ab errore conentur excusare Augustinum, qui tamen notatus sit & damnatus sub anathemate à Synodo Tridentinâ.* Sed addit Norisius, *Augustini causam esse tutam, Ecclesia Romanâ Sancto Doctori patrocinante*, cum Sedis Apostolicæ Pontifices eadem omninò Augustini verba usurpârint contra Pelagianos, qui in locis *à Morainio* citatis docere videatur, Eucharistiæ Sacramentum non minus esse necessarium parvulis ad Salutem, quàm Baptismum; *neq; minus ad eos pertinere, quod dicitur*, Amen, amen, dico vobis, nisi manducaveritis carnem Filii hominis &c. *quàm istud*, Nisi quis renatus fuerit ex Aqua & Spiritu &c. Ut quid sibi videatur, significet *Vindex Augustinianus*, id inprimis certum esse vult, *Veteres consuevisse pueris statim post Baptismum ministrare Sacram Eucharistiam*, Augustino præter alios in testimonium rei citato. Et quia *Maldonatus* suis in Evangelia Comentariis id ideò factum putavit, quod putarent, *Eucharistiam infantibus necessariam*; Norisius nullo concedi posse pacto autumat, utpotè Synodo Tridentina ita de hoc ritu loquente: *Ut Sanctissimi Patres facti sui causam probabilem pro temporis illius ratione habuerunt, ita certè eos nullâ salutis necessitate id fecisse sine controversia credendum est.* Subjungit, quod idem Maldonatus cum Augustino *Innocentium* Pontificem dixisse scribit, *Infantes etiam baptizatos, nisi percipiant Eucharistiam, salvos esse non posse*, falsissimum esse. Dixisse illos quidem, infantes sine Sacramento Eucharistiæ salvos esse non posse; at id de pueris baptizatis nunquã affirmâsse, cùm eâ tempestate statim post Baptismum omnibus etiam daretur Eucharistia, & ob hanc causam eo Johannis testimonio Augustinum & Pontifices Romanos (*Innocentio* enim suprà junxerat *Gelasium*,) optimè contra Pelagianos esse usos. Post aliqua hæc observat: Cùm eâ tempestate omnibus utrumq; illud Sacramentum, Baptismus scilicet & Eucharistia daretur, non tam frequenter legimus in Augustino quid senserit, *si Baptismus tantùm sine Eucharistia fuisset collatus*? Semel, inquit, illum lego casum apud Sanctum Doctorem, videlicet in opere de origine Animæ, ubi cùm Vincentius Victor exemplo boni Latronis probaret, pueros sine Baptismo posse salvari, Sanctus Doctor respondet, fieri potuisse, ut ille Latro fuerit baptizatus, & ante, quàm iret in Carcerem, acceperit in Baptismo remissionem peccatorum, vel, ut pleriq; credebant, in ipsâ Cruce fuerit baptizatus, Aquâ exiliente è Christi latere. At certum est, subsumit *Norisius*, Latronem non sumsisse Eucharistiam, quæ pridiè ante mortem in Cœnâ à Domino fuerat instituta. Igitur *homo per Augustinum baptizatus tantùm sine reali sumtione Eucharistiæ potest accipere remiſſionem peccatorum & Salutẽ æternam.* Hoc etiam deducitur ex constanti ejusdem Sententia, quâ adseruit, *Fidem Conversionemq; cordis, quæ fit per Charitatem actualem, posse hominem reddere salvum, si à Baptismo recipiendo excludatur necessitate improvisa.* Ita passim scribit in libris contra Donatistas, præcipuè autẽ in opere de Baptismo; (NB. Egregium

pag. 110. & seqq.

Joh. 6. & 3.

conf. Joseph. Vice Comit observat. Eccles. L. V. cap. 34. & seqq.

L. 1. c. 9. & L. 3 c. 9.

hoc

L.4.c.22. hoc præbet argumentum in Controversia de infantibus ante Baptismum mortuis.) Ita ita iterùm subsumit *Vindex Augustinianus*, puer baptizatus, etiamsi non percipiat Eucharistiam, longè perfectiori modo habet Fidem & Charitatem, sibi à Deo in Sacramento Regenerationis infusas. *Igitur juxta doctrinam Augustini verè salvabitur.* Cùm verò, sic pergit *Norisius*, Sancti Patres, & ita etiam Augustinus, docent, sine participatione corporis & Sanguinis Domini neminem consequi posse Salutem æternam, intelligendi sunt de *participatione spirituali*, quando per Fidem infusam fiunt participes corporis Christi, dum fiunt Ejus membrum, cui per Fidem incorporantur, sicut qui sumunt Eucharistiam, fieri dicuntur membra Christi, *dum manent in Eo, & Christus in eis.* Confirmat hoc diversis Augustini testimoniis, addito consensu *Fulgentii & Bedæ*, Augustini Verbis in hâc eâdem tractatione utentium, quod *à Gratiano* quoq; factum monet, utut cum aliquâ additione ex Fulgentio. Licuit hæc in gratiam Lectoris piè curiosi adscribere, quia aliàs non semel mentio solet fieri Sententiæ hujus Augustinianæ de *necessitate Eucharistiæ*, etiam Ratione infantum; ad cujus Sensum, ne nimius rigor in hoc capite Sancto Patri adscribatur, ritè intelligendum hæc adducta non parum videntur conducere. Etsi autem juratus,
pag.212. & seqq. & fortè conductus Norisii hostis, *Bruno Neuserus*, ordinis non Majorum, sed verè, *Minorum*, *in Prodromo Velitari* hæc & cætera, quæ in *Vindiciis Augustinianis* ad defensionem Doctoris Sancti leguntur, uti solet, cum non planè nullo Authoritatis Augustinianæ præjudicio & detrimento, exagitet, non tamen ejus sunt momenti & ponderis, ut laudatam Explicationem loco possint tollere, adeòque nec digna, quæ prolixius examinentur, cùm ipsa rationum collatio evidenter possit ostendere, quod citatus ad marginem *Vitæ-Comes* etiam ex Instituti ratione in se suscepit ostendendum, istam Eucharistiæ perceptionem, Sacramento Baptismi junctam, ad ritus ex antiquâ consuetudine receptos pertinuisse, quod observâsse satis nunc esse potest.

LIBRI TERTII
CAPVT VIGESIMVM,
De Transsubstantiatione.

PRætermisso in totũ secundo de Eucharistiâ libro, utpotè Doctoribus reformatis realem in hoc Sacramento Corporis & Sanguinis Christi præsentiam inficiantibus opposito, quibuscum nihil commercii in hâc Controversia intercedit Evangelicis Doctoribus à luesyncretica per Dei gratiam liberis; neq; etiam attentis sex illis opinionibus diversis, quas de modo existentiæ Corporis & Sanguinis Christi in Eucharistia recenset Bellarminus & refutat: rectè ad discussionem illius progredimur Quæstionis, quæ Evangelicos etiam respicit, Transsubstantiationem seu mutationem & conversionem Panis & Vini Eucharistici in corpus & sanguinem Dominicum, tanquam Dogma novum & in Ecclesia antiquiori ac magis orthodoxa inauditum, atq; hinc in Ecclesia veré fidelibus non obtrudendum respuentes. Dico, in Ecclesia antiquiori, adeòque ea etiam, quæ Augustini tempore fuit, inauditum. Quamvis enim Bellarminus more solito ad hujus Dogmatis sub anathemate à Patribus Tridentinis propositi confirmationem testimonia Patrum ex omnibus ab Apostolorum tempore Seculis, & hinc etiam Augustini, conquisiverit, utut definitionem ejus ad quinq; tantum Secula restringens, eometipso falsus, per mille Annos fideles ad hoc Dogma amplectendum nulla Concilii ullius Oecumenici, universalem Ecclesiam repræsentantis, definitione expressa fuisse adactos; in sequentibus tamen ostendetur, quidquid jam sit de cæteris Patribus, Augustino etiam illud suo tempore fuisse incognitum. Ita autem de Eo Bellarminus: *Augustinus*, in Sermone, quem Beda citat: *Omnis panis, accipiens Benedictionem Christi, fit corpus Christi.* Addit
in 1. Corinth. 10. pro horum Augustini verborum intellectu Bellarminus: *Adverte, non dixisse Augustinum, Panis est corpus Christi, ut Lutherani solent loqui, sed fit corpus Christi, quæ verba mutationem significant panis in corpus, ut quidem Zwingliani utcunq; possent respondere, mutatione significationis ex pane fieri Corpus; at Lutherani quid respondere possint nescio. Nam ipsi volunt, realiter corpus Domini adesse in Cœnâ; Augustinus autem dicit panem fieri Corpus. Fateri prudè*
Serm. 28. de Verb. Dom. Tom. II. cap. 83. *debent ex Augustini Sententiâ, panem reipsâ converti in corpus.* Idem alibi: *Ante Christi verba, quod obfertur, panis dicitur; ubi verba Christi fuerint depromta, jam non panis dicitur, sed corpus adpellatur.* Bellarminus pergit: *Thomas Waldensis alium citat locum ex libro Augustini de corpore Domini*, quem dicit se transcripsisse ex antiquissimo libro antiqua valdè manu descripto: *Non credendum est, quod substantia Panis vel Vini remaneat, sed Panis in corpus Christi & Vinum in Sanguinem vertitur, qualitatibus solummodò remanentibus.* Verùm

rùm notanter addit Bellarminus, *suspicor, hunc non Augustini, sed Alcuini esse librum, Nobis tamen est satis, antiqui esse Authoris.* Christophorus de Capite Fontium in opere laudato sequens addit è *Prosperi* Sententiis, quas ex Augustini scriptis utplurimùm collectas esse suprà agnovimus, pro Transubstantiatione testimonium: *Nos in specie Panis & Vini, quam videmus, res invisibiles, id est, carnem & Sanguinem honoramus, nec similiter comprehendimus has duas species, quemadmodum ante Consecrationem comprehendebamus; cum fideliter fateamur, ante Consecrationem esse Panem & Vinum, quod Natura formavit, post Consecrationem verò longè aliud, carnem videlicet & Sanguinem Christi existere.* Gregorius de Valentiâ adhuc aliud pro hoc Dogmate ex Augustino testimonium adducit, nimirum sequens: *Christi corpus & sanguis virtute Spiritus Sancti ex Panis & Vini substantiâ efficitur.* Item, *Sicut ipse Christus est, qui baptizat; ita ipse est, qui per Spiritum Sanctum hanc substantiam (panis) efficit carnem, & transit Vinum in Sanguinem.* Item, *Noster Panis, & Calix certâ consecratione mysticus fit nobis, non nascitur.* Valentianus hæc observat: *Ex ipsâ Augustini disputatione adparet, velle Eum significare, Eucharistiam consecratam alterius esse naturæ & generis Panem, quàm ille sit naturalis, qui è terrâ nascitur, atque adeò nihil aliud secundum Substantiam esse, quam Christi corpus.* Notandum verò est, Valentianum ad tripartitum hoc Augustini testimonium in margine præter libros contra *Faustum* scriptos citare *Gratianum* & *Lombardum*, de quibus post in Examine dicetur. in Opusc. pag. 387.

In genere ad hæc Augustini & aliorum in Ecclesia Veteri Patrum testimonia observari debet, Evangelicos veram & realem Corporis & Sanguinis Christi in Eucharistiæ Sacramento præsentiam vi verborum Institutionis, veram itidem utriusque cum Pane & Vino unionem vi verborum Pauli credentes, aliquam panis & vini cum Corpore & Sanguine Dominico Sacramentaliter & modo humanitùs incomprehensibili unitorum mutationem, sed accidentariam non negare, per quam id, quod Panis tantùm fuit communis & vinum vulgare, accedente Christi verbo sit etiam, adeòque communicantibus exhibeatur & ab illis sumatur simul verè Corpus & Sanguis Christi: quæ tamen accidentalis mutatio ab illâ substantiali, quâ secundum Bellarmini explicationem fit *totalis conversio substantiæ Panis & vini in Corpus & Sanguinem Domini*, ob quam voce novâ & apud Antiquos inauditâ dicitur Transubstantiatio, tantum abest, quantum à terrâ Cœlum distat, quâ comparatione aliàs in eodem negotio contra ipsam realem Corporis & Sanguinis Dominici præsentiam Reformatos uti constat, quo jure, quâve injuriâ, hic dicendi locus non est. Et quia de modo & ratione hujus Transubstantiationis plurima inter ipsos hujus novi dogmatis Defensores controversia & lis est, hinc ipse Bellarminus se contradictionibus non caruisse testatus fuit. Dum enim hanc conversionem, quam omnium perfectissimam, & ab omnibus aliis mutationibus distingui dixit, statuit esse *non productivam, nec conservativam, sed adductivam, non quia corpus Christi suum deserat in Cœlo locum, vel quia per motum localem huc de Cœlo adducatur, sed solùm, quia per eam fiat, quod antea solùm erat in Cœlo, nunc etiam sit sub speciebus Panis, & non solùm per simplicem præsentiam vel coexistentiam, sed & per unionem quandam* &c. in recognitionibus ita hanc mentem suam explicare fuit coactus: *Video id à nonnullis perperàm esse intellectum, qui indè colligunt, hanc non esse verè conversionem sive Transubstantiationem, sed translocationem. At aperte falluntur. Sicut enim conversio & Transubstantiatio ad panem pertinent, non ad corpus Christi, sic etiam translocatio, si cui conveniret, pani conveniret, non corpori Christi. At pani nullo modo convenit, cùm non mutet locum, sed transeat in corpus Christi. Sed neque corpus Christi per conversionem adductivam translocari potest dici, cùm neque suum deserat in Cœlo locum, neque incipiat esse sub speciebus, ut in loco, sed ut substantia sub accidentibus, remotâ tamen inhærentiâ. Itaque adductivam conversionem adpellavimus*, inquit Bellarminus, *ut significaremus, corpus Christi per consecrationem Eucharistiæ non de novo produci, sed præexistere, & per conversionem panis in ipsum incipere esse sub speciebus panis.* Et postquam de diversis Patrum (nullâ tamen Augustini mentione factâ) Sententiis quoad loquendi modum egit, ita porrò suam expressit mentem: *Quidquid sit de modis loquendi, illud est tenendum, conversionem panis & vini in Corpus & Sanguinem Christi esse substantialem, sed arcanam & ineffabilem, & nullis conversionibus naturalibus per omnia similem, & quam solus Deus facere possit.* Præmissâ hunc in modum & indicatâ Sententiarum Bellarmini & Evangelicorum de mutatione Panis & Vini Eucharistici differentiâ, facilè est indicare, quæ mens fuerit Augustini, in laudatis à Bellarmino, *Capite-fontium* & Valentiano testimoniis, utut pleraque non sint omninò indubitata, de quibus nunc in specie.

Primum hoc est juxta Bedæ citationem: *Non omnis Panis, sed accipiens benedictionem*

nem Christi, fit corpus Christi. Multum huic Sententiæ tribuit Bellarminus, sed parùm ad rem, si verba ritè attendamus. Non enim scripsit Augustinus, *Panis accipiens benedictionem Christi fit corpus Christi, ita, ut substantia panis totaliter convertatur & transmutetur in substantiam corporis Christi, priori substantiâ in totum abolitâ, manentibus tantùm externis accidentibus & speciebus in oculos occurrentibus*; quod absurdum si scripsisset Augustinus, haberet, de quo triumphum ageret Bellarminus. Verùm id non scripsit Doctor augustus, neque etiam scribere potuit, si attendantur ea, quæ citante in antecedentibus eodem *Bedâ*, in alio Sermone, Augustinus scripsisse legitur: *Hoc quod videtis in Altari, etiam nocte transactâ vidistis. Sed quid esset, quid sibi velit, quàm magnæ rei Sacramentum contineret, nondum audivistis. Quod ergò vidistis, Panis est,* (Nota benè, non dicit, panis videtur, sed est, & quidem in præsenti, non in præterito, fuit antè,) *& Calix, quod vobis etiam vestri renuntiant oculi. Quod autem Fides vestra postulat instruenda, panis est corpus Christi, Calix* (verò) *Sanguis.* Et post aliqua: *Quomodo panis est corpus Christi, & Calix, vel, quod habet Calix, quomodo est sanguis ejus?* Respondet: *Ista ideò dicuntur Sacramenta, quia in eis aliud videtur, aliud intelligitur. Quod videtur, speciem habet corporalem; quod intelligitur, fructum habet spiritualem.* Speciem non dixit sine substantia, accidens sine subjecto, sed speciem notanter corporalem, quam non dixisset, si omnimodam Panis & Vini substantiam credidisset in Eucharistiâ abolitam. Et dum Doctor augustus expressè hic scripsit, *Panis est corpus Christi*, Calix, vel Vinum, quod habet Calix, est sanguis Christi, Bellarminum in terminis refutavit, hanc Propositionem, quæ ad distinctionem aliarum, & quia refertur inter inusitatas, Sacramentalis dicitur, Lutheranis adscribentem, quasi absque Augustini authoritate ita loqui soleant. Qui etiam, dum ad objectum à se Augustini testimonium Zvvinglianos utcunque posse respondere scribit, Lutheranos non item, suam prodidit ignorantiam, ut ne quid amplius dicam, cui per alia ejusdem Sancti Patris apud eundem *Bedam* testimonia satis jam factum est. Et per hoc eò facilior est etiam responsio ad cætera Augustini loca, quæ Bellarminus, *de Capite fontium*, Valentianus, aliique ad Transsubstantiationem confirmandam laudarunt, nominatim, ad secundum, in quo verè scripsit Doctor augustus, *quod obfertur, ante Christi verba, panis dicitur; ubi autem verba Christi fuerint depromta, jam non panis dicitur, sed corpus Christi adpellatur.* Verè, inquam, si ad mentem, quam Pater Sanctus alibi expressit, & quidem in testimoniis proximè citatis intelligatur. Sic enim juxta formulam loquendi ab eo usitatam *panis est corpus, vinum est sanguis Christi*; utiq; cùm scribit, *non panis dicitur, sed corpus Christi*, intelligi debet non Panis solùm, sed simul etiam corpus Christi, vel si corpus Christi tantùm, eò accipiendum est sensu, quo pertritam in communi usu loquendi regulam à potiori solet fieri denominatio. Huc pertinet observatio *Cassandri*, quâ mentem Augustini in hâc Propositione explicanda adsequi laboravit, in *Consultatione*, nemini non notâ, hunc in modum scribens: *Augustinus panem dicit corpus Christi, sed, ut ita loquar, intellectualiter, respectu videlicet intellectus, quo in pane, qui exterius videtur, interius Christi corpus esse creditur.* Addit de cæteris Ecclesiæ Doctoribus: *Si quando à Patribus hæc loquendi forma usurpatur, ut dicant, panem esse corpus Christi, agnoscunt recentiores quoq; Ecclesiastici Scriptores, eam esse figuratam, ut quâ signum rei signatæ, sed præsentis, nomine denotetur.* Quæ Bellarminus porrò ex authoritate *Thomæ VValdensis*, tanquam ex aliquo Augustini libro ad Transsubstantiationis commendationem citat, videntur quidem aliquid ad rem quam-maximè pertinens habere, atque hoc Dogma omni modo adstruere: Sed dum ipse Bellarminus suspicari fuit coactus, causis sine dubio prægnantibus, librum, ex quo *VValdensis* hoc citavit testimonium, non esse Augustini, sed *Alcuini*, qui juxta ipsius Bellarmini calculum integris quatuor seculis post Augustinum vixit, ad vindicias Augustini non pertinet, nobis ex instituto ad id non obligatis, ut ad quorumvis Veterum Scriptorum dicta respondeamus. Quod Archi-Episcopus Cæsarienſis ex *Prosperi* sententiis tanquam Augustini testimonium laudavit, in Jure etiam Canonico exhibetur, hâc cum observatione, *aliter illud apud Lanfrancum ex libro de catechizandis rudibus legi, sed Ivonem ferè eodem modo habere, quo Gratianum.* Sensum hujus testimonii legitimum ut percipiamus, lubet parallelum ex iisdem *Prosperi* sententiis, eodem Gratiano citante, sex tantum locis intercedentibus, adducere: *Hoc est, quod dicimus, hoc modis omnibus adprobare contendimus, Sacrificium scilicet Ecclesiæ duobus confici, duobus constare, visibili Elementorum specie, & invisibili Domini nostri Jesu Christi carne & sanguine, Sacramento & re Sacramenti, i. e. corpore Christi; sicut Christi persona constat & conficitur Deo & homine, cùm ipse Christus sit verus Deus*

oper. p. 940. & 941.

c. Hoc est, dist. II. de Consecr. cõf. Pichon. opusc. p. 189. & 198.

Deus & verus homo, quia omnis res illarum rerum naturam & veritatem in se continet, ex quibus conficitur; conficitur autem Ecclesiæ sacrificium Sacramento & re Sacramenti, id est, corpore Christi; est igitur Sacramentum & res Sacramenti, id est, corpus Christi. Nimirum explicat hoc dictum posterius manifestum satis ea, quæ ex priori Archi-Episcopus Cæsarienſis Transſubſtantiationi adſtruendæ exiſtimavit inſervire, dum hanc Sacramentalem panis & vini cum corpore & ſanguine Chriſti unionem certâ quâdam ratione ſimilem eſſe dixit Auguſtinus unioni Naturarum Divinæ & humanæ in Chriſto perſonali. Sicut autem niſi hæreſeως Eutychianæ adſecla dicere non poteſt, humanam Chriſti Naturam eſſe converſam in Divinam; Ita etiam vi inſtitutæ ab Auguſtino comparationis non licet dicere, panem & vinum converti in corpus & ſanguinem Chriſti, utpotè quam converſionem vel, ut Papæi hîc loquuntur Scriptores, Transſubſtantionem neq; unio Sacramentalis, neque Perſonalis admittit. Reſtat teſtimonium illud tripartitum, quo *Valentianus* validè hoc Transſubſtantiationis dogma demonſtrâſſe viſus eſt. Id ſic ut teſtimonio, quod Bellarminus ex *Thoma Valdenſi* citavit, non multùm eſt diſſimile, multumq; pro hoc Transſubſtantiationis dogmate videtur militare; ita dum *Valentianus* in margine provocat ad opus Auguſtini contra *Fauſtum*, in cujus tamen libro & capite, quorum numeros adſcripſit, nulla planè mentio hujus Controverſiæ legitur; quod verò partes teſtimonii priores attinet, ad *Gratianum* & *Lombardum* hujus tanquam ex Auguſtino teſtimonii authoritate utentes Lectorem mittens, obſervandum eſt, *Gratianum* huic teſtimonio præſcribere quidem Auguſtini nomen, ſed absque libri vel operis ſignificatione, Notarum verò Scriptorem, quæ juſſu *Gregorii* Pontificis, numero & ordine tertii & decimi, ſeculo adhuc præcedente ſunt editæ, fateri, *ex Paſchaſio videri illud confectum.* Et quamvis addat, *Algerum eo uſum citare Auguſtinum ex libro de Sacramento Altaris*, dum tamen iſte liber hodiè inter genuinas Auguſtini fœtus, juxta Bellarminianam quoque recenſionem, non extet, quidquid ſit de recentibus operum Auguſtini Supplementis, non omni ſuppoſitionis ſuſpicione carentibus, de quibus etiam non idem eſt Eruditorum utriusque partis judicium, ut de eo multùm ſolliciti ſimus, neceſſum non eſt, præprimis cùm &, qui notas Marginales *Lombardo* adſcripſit, quæ in Editione Lovanienſi præcedentis itidem Seculi leguntur, notanter obſervârit, *Sermonem, ex quo Lombardus hæc verba citaſſe viſus eſt, non reperiri in vulgatis Exemplaribus*: quod hactenus ſatis eſſe poteſt & ſufficiens, ne hujus teſtimonii tanquam Auguſtiniani authoritate Evangelici videantur teneri, Auguſtino alibi clariſſimè ſuam de hâc Controverſiâ ante, quàm in Eccleſia moveretur, exprimente ſententiam, ibi præſertim, ubi in ſententiis à *Proſpero* collectis, eodem *Gratiano* & *Lombardo* teſtibus, & ad laudatas *Proſperi* vel potius Auguſtini ſententias Lectorem mittentibus, unionem Sacramentalem cum unione naturarum in Chriſto perſonali comparavit, illam ex hâc explicans, utpotè quæ nullam Naturæ converſionem vel mutationem in alteram requirit, quam Veteres itidem cum unione corporis & animæ aliquatenus illuſtrare ſunt conati, ut ſuo ſupra vidimus loco.

vid. D. Dorſch. de Jur. Canon. pag. 101. conf. Salmaſ. de Transſub. ſtant. p. 113. adde Picher. opuſc. p 41. & ſeqq. & ibid. p. 169, & 176

l. 20. c. 15.

Nunc veniendum eſſet ad ea Auguſtini teſtimonia, quæ ab Evangelicis contra Transſubſtantiationem ſolent laudari, atque videndum, quid Bellarminus in eorum examine deſideraverit. Sed noluit in hoc decurrere campo Bella, arma, & minas ſpirans Polemarcha, ſed breviter in acie hâc expediri rem poſſe exiſtimavit, ſcribens: *Ultimò, ex Patribus*, adeoque etiam ex Auguſtino, *multa collegit Chemnitius contra Transſubſtantiationem, ſed omnia ſunt explicata à nobis libro antecedente; nam eadem adferebantur etiam à Calviniſtis contra veritatem corporis & ſang. Domini in Euchar. Vide, quæ diximus de teſtimoniis Irenæi, Ambroſii, Theodoreti, Gelaſii & Heſychii*; (Auguſtino cur prætermiſſo, ex quo tamen Chemnitius contra Transſubſtantiationem militavit?) *Horum duntaxat enim adducit teſtimonia, & cùm nihil adferat novi, fruſtrà in eorum confutatione immoraremur.* Verùm ſi hæc methodus agendi placuiſſet Bellarmino, multò breviori & longè faciliori opera contra hæreticos ſcribere potuiſſet, & ſe & alios non pauco labore ſublevaturus. Non enim verum eſt, ea Auguſtini teſtimonia, quæ *Chemnitius* contra Transſubſtantiationem adduxit, & quæ nos quoq; partim ex Serm. de Verbo Dom. partim ex *Proſpero* jam habuimus, à Bellarm. fuiſſe explicata in libro antecedente, ubi ad ea Auguſtini teſtimonia reſpondere fuit ſollicitus, quæ Calvin. contra veritatem corporis & ſanguinis Domini in Euchar. adferre ſolent. Cùm enim Evangelici Doctores non ex eo ſoleant oppugnare fundamento Transſubſtantiationem, quo Calviniani, iis veram corporis & ſanguinis Chriſti in Sacr. Euchar. præſentiam vi verborum Inſtitutionis firmâ Fide credentibus; his verò, quidquid ſub certis verborum involucris agnoſcere videantur,

antur, reipsa negantibus & acerrimè oppugnantibus, quod post omnes alios novissimè à laudato sub initium capitis præcedentis *Edmundo Albertino*, operæ satis magno & operosissimo factum est, *Davide Blondello* hederam ei satis speciosam suspendente; adeoque si res accuratè ponderetur, Calvinistæ non possint vi suæ hypotheseωs, ex iis Augustini testimoniis, quæ veritatem præsentiæ corporis & sanguinis Christi æquè ac panis & vini defendunt, contra Transsubstantiationis Dogma argumentari, quibus *Chemnitium* & Evangelicos ad evertendum illud uti jam fuit dictum, hinc Bellarminus etiam ad ea, tanquam à Calvinianis non objecta, non potuit respondere. Equidem, ubi ad primum ex *Beda* testimonium, quod Bellarm. pro Transsubstantiationis Dogmate collocavit in aciem, suprà ex alio apud eundem *Bedam* testimonio, quod Augustino ibidem adscripsit, tanquam luculentiori fuit responsum, quòd expresè Panem dixit esse corpus, vinum esse sanguinem Christi; video, Bellarm. illud posterius testimonium inter ea, & ultimo quidem loco collocare, quæ Calviniani contra veritatem præsentiæ corporis & sanguinis Christi in Eucharistiæ Sacr. urgent, adeoque illud respondere conatum fuisse. Quamvis autem, ut dixi, Evangelicis in hac etiam Controv. cum Calvinianis nihil planè sit negotii, qui & hic mediam inter duo extrema, (Papæis per Transsubstantiationis dogma in excessu, Calvinianis per realis præsentiæ corporis & sanguinis Christi negationem in defectu peccantibus, illis justo amplius, his justo minus huic Sacramento adscribentibus;) tenent viam, verbis Christi Institutoris fixè & firmiter inhærentes, adeoque respons. Bellarmini ad Calvinianorum ex hoc Augustini apud *Bedam* testimonio objectionem sine Examine liceret prætermittere; tamen, quia id suprà à nobis etiam contra ipsum Transsubstantiationis dogma fuit usui, ne quis labor difficilis videatur à Bellarmino impositus, vel omninò etiam impossibilis, præprimis dum Lectorem ad hoc responsum misit, videamus breviter, quid circa id jure possit desiderari. *Ita autem ibi Bellarminus*: Tota vis testimonii hujus posita est in duobus, *primò* in eo, quod Augustinus dicat, Panem esse id, quod est in Altari, ut ipsi renuntiant oculi. *Secundò*, quod ad Quæstionem, *quomodo panis sit corpus Christi, si Christus sit in cœlo?* Augustinus non responderit, per transmutationem aut aliquid hujusmodi; sed dixerit, Sacramenta esse signa quædam visibilia & corporalia rerum spiritualium & intelligibilium. *Hæc ex mente Calvinianorum habet Bellarminus*, addens: *Ad primum facile est respondere*. August. enim declarat, quid sit, quod est in Altari, ac dicit, Panem esse quoad speciem exteriorem, ut rectè judicant oculi; quoad interiorem verò substantiam esse corpus Christi, ut Fides judicat rectè. Nam si August. vellet dicere, in Altari *etiam* esse panem quoad substantiam, & id probaret oculorum testimonio, ut ejus verba fronte prima videntur sonare, repugnaret apertissimè *Cyrillo*, *Ambrosio*, *Nysseno*, *Epiphanio*, *Gaudentio*, *Chrysostomo*, qui disertis dicunt verbis, falli sensus, & non esse judicandum ex gustu, & deniq; non esse panem. Quis autem credat, August. in re tam magnâ tot Patribus repugnasse, & præterea, si repugnasset, quomodo nec ipse unquam eos reprehendisset, nec ipse ab aliis fuisset reprehensus? *Quare* cùm verba ejus dupliciter exponi possint, & uno modo repugnent Patribus cæteris, alio autem modo cum eis congruant; quis non videt, uter sensus sit præferendus? *Adde*, quod non aliis solùm Patribus, sed sibi etiam repugnaret, si judicio sensuum in hoc Mysterio locum dare vellet, ut patet ex tot locis ante cit. *Ad secundum respondeo*, August. ad quæst. *Quomodo panis sit corpus Christi?* noluisse directè respondere, quia auditores non erant capaces, *Homilia* enim illa habebatur ad pueros recens baptizatos; ideò monuisse, ut simpliciter crederent, panem illum esse corpus Christi, & operam darent ut ipsi essent corpus CHRISTI per Fidem & opera bona, quia pòst, ubi crevissent & profecissent in via DEI, ista eis aperirentur Mysteria. *Id ita esse patet*, quia cùm esset propositum de CHRISTI corpore naturali, quod est in cœlo, *quomodo sit in Eucharistiâ?* Ipse omisso Christi corpore naturali transiit ad corpus mysticum ac dixit, Eucharistiam esse signum Societatis fidelium, & nos esse corpus Christi, & nos manducare, quod sumus, & mysterium nostrum esse in Mensâ, & alia id genus. Nunquam verò dixit, panem esse signum corporis Christi naturalis, aut corpus naturale non esse in Altari, aut esse symbolicè; quæ certè debuit dicere, si directè ad Quæstionem responderevoluisset, & in hæresi Calvinistarum fuisset. Sicut ergò illi à nobis quærunt, quare August. non solvit Quæstionem, dicendo, panem esse corpus per Transsubstantiationem; sic & nos ab illis quærimus, quare non solvit quæstionem, dicendo, esse corpus Christi repræsentativè? *Et pro utrisq; respondemus*, Augustinum dedita opera dissimulasse quæstionem, & ad moralem cohortationem esse digressum. *Quæ in hoc responso Bellarminus* expresè contra Calvinianos realem corporis & sanguinis Christi in Eucharistiâ præsentiam negantes

gantes habet, ad præsens Institutum non pertinent, nobis de eo nunc solùm sollicitis, quâ ratione laudatum à *Bedâ* Augustini testimonium ad evertendum Transsubstantiationis dogma possit inservire, ne Bellarmini exceptiones impediant.

Et quidem *ad prius responsum* notari debet, Augustinum de eo, quod est in Akari, non dicere, panem esse quoad speciem *exteriorem*, id est, sensu Papistico, speciem sine Substantiâ, accidens sine Subjecto, cujus rei absurditas Sancto Patri nunquam venit in mentem, neque potuit venire, nisi sibimet ipsi in faciem voluisset contradicere & scribere, qui sicut apud *Prosperum* ad evitandum dogma Eutychianorum Christi personam constare dixit *ex Deo & homine*, Divinâ nimirùm & humanâ Naturâ, neutrâ in alteram conversâ, sed utrâq; personaliter unitâ, *ut Christus sit & dicatur verus Deus & verus homo*; ita ad evertendum dogma Transsubstantiationis ante, quàm esset natum, Sacramentum Eucharistiæ, quod latiori sensu dixit Sacrificium, *duobus confici & constare* scripsit, *visibili Elementorum specie*, quam in verbis ex *Bedâ* citatis notanter dixit *corporalem*, & invisibili Carne & Sanguine Christi, sine ullâ utriusq; reali & substantiali conversione & mutatione, quam vis institutæ ab Augustino comparationis nullâ omninò ratione admittit. Nec quidquam valet, quod Bellarminus porrò infert: si Augustinus in demonstratione panis & vini verè & substantialiter existentium ad oculare testimonium voluisset provocare, apertissimè repugnasset pluribus aliis Ecclesiæ Doctoribus, *qui sensus falli in hoc Sacramento* tanquam singulari Mysterio, *neq; ex gustu judicandum esse, & denig; non esse Panem* scripserint; cùm præter id, quod ex nostris *Gerhardus* præsertim, ex Reformatorum cœtu post *Chamierum* laudatus paulò ante *Albertinus*, & qui hic prætermitti non debet, *Salmasius* sub nomine *Simplicii Verini* libro peculiari de *Transsubstantiatione* contra *Grotium* hic quoq; Papizantem scripto, ad ea Patrum dicta observârunt, quæ pro hujus Dogmatis confirmatione solent adduci, notasse hic in genere sufficiat, pertinere has locutiones, quas Augustini Sententiæ ad Evangelicorum mentem explicatæ contrarias esse Bellarminus sibi imaginatur, ad exclusivas, atque hunc in sensum orthodoxè intelligendas, *falli omninò sensus in hoc Sacramento*, si nihil aliud omninò præter id quod videtur, accipere nos credamus, *neq; ex gustu judicandum esse*, sicut in alio communi cibo & potu, *denig; non esse Panem*, videlicet solum vel communem, qui ad nutritionem corporis, sed animæ pertineat; quâ ratione non video, quid laudati Patres his & talibus verbis dixerint vel scripserint augustissimo Doctori contrarium. *In posteriori responso* Bellarminus non paucam infert injuriam Augustino, quasi is auditoribus tum adhuc *incapacibus* proposuerit Quæstionem captu sublimiorem, adq; eam non *directè*, atque sic insufficienter responderit, auditores in suspenso relinquens; quo an Doctoris officio fecisse satis esse possit dici, nescio, an quisquam, cui Simpliciores informandi ratio non est incognita, sit adfirmaturus. Verùm non ita infideliter cum suis egit auditoribus Pater Sanctus, ut quam eis proposuit Quæstionem, non etiam sufficienter, quantum captus eorum & Mysterii incomprehensibilis ratio patiebatur, ad eam responderit, dicens: *Ista ideò dicuntur Sacramenta, quia in eis aliud videtur, aliud intelligitur. Quod videtur speciem habet corporalem; quod intelligitur, fructum habet spiritualem.* Facillimum vero fuisset augustissimo Doctori, transsubstantiationis vel aliud vocabulum idem significans adhibere, aut pluribus verbis rem hanc describere, si totalem & substantialem Panis & Vini in Corpus & Sanguinem Christi conversionem & mutationem in hoc Eucharistiæ Sacramento credidisset. Et huc referri debet ejusdem Sancti Patris testimonium, quod *Valentianum* ex opere contra *Faustum*, libri tamen capite non ad numeri veritatem citato, laudasse habuimus suprà, ubi Doctor augustissimus contra Manichæos pleniori textu in hunc modum scripsit: *Noster Panis & Calix, non quilibet, quasi propter Christum in Spicis & in sarmentis ligatum, sicut illi desipiunt, sed certâ consecratione mysticus fit nobis, non nascitur. Proindè quod non it a fit, quamvis sit panis & Calix, alimentum est refectionis, non Sacramentum Religionis, nisi quod benedicimus gratiasque agimus Domino in omni Ejus munere, non solum spirituali, verum etiam corporali.* L. 20. contra Faust. cap. 13. Multùm hic certè fallitur fallitque *Valentianus*, dum ex ipsâ Augustini disputatione putat adparere, voluisse Eum significare, *Eucharistiam* (verbo Institutionis) *consecratam alterius esse generis & naturæ Panem, quàm ille sit naturalis, qui è terrâ nascitur, atq; adeò nihil aliud secundum Substantiam, quàm Corpus Christi.* Cui enim non solùm controversiæ inter Augustinum & verè Catholicos ex unâ, ex alterâ autem parte Manichæos & eorum adsecias agitatæ status, de quo agetur capite sequenti, non est ignotus, sed & integri contextûs Ratio constat, sicut non ita difficulter potest constare; si ordo dictorum ab Augustino ritè attendatur; manifestum est, dum Sanctus

Pater panem consecratum dixit esse *mysticum*, non voluisse, ejus substantiam, quam naturâ accepit & habet, omninò vi Consecrationis aboleri, sed tantùm distingui â pane communi. Etsi ille etiam à verè fidelibus juxta Apostoli monitum cum certâ per preces ad DEum benedictione ac debitâ gratiarum actione pro refectione corporis & alimento sumatur & comedatur, hâc cum distinctione, quod hic panis sit & maneat Panis solùm naturalis, ad alimentum refectionis quotidianæ & sustentationis vitæ temporalis, à DEO tanquam providentissimo suorum alimentatore concessus; ille verò sit & simul etiam fiat *Panis mysticus*, in, cum & sub quo communicantibus, vi verborum Institutionis & Consecrationis, exhibeatur verè corpus Christi, sicut *in, cum & sub* Vino in calice per eandem Consecrationem benedicto iisdem exhibetur verè sanguis Christi, nulla cum reali vel substantiali panis & vini mutatione, aut omnimodâ in corpus & sanguinẽ Christi conversione. Etsi enim, ut adhuc semel ad testimonia Augustini à *Valentiano* pro Transsubstantiationis dogmate laudata redeamus, verbum *transire* hanc mutationem & omnimodam conversionem, adeòq; totalem prioris Substantiæ abolitionem videatur inferre, præter id tamen, quod ad Augustini sententiam in hac Quæstione vindicandam ex Lombardo pariter & Gratiano, eorundemq; marginalibus Notis & Glossis fuit monitum, insuper hic addendum venit, *Bulengerum* in suis contra Casauboni Exercitationes Anti-Baronianas Diatribis fateri, verbum hoc *transire* non esse in Textu, ubicunq; etiam extet, quamvis vi hypotheseos ad defendendum receptæ putet, *illud omninò addendum esse*. Quod idem *Valentianus* alibi pro Transsubstantiatione ex Augustini Epist. quâdam *de Urbicio*, rectius Urbico, cive Romano habet, quia omninò impertinens est, atque aliàs legitur discussum, ne hoc in nimiam excrescat molem caput, hâc quidem vice prætermittitur.

Diatr. III. ad cap. 58. Exerc. 16. p. 243. v. Salmas. de Transsubstant. pag. 325. seqq.

Quia Bellarminus & cæteri Scriptores, quos vidimus, aliquantò parciores fuerunt in *Transsubstantiationis* dogmate confirmando ex Augustini authoritate, lubet appendicis loco subjungere, quæ *Matthias Hauzerius*, Ord. Franciscí, in ultima parte *Collationis Theologicæ* ad eam pertinentia è divite penu adduxit, ut indè pateat, an ullâ ratione Doctor augustus huic errori præstiterit patrocinium. *Efficacissimam* autem putat huic Instituto sententiam, quæ Tractatu in Johannem post vigesimum septimo legitur verbis sequent. *Verba vitæ æternæ habes*, q. d. *Vitam enim æternam habes in ministratione corporis & sanguinis tui; & nos credimus, quia tu es Christus, Filius DEI vivi*, id est, *quia ipsa Vita æterna tu es, & non das in carne & sanguine tuo, nisi quod es.* Quamvis enim, subjungit Collator, totum illud caput Johannis sextum perperam restringeretur ad donationem corporis & sanguinis Christi nostræ Fidei & Saluti per solam Incarnationem & Mortem, hæc tamen Augustini negativa, Non das in carne & sanguine tuo, nisi quod es, ad omnem se extendit donationem, includens in hac Sacramentali ipsam carnem & sanguinem Christi personalem, & ab eâ excludens, quicquid non est de esse Christi, sicque totam Panis & Vini substantiam. Præter id huc etiam pertinere putat *Collator Augustinianus*, quæ Pater Sanctus alibi, nominatim in opere de *Genesi ad literam* scripsit de possibili conversione cujuslibet corporis in quodlibet; item quod in opere de *consensu Evangelistarum* habet de possibili transmutatione corporis Christi in quamvis formam; Imò, quod neq; ipsam corporis conversionem in Spiritum, nec omnium (videlicet corporum) conversionem in DEUM prorsùs censuerit impossibilem, citatis ex opere de *civitate DEI*, de *Trinitate* & aliundè locis. Quia verò etiam non nescivit, Augustinum sæpius repetere, *Panem & Vinum mysticè fieri, benedici, consecrari, sanctificari nobis in corpus Christi*, QUAE NON excludere, sed quasi supponere & includere videntur Panem & Vinum; quin & *comparare hoc Sacramentum non tantùm Incarnationi Christi ex Virgine Matre, sed hypostaticæ Unioni etiam Naturæ divinæ & humanæ*, &c. ut alia nunc brevitatis causâ prætermittantur, ideò sollicitus fuit *Collator* de sufficienti responso, ne hæc Transsubstantiationi videantur aliquod creare impedimentum. Et quidem ad prius respondit variè, dicens *primò*, per illam Benedictionem, Sanctificationem & Consecrationem satis significari verificationem formæ consecratoriæ; *Secundò*, Panem & Vinum non posse in seipsis benedici, sanctificari & consecrari, cùm sint incapacia veræ ac internæ sanctificationis. Ergò, inquit, per hæc significatur sacrificari, seu realiter ac totaliter consumi in supremum DEI cultum, convertiq; in id, quod est verè ac intrinsecè sanctum. *Tertiò*, illud mysticum nihil significare improprium, sed sacrum & religiosum Secretum, & vim plusquam naturalem hujus Consecrationis. *Quartò*, per illud, fieri, non significari, Panem & Vinum permanenter, sed transeunter fieri corpus Christi, seu in illud converti, cùm sit impossibile, fieri corpus Christi, & manere simul panem & vinum. *Quintò*, per, fieri nobis, inquit,

p. 350. & seqq.

l. 7. c. 12. l. 3. c. 25.

inquit, non negatur, sed exprimitur verè fieri, quamvis ad Salutem nostram; quodque id sit fieri realiter, patet ex sequenti comparatione & negatione nascendi, & ex necessaria ad hoc operatione Dei invisibili. *Sextò* tandem, Exemplaria quædam habere tantum, mysticus fit nobis, non nascitur; sed alibi sæpius exprimi, quid nobis fiat, videlicet corpus Christi, idq; ibidem supponi sub illo mystico fieri, non nasci, præ alio fieri seu benedici exteriori ciborum corporalium. *Ad posterius dicit*, expresse comparari Eucharistiam quoad solam visibilem Panis & vini speciem, & invisibilem Christi carnem & sanguinem cum humana Ejusdem natura visibili & Divina invisibili in Incarnatione; item comparari consecrationem Corporis Christi in Eucharistia cum generatione Corporis Christi in utero Virginis, quoad identitatem corporis & similitudinem Virtutis supernaturalis, *non autem quoad materiam ex quâ, ejusq; permanentiam.* Alia iterùm prætermitto, utpote minus ponderosa, & quæ subtilitatibus tantum innituntur Scholasticis, nisi quis malit vocare obscuritates otiosas, ad ingeniorum acumen obtundendum inventas. Et dum ipse *Collator* efficacissimam vocat Augustini Sententiam, quam ex opere in Johannem adduxit, vel unico ostendendum est verbulo, inefficacissimam esse eam ad confirmandum Dogma Transsubstantiationis. Nervum demonstrationis ponit in iis Augustini verbis, cùm scripsit, quasi mentem Discipulorum exprimens ad Christum: *Non das in Carne & Sanguine tuo, nisi quod es.* Verùm si Pater augustissimus hoc voluisset indicare, quod Lectoribus incautis persuasum vult *Collator Scotisticus*, non scribere debuisset, *in Carne & Sanguine tuo*, sed potius, *in Sacramento tuo.* Cæterum, quia non ita scripsit, vis & injuria Doctori Sancto infertur, dum ea Eidem adscribitur Sententia, cujus nullum in omnibus Scriptis, quæ plura sunt, ne minimum invenitur vestigium, & quam salvis hypothesibus, quas alibi copiosè proponit ac defendit, docere potuit nullatenus. Quæ verò contra easdem excipit idem Scoti discipulus, cum Præceptore in tenebris micans, præsertim quoad veram rationem Sacrificii, quam Pani & Vino adscribit, talia sunt, quæ non nisi opinionem absurdam novis absurditatibus adhuc faciunt absurdiorem, ita ut tandem Dogma hoc dici possit & debeat omnium meritò absurdissimum.

LIBRI QUARTI
CAPVT VIGESIMVM PRIMVM, & seqq.
De
Communione sub unâ specie vel utrâque.

POtuissent & fortè debuissent illæ etiam Quæstiones in examen venire, quas Bellarminus ab initio quarti hujus libri suo ordine satis prolixè tractat, nimirum *de repositione & adservatione Panis* consecrati, non item Vini, tanquam Sacramenti, ut vocat, *permanentis*; de materiâ etiam Sacramenti, *sitne Panis necessariò azymus*, an verò fermentatus, quo Græcorum apud orientales Ecclesiam uti certum est; *sitne porrò Vinum aquâ in Sacro Calice ad exemplum Christi necessariò temperandum*, ut de forma Consecrationis & ipso Sacramenti effectu nihil planè dicam. Sed quia de repositione & adservatione Panis consecrati Bellarminus nullum ex Augustino ostendere potuit testimonium, eo met ipso se Ejus authoritate destitui fassus; materiales autem Controversiæ *de Pane azymo vel fermentato*, Vino itidem aqua miscendo tanti non sint momenti, ut Schisma aliquod inter Ecclesias in Fidei fundamento consentientes facere possent, nisi nimius ex parte Romanensium rigor omnes alios in hâc re adiaphorâ à se dissentientes diro anathemate percuteret, Evangelicis liberè in Sacramenti Eucharistiæ usu Pane azymo utentibus, mixtionem Aquæ cum Vino facilè etiam admissuris, si jugum illud tyrannicum, quo irreconciliabilis Roma quosvis fideles sibi conatur subjicere, abesset; hinc opus non esse visum fuit, his & aliis Quæstionibus, quæ sine controversiâ possent expediri, aliquam impendere moram, tempore ad necessaria & magis controversa destinando, eam in specie Quæstionem controversam, quæ in hoc negotio utramque solet occupare paginam, Laicis fidelibus, quin & Sacerdotibus non consecrantibus ab utrâq; Sacramenti specie, per Definitionem non verè Ecclesiasticam, contra Sapientissimi pariter & Benevolentissimi Testatoris institutum exclusis, & ad unam modò Panis consecrati speciem admissis. Ne verò & hic nimis diffundamur, circa Augustini authoritatem ex Instituto tantùm occupabimur, cæteris omnibus hâc vice prætermissis, quæ partim præter alia Nostratium Scripta in *Vindiciis Evangelico-Thomisticis* à parte adversaria per

DEI gratiam adhuc inconcussis legi possunt. Tribus autem locis præsertim Bellarminus in propria Controversiæ hujus tractatione de Augustini authoritate agit, quæ suâ serie & ordine excutiemus. Et *primò* quidem, ubi demonstrare intendit, *totum esse Christum sub utrag. specie*, sequentia post alios Patres ex Augustino commendans: *Augustinus docuit, Infantes, cùm Sacram vident hostiam, nescire, quomodo facta sit illa species, rectè tamen credere, Dominum in illa specie oculis adparuisse mortalium.* Et de Catechumenis scribit, *eos credere quidem in ✝Esum, sed ✝Esum non se ipsis credere.* Et iterum alibi, *Christum, quando dicebat*, Hoc est corpus meum, *seipsum portasse manibus suis.* Prætermissa hic ipsa hypothesεως adplicatione, an nimirum ex eo, *totum esse Christum sub utrag. specie*, vel potius juxta Bellarmini sententiam, sub alterutrâ separatim, legitimè & per justam deduci possit consequentiam, sufficere Communionem sub unâ tantum specie, nec utramque necessariam esse; illud videndum est, an Augustini authoritas in laudatis à Bellarmino testimoniis jactatam hanc à Romanensibus *concomitantiam*, tanquam præcipuum Communionis sub unâ fulcrum, confirmet, ac exindè pro Communione sub unâ argumentari doceat. Ostendet id speciale eorum Examen, undè manifestum erit, turpiter se Bellarminum dedisse, itàque hanc Quæstionem ex Augustino tractasse, ac si cum fungis ipsi res fuisset, cumque hominibus omni ratione carentibus. Et *primum* quidem testimonium ipse Bellarminus libro antecedente secundo, ubi præsentiæ corporis & sanguinis Christi in Eucharistiæ Sacramento veritatem contra Doctores Reformatos eandem negantes ex Augustino demonstravit, prolixiori Textu ita exhibet: *Illas nubes vel ignes, quomodo fecerint vel adsumserint Angeli ad significandum, quod adnuntiabant, etiamsi Dominus vel Sp. Sanctus illis formis ostendebatur, quis novit hominum? Sicut Infantes non noverunt, quod in Altari ponitur, & peractâ pietatis celebratione consumitur, undè vel quomodo conficiatur, undè in usum Religionis adsumatur. Et si nusquam discant experimento vel suo, vel aliorum, & nunquam videant illam speciem rerum, nisi inter celebrationem Sacramentorum, cùm obfertur & datur, dicaturq. illis authoritate gravissimâ, cujus sit corpus & sanguis, nihil aliud credent, nisi omninò in illa specie Dominum oculis adparuisse mortalium, & de latere tali percusso liquorem illum omninò fluxisse.* Bellarminus hanc addit glossam: *Disputat Augustinus de formis, in quibus Angeli vel Deus adparuerunt in Testamento Veteri; ac ut ostendat, nos ignorare, quomodo illæ formæ sint factæ, & tamen certò credere, in illis Deum vel Angelos adparuisse, adsumit similitudinem ab Eucharistiâ. Ignorant enim infantes, cùm Sacris intersunt, quomodo illa fiat forma, in quâ consecratur Eucharistia, & tamen certò credunt, in illâ formâ Dominum adparuisse, & in Calice Sanguinem Domini esse, quia dicitur eis, Christum in Evangelio hoc docuisse, cum ait*, Hoc est corpus meum, hic est sanguis meus. *Habemus autem hinc argumentum firmissimum contra adversarios. Nam infantes, quibus authoritate gravissimâ dicitur, in illâ visibili formâ esse corpus Christi*, & liquorem, qui est in calice, esse sanguinem, *non credunt, illa esse corpus & sanguinem significativè, sed verè & propriè; non enim valent ipsi per se istos intelligere Tropos, sed credunt similiter id, quod eis dicitur. Neq. dicendum est, hos Infantes falsam habere Fidem, tum quia Augustinus dicit, illos id credere, quia dicitur eis* authoritate gravissimâ; *tum etiam, quia si falsa esset Fides ista, instrui, debuissent & admoneri, præsertim cùm ipsi etiam eo tempore ad Communionem admitterentur. Præterea comparat Augustinus Eucharistiam cum formis, in quibus Angeli adparebant. Sed in illis formis Angeli verè & propriè erant præsentes. Igitur etiam in forma Panis verè & propriè præsens adest corpus Christi, alioquin nihil valebit comparatio, & tota Augustini disputatio corruet.* Si infantilem hanc Bellarmini partim pro verâ corporis & sanguinis Christi in Sacr. Eucharistiæ præsentiâ, partim pro concomitantia, & hinc alterutrius speciei sufficientia ex Augustini testimonio illationem, imò sibimet contrariam & se evertentem quis dicat, nullam omninò Cardinali faciet injuriâ. Certè nisi clariora in August. Scriptis pro vera corporis & sanguinis Dominici in hoc Sacramento præsentiâ legerentur testimonia, nescio, an hoc infantili testimonio contra pertinacem adversarium aliquid singulare posset obtineri. Ita nimirùm cum eo videtur esse comparatum, ut consultius fuisset, Bellarminum majori argumentorum & testimoniorum delectu usum, non tam numero, quàm pondere eorum in re tam gravi militasse, neque causam in se bonam & optimam ita turpiter prostituisse. Ostendit enim satis clarè verborum textus integer, Augustinum infantile de adparitione Domini in specie Sacramentali judicium non adprobasse, sed potius correctioni exposuisse & Examini, scribentem: *Si nusquam discant, &c. Et, si (non) dicatur illis authoritate gravissima, cujus sit Corpus & Sanguis, nihil aliud credent, &c.* Indicat causam

Lib. III. de Trin. cap. 10.

Tract. II. in Joh. in Ps. 33.

cap. 24.

NB.

NB.

causam erroris, undè illud judicium infantile minus rectum proveniat, defectum videlicet experimenti vel proprii vel aliorum, undè nimirum Panis & vinum ad Eucharistiæ celebrationem desumatur; ut & præviam informationem *authoritate* Doctoris vel Informatoris *gravissimâ* nixam, undè necessum est doceri, cujus sit illud corpus & Sanguis, *qui in, cum, & sub* Speciebus non nudis & omni substantiâ vacuis, sed realibus & verè substantialibus vi Verborum Institutionis ex ore Testatoris veracissimi pariter, Sapientissimi & Omnipotentis præsens sit & à Communicantibus accipiatur. Non autem ita debet intelligi, quasi infantes non sufficienter tempore Augustini fuerint instructi, qui tum ad Communionem admittebantur, quod Bellarminus tanquam non minimi momenti rem hic urget; sed loquitur Sanctus Pater, de quo ex integro iterum Textu constat, conditionaliter. Si, inquit, *nusquam discant, si non dicatur illis*, tunc, ex defectu, nimirùm Informationis debitæ, *nihil aliud credent, nisi* &c. Non igitur verè & ex *authoritate gravissimâ* id crederent & dicerent infantes, sed ex defectu *authoritatis gravissimæ* falsò id crederent, melius omninò ex Verbo Institutionis docendi & informandi. Neque, quod insuper observandum, Augustinus in hoc testimonio comparationem instituit inter Eucharistiam, & Adparitiones vel Visiones Angelico-Divinas Testamenti Veteris in se, quamvis si instituisset, *Concomitantiæ* Sacramentali parùm inserviret; sed comparatio facta est quoad modum adprehensionis & imperfectissimæ cognitionis, quam ibi in genere omnibus, hic autem in specie Infantibus experimento & *authoritate* alicujus Doctoris *gravissimâ* destitutis, etsi cum certâ conditione quâdam adscripsit, quâ cadente & ablatâ aliter omninò de toto hoc negotio judicandum esse non ita obscurè significavit Doctor augustissimus, & auditorum suorum Informator fidelissimus. Accedit, si glossam Bellarmini testimonio huic, ubi pro reali Corporis & Sanguinis Dominici præsentiâ contra Reformatos ex eo militavit, adscriptam, hic jam adplicemus, ubi de *Concomitantiâ* ex eodem egit Bellarminus, contradictionem fore manifestam. Nam non stabit concomitantia, & exindè fluens Communio sub una specie, si infantes, juxta Bellarmini Sententiam *authoritate gravissimâ* ex Verbo Institutionis docti, certò credunt, *in Calice Sanguinem Domini esse*, quod Bellarminus iteratò in hujus testimonii explicatione notanter fassus est, pro reali præsentiâ Corporis & Sanguinis pugnans, oblitus autem vel studiosè immemor ejus, ubi ad *Concomitantiæ* demonstrationem eo usus est testimonio, quod ad cæteras Bellarmini contradictiones pertinet, hactenus non singulari numero ostensas, in sequentibus etiam plurali augendas. Ad *secundum* nunc adcedimus, quod pro *Concomitantiâ* ex Augustino commendavit Bellarminus testimonium, quod Idem libro eodem secundo pro verâ Corporis & Sanguinis Christi præsentiâ contra Reformatos agens ita pleniori Textu exscripsit: *Augustinus in Iohannem, explicans illud*, Jesus autem non se credebat eis, *dicit, istud convenire Catechumenis, quibus se non præbebat Dominus per Eucharistiam. Si dixerimus*, inquit, *Catechumeno, credis in Christum? respondet, credo, & signat se cruce Christi, portat in fronte, & non erubescit de Cruce Domini sui. Ecce, credit in nomine Ejus! Interrogemus eum, manducas carnem filii hominis, & bibis Sanguinem Filii hominis? Nescit, quid dicimus, quia Iesus non se credidit ei.* Et infra: *Quò perducit credentes & baptizatos? ad Manna. Ecce dico Manna? Notum est, quid acceperint Iudæi, populus Israel. Notum est, quid illis pluisset Dominus de Cœlo; Et nesciunt Catechumeni, quid accipiant Christiani. Erubescant ergò, quia nesciunt; transeant per Mare rubrum, manducent Manna, ut quomodo crediderunt in nomine Iesu, sic seipsis credat Iesus.* Addit Bellarminus, eundem alibi Augustinum dicere, *Catechumenis dari solitum Panem sanctum, qui non esset quidem Christi corpus, sanctus tamen esset & sanctificaret, & Sacramentum dici etiam posset, ac proindè rei sacræ Signum.* Lib. II. de peccat. merit. cap. 26. Tripliciter indè argumentatur Bellarminus: *Primo*, si non esset in Eucharistiâ verum Christi corpus, & si non manducaretur Christi caro, nisi in Symbolo & per Fidem, non esset verum, Christum se non credere Catechumenis; nam & illi habent Christum in Signo, & manducant Eum fide, nam & signant se Crucis Signo, & credunt in Christum. *Secundò*, nulla esset ratio, cur eis non daretur Eucharistia, cùm dentur eis alia Signa clariora, ut sunt Verba DEI scripta. *Tertiò*, potuisset ille etiam panis sanctus dici corpus Domini, ut patet, cùm tamen id Augustinus constanter neget. *Non iterùm* solliciti hic sumus, an Bellarminus ritè ex hoc Augustini testimonio contra Reformatos pro reali Corporis & Sanguinis Christi præsentiâ argumentetur; sed quia eodem pro Concomitantiâ Sacramentali, & hinc pro Communione sub unâ specie etiam utitur, an legitimè illud fiat & per bonam omni ex parte consequentiam? Et certè, ut de Glossâ Bellarmini non dicam,

ipsa

ipsa Augustini verba Concomitantiam & deductam ex ea Communionem sub una specie adeò non evincunt, ut contrarium potius, videlicet Communionem sub utraque seculo Augustini usitatam satis evidenter exhibere videantur ea in Quæstione, quam Catechumeno proponi posse Sanctus Doctor ostendit, verbis sequentibus: *Interrogemus eum, manducas carnem filii hominis, & bibis Sanguinem Filii hominis?* Quæ interrogatio de manducatione & bibitione Sacramentali locum habere non potuisset, si Augustino quidquam ex doctrina & consuetudine Ecclesiastica suo tempore & loco recepta de Concomitantia & communione sub una specie innotuisset. Sed & neque *tertium*, ad quod Bellarminus provocat, testimonium ferit scopum, quod itidem libro antecedente secundo prolixius & plenius ita exhibetur: *Augustinus explicans titulum Psalmi, in quo scriptum erat*: Et ferebatur in manibus suis, *inquit*: Hoc *quomodo fieri posset in homine, quis intelligat? quis enim portatur manibus suis? Manibus aliorum portari potest homo, manibus suis nemo portatur. Quomodo intelligatur in ipso David secundum literam non invenimus, in Christo autem invenimus. Ferebatur enim Christus in manibus suis, quando commendans ipsum corpus suum ait*, Hoc est corpus meum; *ferebat enim illud corpus in manibus suis.* Nolo prolixas Bellarmini pro hoc Augustini testimonio ad demonstrandam realem Corporis & Sanguinis Dominici præsentiam contra Calvinum & *Petrum Martyrem* vindicias, utpotè ad Institutum præsens impertinentes cum non plane nullo Lectoris fastidio huc exscribere, id tantum scire pervelim, quid in mentem venerit Bellarmino, ut hoc testimonio uti pro Concomitantia & Communione sub una specie fuerit ausus, cùm si huc & illuc vertatur, nihil omninò contineat, quod aliqua saltem ratione videatur huc quadrare. Quid enim, an, quia Augustinus verba Regii Psaltis ad Christum anti Typum adcommodaturus scripsit, *Portasse Christum manibus suis semetipsum*, quando commendans ipsum corpus suum dixit, *Hoc est Corpus meum*, alteram partem Verborum Institutionis, *Hic est Sanguis meus*, voluit excludam? Annon enim iisdem manibus suis, quibus Panem consecratum suis præbuit Discipulis, Calicem quoque Christus adprehendit; an verò pedibus id factum credidit Bellarminus? Eorsùm videlicet pervenire tandem est necessum, ubi quodlibet ex quolibet exsculpere præter omnem sensum laboratur, absurditatibus absurdissimis exindè provenientibus.

Sequitur nunc locus alter vel *secundus*, quo de Augustini authoritate circa Communionem sub una specie vel utraque agitur, eo nimirùm capite, quo Bellarminus dare voluit probatum, *Non pugnare cum Divinis literis, seu cum Christi mandato, Communionem sub una specie*, post figuras Sacramentales provocans ad Convivium Christi Emaunticum Festo resurrectionis glorioſæ cum duobus Discipulis celebratum, de quo sicut agnoscit, *Iansenium Gandavensem* in Expositione hujus loci docere, *panem à Domino benedictum non quidem fuisse Eucharistiam, sed tamen fuisse figuram Eucharistiæ, & voluisse Dominum hoc demonstrare exemplo fructum & utilitatem Eucharistiæ in* unâ specie, *quare ex hoc loco non minus probari usum unius speciei, quàm ex multiplicatione panum; idque Eum probare tum* ex Augustino, *Bedâ & Theophylacto, qui hoc tantùm docere videri possint, fuisse in illâ panis benedictione mysterium quoddam, quo significaretur Eucharistiæ utilitas, quomodo etiam Innocentius Pontifex hujus nominis tertius loquatur; tùm ex ipso etiam Textu, ex quo pateat, fuisse hic aliquod Mysterium, partim ex benedictione, quam non legatur Dominus adhibuisse, nisi ad aliquid mirabile operandum; partim ex effectu, quia per illum Panem Discipuli sint illuminati*; ita Chemnitii instantiam quoque producit, probantis ex Augustino, *Christum duobus Discipulis utramque speciem dedisse*, hunc in modum scribente: *Verè, qui non sibi judicium manducat & bibit, in fractione panis Christum agnoscit.* At, respondet Bellarminus, *argumentum est minus longè petitum. Non enim dicit Augustinus, Christum dedisse speciem utramque, sed dicit, in fractione panis Christum agnosci, ut Discipulis contigit in Emaus. Sed addit, hunc fructum eos tantum consequi qui non indignè sumunt, & allegat Pauli verba, seu adludit ad illa, ubi legimus*, eos, qui indignè manducant & bibunt, judicium sibi manducare & bibere; *quod verissimum est, sive una Species, sive utraque sumatur indignè.* In antecedentibus monuit etiam Bellarminus, *Iohannem à Lovanio*, aliàs Hesselium, & alios contendere, *Sacramentum Eucharistiæ à Christo datum fuisse duobus Discipulis, & in hanc Sententiam adducere* Augustinum, *Authorem operis imperfecti in Matthæum, Bedam, Theophylactum, Hieronymum & Hesychium.* Generatim circa hujus Convivii à Christo cum duobus Discipulis in Emaus Festo Paschatos celebrati considerationem id observandum, ex ipsa Bellarmini confessione non unam eandemque, sed diversas, & quidem contrarias, ac sibimet oppositas esse & antiquorum Ecclesiæ Doctorum

Tract. II. in Epist. Joh.

1. Cor. 11.

lib. III. de Conf. Evang. c. 25.

rum, & recentiorum Scripturæ Interpretum, quos ipse *Catholicos* dicit, Sententias, utrisque tamen ad Augustini authoritatem intrepidè provocantibus, quod mirum & non sine causâ suspectum videri potest, de quo in speciali Examine Authorum ad Augustini authoritatem in hujus Convivii explicatione provocantium nunc agetur. De *Iansenii* quidem Sententiâ in Vindiciis *Anti-Ottonianis* dictum est, productis simul *Morandi*, *Cotoni*, *Erbermanni* de eodem opinionibus, hic non iteratò recensendis; utpote per Adversarii silentium adhuc in integro constitutis. An vero *Chemnitii* de Augustino verba Bellarminus sincerè adduxerit, integer eorum textus testabitur, quæ sic habent: *Apud Augustinum locus extat manifestissimus, ubi in illâ ipsâ Allegoriâ de fractione panis in Emaus disertè & expressis verbis meminit manducationis & bibitionis in Eucharistiâ, de universâ loquens Ecclesiâ. Hæc enim sunt Ejus verba*: Discipuli Eum non agnoverunt, nisi in fractione Panis. Et verè, qui non sibi judicium manducat & bibit, in fractione panis Christum agnoscit. *Sententia hæc manifestissimè ostendit, Augustini, sicut & reliquorum Patrum de illa panis fractione allegoriam nihil patrocinari mutilationi Cœnæ Dominicæ, quæ à Pontificiis in Ecclesiam est invecta.* Vide jam, Lector Veritatis amantissime, quam vim verbis *Chemnitii* intulerit Bellarminus, dum ex Augustino Eum probasse scripsit, *Christum Discipulis utramque speciem dedisse*; qui tamen nihil aliud testimonio Ejus dare voluit probatum, quàm ex allegoricâ Augustini & Aliorum Patrum adplicatione, quâ in explicatione hujus Convivii circa fractionem Panis sunt usi, nullo planè modo sequi Communionem sub unâ specie, quam non pauci Doctores Papæi exindè exprimere laborant. Exhibuit hic sanè Bellarminus, sicut antehàc non semel, insigne prostituti candoris documentum, adversarii, quem oppugnandum sibi sumsit, verba pervertens, ut eò facilius & promtius possit respondere; quod an ingenui sit Disputatoris, qui Veritatis studium pro fine & scopo habere sibi debet præfixum, in re præsertim tanti momenti, & quæ ipsâ voce Sacram mentem à Tractatore requirit, videant, quorum quam-maximè debet interesse, ne quid in fraudem fiat eorum, quos fideliter in rebus Fidei informare par est atque justum. *Iohannis Hesselii* quod attinet Sententiam, quâ Sacramentale hoc cum aliis Authoribus fuisse Convivium statuit, Augustini consentientem laudans authoritatem, de ea iterùm non melius, quàm ex ipsis Augustini verbis judicari potest, quæ loco per Bellarminum citato ita leguntur: *Oculis discipulorum acciderat aliquid, quod ita manere permissum est usque ad fractione Panis, certi Mysterii causa, ut eis in illo alia ostenderetur effigies, & sic Eum non nisi in fractione Panis agnoscerent, sicut Luca narrante monstratur. Pro merito quippè mentis eorum adhuc ignorantis, quod oportebat Christum mori & resurgere, simile aliquid eorum oculi sunt passi, non veritate fallente, sed ipsis Veritatem percipere non valentibus, & aliud quàm res est opinantibus; ne quisquam se Christum agnovisse arbitretur, si ejus corporis particeps non est, id est, Ecclesiæ, cujus unitatem in* SACRAMENTO PANIS *Apostolus commendat, dicens, unus panis, unum corpus multi sumus, ut cum eis benedictum Panem porrigeret, aperirentur oculi eorum & agnoscerent Eũ. Aperirentur utiq; ad Ejus cognitionẽ remoto scilicet impedimento, quo tenebantur, ne Eum agnoscerent. Neq; enim clausis amburabant oculis, sed inerat aliquid, quo non sinerentur agnoscere, quod videbant, quod scilicet caligo & aliquis humor solet efficere.* Et post aliqua: *Non autem incongruenter accipimus hoc impedimentum in oculis eorum à Sathana factum fuisse, ne agnosceretur Iesus: sed tamen à Christo facta est permissio usque ad* SACRAMENTUM PANIS, *ut unitate corporis Ejus participatâ removeri intelligatur impedimentum inimici, ut Christus possit agnosci.* Addantur his alia Augustini loca, in quibus rationem hujus Convivii Emauntici explicavit, inter quæ eminet, quando Augustinus *Paulino* eâ de re sollicito suam explicavit mentem. *Paulinus* enim præter alia id etiam Augustino enucleandum proposuit: *Illud Sacramenti esse credo, quod, qui in viâ ambulantibus non fuerat agnitus, in fractione panis est revelatus. Idipsum tuo tamen sensu tenere volo, non meo.* Et respondit Augustinus planè ad mentem Paulini: *Quod ab illis duobus in fractione Panis est agnitus, Sacramentum esse, quo nos in suam congregat agnitionem, nullus debet ambigere.* In Sermonibus de Tempore etiam non semel hujus Convivii facta est mentio, ut quando secundâ Paschali Feriâ in Explicatione Lectionis ordinariæ sequentem in modum suos auditores adlocutus est: *Eja Fratres, ubi voluit Dominus agnosci? In fractione Panis. Securi sumus, panem frangimus, & Dominum agnoscimus. Noluit agnosci, nisi ibi, propter nos, qui Eum non visuri eramus in Carne, & tamen manducaturi Ejus carnem. Quisquis ergò fidelis es, quisquis non inaniter Christianus vocaris, quisquis Ecclesiã non sine causa ingrederis, quisquis Verbum Dei cum timore & Spe audis, consoletur te fractio panis.* Et aliàs

Part. II. pag. 205. & seqq.

1. Cor. 10.

Epist. 58. & seqq.

Serm. 140.

eodem

Serm. 146. eodem Festo : *Cùm Panem frangeret benedictum, aperti sunt eorum oculi. Aperti sunt ad cognitionem, non ad visionem. Dominus itaque noster Iesus Christus ante Panis fractionem ignotus loquitur cum hominibus. In panis fractione cognoscitur, quia ibi percipitur, ubi Vita æterna percipitur. Hospitio suscipitur, qui domum parat in Cælo.* Ex omnibus his Augustini testimoniis, cuicunque etiam torculari subjiciantur, nihil tamen exprimetur, quod inserviat ad demonstrandum, Christum in illo Convivio cum duobus Discipulis, & quidem sub unâ tantum specie, Eucharistiæ Sacramentum celebrasse. Etsi enim agnoscat Sanctus Pater & Doctor augustissimus aliquod in illâ actione convivali *Sacramentum*, imò etiam expressè illud *Sacramentum panis* vocet, suprà tamen ex *Chemnitio* pluribus ostensum fuit exemplis, vocabulum Sacramenti sicut ab aliis Patribus, ita ab Augustino etiam sæpissimè in Sensu latiori & laxiori pro quovis *Mysterio* & re quâvis aliquod Mysterium continente usurpari, nec ea omnia pro Sacramentis propriè dictis, & in Sensu, qui hodiè obtinet, haberi posse, quæ Augustinus & alii Doctores Ecclesiæ sub hoc commendârunt Elogio, nisi Sacramentorum sine numero numerum Ecclesiæ velimus obtrudere, entia præter necessitatem multiplicantes. Imò si Augustini mentem in laudatis super hoc Convivio testimoniis ex Textu non ita obscuro ritè attendamus, ad alia omninò Eum, quàm ad Sacramentum Eucharistiæ videbimus respexisse, allegoricas nimirum Explicationes Lectoribus & auditoribus suis exhibentem. *In primo* certè testimonio apertè monstrat, se per corpus non intelligere corpus Eucharisticum, sed Ecclesiæ mysticum, ad Paulum, hujus Mysterii Revelatorem provocans, unitatemque hujus participati corporis ostendens. *In tertio* agit de fractione Panis, tanquam de re ad Misericordiæ opera pertinente, quam hoc exemplo cunctis verè fidelibus commendavit. Et si *secundum* quoque & *quartum* ex integro corpore Textûs intueamur accuratius, omnia inde alia, quàm opere tanto jactatam à Papæis Doctoribus concomitantiam, & derivatam ex eâ Communionem sub unâ tantum specie observabimus posse deduci. Nunc ante, quàm ex *secundo* hoc loco demonstrationis Bellarminianæ ex Augustino discedamus, incidenter & paucissimis illud placet notare, Bellarminum in adductione argumentorum pro Communione sub una uti quoque ausum *testimonio veteris Ecclesiæ*, triplici modo testantis, *Communionem sub unâ licitam esse*, quorum primus sit, *quod nunquam reprehenderit eam aut damnaverit, cùm tamen non ignoraverit, eam apud aliquos saltim in usu fuisse.* Nam, ita pergit Bellarminus, *Manichæi nunquam communicabant, nisi sub specie Panis; arbitrabantur enim, Vinum esse fel Draconis, & præterea negabant veram Christi mortem, & ideò nec vinum, nec sub specie vini Sanguinem Domini sumebant unquam. Et tamen nec Epiphanius*, nec Augustinus, *nec alii, qui de erroribus Manichæorum scripserunt, illum notarunt errorem, quod contra Domini mandatum sub unâ tantum specie sumerent Eucharistiam.* Ad hæc primùm Bellarmino & cæteris Doctoribus Papæis pro Communione sub una, tanquam pro Aris & focis maximo conatu pugnantibus ex debito gratulamur, de tam insignibus Doctrinæ hujus Patriarchis & Antecessoribus, quos utpotè antiquos valdè illis Evangelici nullo plane modo invident, ab antiquitate hâc hæretica remotissimi. *Deindè*, quamvis nec Epiphanius, nec Augustinus hunc errorem Manichæorum reprehendissent aut refutassent, constat tamen, alios Ecclesiæ Doctores eo labore non supersedisse, nominatim duos Pontifices Romanos, Leonem primum, & Gelasium, utrumque ab Augustini tempore non ita procul remotum; illum in Sermone, ad quem ipse Bellarminus hic Lectorem misit; hunc verò in Canone, quem *Gratianus* juri Canonico inseruit, & quem ipse iterùm Bellarminus de Manichæis voluit intellectum. Sed, quod ulterius venit observandum, non parvam in Augustini Scriptis ostendit Bellarminus ignorantiam, dum nihil Eum contra hunc errorem Manichæorum scripsisse satis audacter pronuntiavit. Scripsit Doctor augustissimus contra *Faustum* præprimis *Manichæum* libros numero tres & triginta, eosque inter aliquos satis prolixos, ut de pluribus aliis contra hanc Sectam scriptis nunc non dicam : quos si Bellarminus debita evolvisset diligentia & studio, quale in tanto Polemarchâ requirebatur, qui in singulis Fidei Controversiis ante omnes Augustinum ad suas trahere partes fuit conatus, fortè invenisset, quod ad præsens pertinet Institutum. Quia autem Ipse minus fuit oculatus, Lector veritatis studiosus erit juvandus, ne à Bellarmini inscitia seduci se patiatur. Eminet ante alios locus sequens, cujus aliquam partem in antecedente Controversia jam habuimus, Sancto Patre sequentè in modũ contra Adversarium scribente:

L. 20 contra Faust. cap. 13. „ *Cur arbitretur Faustus*, parem nobis esse religionem circa Panem & Calicem, nescio; „ cum Manichæis vinum gustare, non Religio sit, sed Sacrilegium. In uva enim agnoscunt Deum

„ Deum suum, in cupâ nolunt; quasi aliquid eos calcatus & inclusus offenderit. Noster „ autem Panis & Calix, non quilibet, quasi propter Christum in spicis & in sarmentis li- „ gatum, sicut illi desipiunt, sed certâ consecratione mysticus fit nobis, non nascitur. „ Proindè quod non ita fit, quamvis sit Panis & Calix, alimentum est refectionis, non „ Sacramentum Religionis; nisi quod benedicimus gratiasque agimus Domino in omni „ Ejus munere, non solùm spirituali, verùm etiam corporali. Vobis autem per fabu- „ lam vestram in omnibus escis Christus adponitur ligatus, ligandus adhuc vestris visce- „ ribus, solvendus que ructatibus. Nam & cùm manducatis, Dei vestri defectione vos „ reficitis; & cùm digeritis, illius refectione deficitis. Cùm enim vos reddit plenos, „ resumtio vestra ipsum premit; quod quidem misericordiæ deputaretur, quando ali- „ quid pro vobis patitur in vobis, nisi vos rursùs relinqueret inanes, ut à vobis liberatus „ effugeret. Quo ergò modo comparas Panem & Calicem nostrum, & parem dicis „ Religionem, errorem longè à veritate discretum; pejus desipiens, quàm non-nulli, „ qui nos propter Panem & calicem existimant colere Cererem ac Liberum? Quod id- „ eò commemorandum putavi, ut advertatis, ex quâ vanitate veniat etiam illud ve- „ strum, quod propter Sabbathum Patres nostros Saturno dicatos fuisse putatis. Sicut „ enim à Cerere & Libero, Paganorum Diis, longè absumus, quamvis Sacramentum „ Panis & Calicis, quod ita laudâstis, ut in eo pares nobis esse volueritis, nostro am- „ plectamur ritu; Ita Patres nostri longè fuerunt à Saturniacis catenis, quamvis pro „ tempore Prophetiæ *vacationem Sabbathi observaverint.* Hæc omnia uno Textu & serie nunquam interruptâ Augustinus, quæ si quis nihil contra dictum errorem Manichæorum habere cum Bellarmino dicat, nihil omninò videre, ac in calcaneo oculos gerere dicendus est.

Ad *tertium* nunc locum accedimus, quo Bellarminus pro Communione sub unâ ex Augustini agit authoritate, ea Sancti Doctoris testimonia vindicare conatus, quæ ex Evangelicorum parte pro Communione sub utrâque solent commendari, & quidem numero tria, quibus singulis suum addit responsum Bellarminus. *Primò*, inquit, illud citant, *Ad bibendum Sanguinem omnes exhortantur, qui volunt habere vitam.* Respon- in Levit. Quæst. 57. det, Augustinus eodem modo loquitur de potu Sanguinis, quo suprà diximus loqvu- tum esse Cyprianum, seu quisquis Author fuit, *in Sermone de Cœnâ Domini.* Non enim vim facit in modo bibendi, sed in ipsâ Sanguinis sumtione, qui idem efficit, sive sumatur per modum cibi, sive per modum potûs. Nam idem Augustinus ibidem, sicut anteà Cyprianus, opponit ut contraria, non comedere Sanguinem, & bibere Sanguinem, scribens: *A cujus Sacrificii sanguine in alimentum sumendo non solum nemo prohibetur, sed ad bibendum exhortantur omnes. Secundò* proferunt ex eodem Augustino illa in Sermone de Sacramentis apud Bedam verba: *Simul hoc sumimus, simul bibimus, quia si-* ad 1. Cor. 10. *mul vivimus.* Respondet Bellarminus, Nulla concluditur hinc necessitas sumendi Sanguinis Dominici per modum potûs. Nam etiamsi Sanguis Domini sub specie Vini sit Signum & causa vitæ spiritualis, & ideò dicatur rectè, *Simul bibimus, quia simul vivimus*; tamen non sequitur negativa, Non simul bibimus, ergò non simul vivimus, nam possumus simul vivere comedendo, est enim cibus Eucharistiæ eodem modo signum & causa vitæ, quo est Calix. *Tertiò* proferunt illud: *Nec caro sine Sanguine, nec* lib. II. *sine carne Sanguis jure communicatur.* Hanc Sententiam ex Augustino citat *Algerus.* cap. 8. Respondet Bellarminus, Sententia hæc non Augustini est, sed *Paschasii*, neque nobis ullâ ratione adversatur. Non enim Paschasius loquitur de speciebus Sacramenti, sed de re contentâ; ac docet, non posse carnem sumi exsanguem, neque Sanguinem, nisi cum corpore suo, & illum jure non communicare, qui sentit unum accipi sine altero. Eodem sensu dixit idem Paschasius, *Non rectè caro Christi sine Divinitate sumitur, nec Divinitas sine carne præstatur.* Hæc Bellarminus more solito in vanum, & contra mentem Augustini. Nam etiamsi ad *primum* concederemus, Sanctum Patrem non de modo bibendi, sed ipsâ Sanguinis sumtione loqui, utut expressè non dicat in genere Sanguinem sumendum, sed in specie bibendum, adeòque modum sumtionis luculenter satis exhibens; in aliis tamen locis proximè citandis ita loquitur de hâc re Doctor augustissimus, ut constanter statuisse Eum adpareat, Sanguinem Christi in Eucharistiâ, nisi Vino mediante, sacramentaliter vi Institutionis primæ non accipi. Ad *secundum*, non opus est negativâ, quâ Bellarm. necessitatem bibitionis sacramentalis infringere conatur, cùm sufficere possit & debeat adfirmativa, quâ Augustinus de sui tëporis fidelibus testatur, eos ad Vitam spiritualem conservandâ *simul* Sanguinem Christi in Eucharistiæ Sacra-

mento bibisse. Verba adeò clara sunt, ut in mero die videatur coecutire, qui eorum percipere detrectat Sensum, quibus auditores suos Feriâ Paschali secundâ legitur adlocutus: *Vinum in multis fuit racemis, & modò unum est. Vnum est in suavitate Calicis, post pressuram torcularis. Et vos post jejunia, post labores, post humilitatem, post contritionem cordis,* (NB. Loquitur Sanctus Pater de statu Catechumenorum) *jam in nomine Christi tanquam ad Calicem Domini venistis, & ibi vos estis in mensâ, ibi vos estis in Calice. Nobiscum vos estis; simul enim hoc sumimus, simul bibimus* &c. Addantur ex alio Sermone apud eundem *Bedam* verba, ad Controversiam proximè antecedentem laudata, & de mente Augustini nullum omninò remanebit dubium. Ad *tertium* excipit quidem Bellarminus, non esse illud Augustini, *neque etiam loqui de speciebus Sacramenti*; sed in utroque etiam inter suos habet contradicentes & dissentientes. Et quidem de priori testatur *Georgius Cassander*, in dijudicandis Veterum Authorum Scriptis Bellarmino & sui similibus nihil concedens, *Paschasium & Algerum*, cùm de legitimâ & solenni loqvuntur Communione, *subindè hoc Augustini dictum producere*, cometipso Augustinum ejus parentem agnoscens. Si insuper ipsum *Algeri* librum evolvas, quem *Margarinus de la Bigne*, Doctor Sorbonicus, sexto *Bibliothecæ Patrum* Tomo Editionis secundæ inseruit, Authori Elogium *Divi* contradicentibus Hispanis Censoribus adscribens, & de quo *Petrus Cluniacensis* teste Bellarmino judicavit, Eum post *Lanfrancum* & *Guitmundum*, illum Archi-Episcopum Cantuariensem, hunc verò Aversanum, utrumque in eodem Tomo Bibliothecæ conspicuum, de Eucharistiæ Sacramento *optimè, plenissimè, perfectissimè* scripsisse; si, inquam, loco per Bellarminum citato librum *Algeri* evolvas, observabis, Eum intrepidè in hujus testimonii adductione ad Augustini authoritatem provocare. *Paschasius* quidem Ratbertus, qui juxta Bellarminum in de Scriptoribus Ecclesiasticis *primus seriò & copiosè* de hoc argumento scripsit, ubi loco itidem per Bellarminum citato his utitur verbis, quæ Augustino adscripsisse *Algerum* vidimus, Augustinum expressè non nominat; multa tamen eo in capite habet, quæ Augustino debentur, nominatim sequentia: *Quia generaliter homines cibo & potu id permaximè adpetunt, ut non esuriant, neque sitiant, & ne moriantur; hoc utique communis iste non præstat cibus & potus, sed Caro mea & Sanguis*, inquit Christus, *qui immortales facit & incorruptibiles, ideò cibus & potus verè nominantur. Constat igitur & liquet omnibus, quod in hâc mortali vitâ sine cibo & potu non vivitur. Sic itaque ad illam æternam non pervenitur, nisi duobus istis spiritualiter ad Immortalitatem nutriatur. Et ideò in Calice simul benè redduntur, quia de Calice uno Passionis Christi hæc duo nobis ad Vitam manárunt.* Hinc Editor hujus libri in citato Bibliothecæ Tomo his verbis ad marginem adscripsit Augustini Expositionem in caput Johannis sextum, innuere volens, ea indè desumta esse, ubi similia ferè in hunc modum leguntur: *Cum cibo & potu id adpetant homines, ut nec esuriant, neque sitiant, hoc veraciter non præstat, nisi iste cibus & potus, qui eos, à quibus sumitur, immortales facit & incorruptibiles. Id est societas ipsa Sanctorum, ubi Pax erit & Vnitas plena atque perfecta. Propterea quippè, sicut etiam ante nos hoc intellexerunt homines Dei, Iesus Christus, Dominus noster corpus & Sanguinem suum in eis rebus commendavit, quæ ad unum aliquid rediguntur ex multis. Namque aliud in unum ex multis conficitur & constat granis, aliud in unum ex multis confluit acinis.* Plura huc pertinentia ex antecedentibus & consequentibus suprà jam exscripta si addantur, cuivis attento & Veritatis studioso Lectori erit manifestum, nihil in verbis hactenùs controversis *Algerum* & *Paschasium* scripsisse, quod non Augustini nitatur authoritate, cumque Ejus Sententiâ conveniat ex asse. De *posteriori* responso Bellarmini, quo verba Augustini, vel juxta Ejus mentem *Paschasii*, non de speciebus Sacramenti agere existimat, sed de re *tantùm* contentâ, ita judicavit Vasquez, quamvis Socio non nominato: *Mihi hoc responsum satis est difficile. Nam Algerus ostendit in eo capite, quare Sanguis & caro Christi per se separatim, hoc est, in diversis speciebus consecretur, cùm tamen totus CHRISTVS in qualibet specie sit; & respondet, non id fieri, quia credendum sit, corpus ex sangue sub speciebus Panis contineri, cùm ibi totus sit Christus, sed fieri id in memoriam Passionis, & ut Caro nostra & anima vivificetur. Nam carnem nostram vivificari ait per corpus Christi, animam autem per Sanguinem, qui sedes animæ dicitur, & ita post medium capitis subjungit:* Cùm igitur in tali Mysterio corpus per corpus, anima autem CHRISTI significanda esset per speciem aliquam visibilem, nil inventum est in creaturis per quod vicinius & aptius repræsentaretur, quàm per Sanguinem, qui est sedes Animæ in quo etiam, ut signetur, animas nostras & corpora corpori & Animæ Christi uniri debere & conformari, simul corpus & Sanguis sumitur à fidelibus, ut

Epist. 19. ad Molin. oper. p. 1106.

de corp. & Sang. cap. 19.

Tract. 26. in Joh.

in III. part. Th. Tom. III. Disp. 216. cap. 6. num. 72. & seqq.

ut sumto corpore & animâ Christi, toto Christo, totus homo in animâ & corpore vivificetur, dum ipsa caro Christi non exsanguis & mortua, sed viva & vivificatrix creditur. *Sentit ergò, ideo sub duplici specie sumi Christum, ut vivificatio corporis ex corpore Christi, & animæ nostræ ex animâ Christi, cujus sedes est Sanguis, significetur & exprimatur, quamvis totus Christus, verè vivificator, secundum animam & corpus sub specie etiam Panis contineatur. Hanc verò Sententiam suam confirmat illo Paschasii* (vel potius Augustini) *testimonio, ut & Gelasii Papæ ex Epistolâ quâdam, ubi Pontifex eos reprehendit, qui à Calicis potione abstinebant; id quod in confirmationem suæ Sententiæ non adduceret Algerus, nisi de sumtione Sanguinis in propriâ specie ad integram significationem Sacramenti servandam loqueretur.* Et post aliqua: *Eodem modo loquitur Paschasius. Nam quamvis in antecedentibus solùm loquatur de fide, quâ sumendum est hoc Sacramentum, ne scilicet corpus sine Divinitate, neq; Divinitas sine corpore credatur, quando sumitur; hoc tamen capite de perceptione Sanguinis in Calice loquitur apertè. Nam titulus capitis primus est,* Corporis simul & Sanguinis Domini perceptionem nobis ad Salutem esse necessariam. *Et initio capitis de Sanguine Christi in Calice simul cum corpore sub specie Panis sumendo ita loquitur:* Patet sensus, quod jam Caro frangitur, quia Sanguis est in Calice, qui de latere manavit, & ideò quam rectè Caro Sanguini sociatur, neque Caro sine Sanguine, neque Sanguis sine Carne juré communicatur. *Vbi cùm loquatur de societate Sanguinis in Calice cum corpore sub specie Panis consecrato, intelligit etiam, Carnem sine Sanguine in Calice jure communicari non posse. Id autem colligit ex repræsentatione curationis animæ nostræ & corporis per corpus & animam Christi in Sanguine significatam, eodem modo, quo posteà Algerus idem docuit. Quocircà inferius concludit hunc in modum:* Potrò Sanguis Ejus potatur, quatenus anima, quæ in Sanguine peccati est, renovetur, quia & Christi anima non in sanguine peccati, sed in Sanguine carnis, etiam, uti natura est hominis, carnem humanam, quam Christus susceperat, vivificavit. Idcircò non rectè Caro sine Sanguine communicatur, sed ut Caro habeat relationem ad animam, quæ in Sanguine Christi est, & anima carnis vivificatrix per Sanguinem habeat relationem ad Deum, atque ita totus homo sanetur, hinc quoque Dominus &c. *Quibus verbis planè docet id, quod diximus, nempè, Sanguinem in Calice bibendum esse, ut perfectè repræsentetur curatio totius hominis, & secundum corpus, & secundum Animam; cumque hanc obligationem sumendi Sanguinem colligat Ipse ex significatione ipsâ Sacramenti, non potuit non intelligere esse Iuris Divini, non humani tantum. Quocircà non mirum, si hic Author itidem in antecedentibus illud Christi, Bibite ex hoc omnes, hoc explicaverit modo, tam Ministri, quàm credentes reliqui.* Omnia hæc Vasquez contra Socium, quamvis nomini Ejus pepercerit, ita tamen directè Eum oppugnans, & Augustini, quam Bellarminus *Paschasii* esse dicit, Sententiam ab *Algero* nominetenùs laudatam à responso Ejus impertinente vindicans, ut super amplius nihil possit addi, re hâc ad liquidissimum ex pennâ adversarii deductâ. Accedat hisce testimoniis, quod *Gratianus*, ex libro Sententiarum *Prosperi*, quas ex Augustino collectas suprà non semel fuit observatum, hoc verborum tenore laudavit: *Cum frangitur hostia, dum Sanguis de Calice in ora fidelium funditur, quid aliud, quam Dominici corporis in Cruce Immolatio, Ejusq; Sanguinis de Latere effusio designatur?* Quamvis enim *Latinius*, Scriptor ante hoc Seculum inter suos celebratissimus, cujus opera non ita pridem *Romæ* ex Bibliothecâ Ecclesiæ *Viterbiensis* jussu Cardinalis *Brancacy* duobus Tomis publicam cœperunt videre Lucem, verba hæc *Lanfranco*, cujus paulò ante facta est mentio, adscribenda esse judicet, eáque in libro Ejus, quem de *Sacramento Eucharistiæ* contra Berengarium scripsit, & in citato superiùs sexto *Bibliothecæ Patrum* Tomo cum aliis hujus generis & argumenti *Margarinus de la Bigne* exhibuit, legantur; notanter tamen laudatus Editor nomen Augustini ad marginem posuit, Lectorem admonere volens, *Lanfrancum* in eorum adductione Augustini authoritatem respexisse, utpotè quâ Berengarius etiam pro suæ opinionis confirmatione usus vel abusus est potius: *Alphonsus à Castro* etiam, aliàs quoque *Gratianum* ob Augustini authoritatem minus legitimè commendatam perstringens, ubi demonstrare voluit, *non esse contra Evangelicam Institutionem, Eucharistiam sub specie utrâque aliis, etiam Laicis porrigere, ac olim per multa Secula sic apud omnes Catholicos fuisse usitatum*, ad hoc ex *Gratiano*, tanquam Augustini testimonium, præter alia ante & post Augustinum plura provocavit, indubitanter illud pro Augustini testimonio Lectori commendans.

c. Cùm frangitur, de Consecr. Dist. II.

Lucubr. Tom. I. pag. 239. p. 367. & 368.

adv. hæres. Tom. 2. lib. 6. pag. 164.

CAPVT VIGESIMVM & NONVM,
De
Adoratione Eucharistiæ.

QUid de eâ statuant Evangelici, verbis *Höpfneri*, Theologi consumatissimi, in Vindiciis *Anti-Thomisticis* est ostensum. Nunc breviter videndum, quid Augustinus olim senserit de eâ, & cuinam parti proximius adhæreat, nostræ an adversariæ? Id quàm fiat ante, lubet *Cassandri* judicium satis sincerum adscribere, eò magis notatu dignum, quia Augustini etiam authoritate fultum, quod in *Consultatione* sæpius laudatâ hunc in modum legitur: *De adoratione Sacrosancti Eucharistiæ Sacramenti ita ex Veterum mente statuendum puto. Cùm in hoc Sacramento Christus, Deus & homo, & corpore & Sanguine suo præsentem se exhibeat, consequens est, ut in hoc quoq; Mysterio adoretur; quæ adoratio non ad ipsum Signum, quod exterius videtur, sed ad ipsam rem & veritatem, quæ interius creditur, referenda sit, quamvis & ipsi Signo, cujus jam virtus intelligitur, tanquam Religioso & Sacro, sua debeatur veneratio. De hac adoratione scripsit* Augustinus: Suscepit de terrâ terram, quia caro de terrâ est, & de carne Mariæ carnem accepit; & quia in ipsâ carne hic ambulavit, & ipsam nobis carnem dedit manducandam ad Salutem, nemo autem illam Carnem manducat, nisi prius adoraverit, inventum est, quomodo adoretur Scabellum pedum Domini, non solùm non peccamus adorando, sed peccamus non adorando. *Idem exponens illud Psalmi, Manducaverunt & adoraverunt omnes divites terræ:* Et ipsi quidem sunt adducti ad mensam Christi, & accipiunt de corpore & Sanguine Ejus; sed adorant tantum, non etiam saturantur, quia non imitantur. *Consuetudo autem, quâ Panis* Eucharistiæ in publicâ conspicuus circumfertur, ac passim omnium hominum oculis ingeritur pompâ, *præter Veterum morem & mentem* haud ita longo tempore inducta & recepta videtur. Illi enim hoc Mysterium in tantâ religione & veneratione habuerunt, ut non modò ad ejus perceptionem, sed ne inspectionem quidem admitterent, nisi fideles, quos Christi membra & tanti Mysterii participatione dignos esse existimârant. Ideò ante Consecrationem Catechumeni, Energumeni, Pœnitentes, denique non Communicantes voce Diaconi & Ostiariorum ministerio secludebantur. Quare videtur hic circumgestationis usus citra grave damnum Ecclesiæ, imò cum ipsius lucro, modò id prudenter fiat, omitti posse, cùm & recens sit, & diu sine eâ circumgestatione suus Sacramento honos constiterit, & hodiè possit constare; deindè cum hodiè plerumque non populi devotioni, sed pompæ magis & ostentationi serviat. Itaque vir summi Judicii, *Albertus Crantzius*, in Metropoli suâ, *Nicolaum Cusanum*, Legatum per Germaniam laudat, qui abusum Sacramenti Eucharistiæ in nimis frequenti ejus per singulas ferias circumgestatione sustulerit, & constituerit, ut nisi inter octavas Festi Sacramento dedicati in publicum non deferretur; additque idem Albertus causam memorabilem, inquiens, quia ejus Sacramenti usus à cœlesti Magistro institutus est *ad esum, non ad ostentationem.* Placuit hæc posteriora *Cassandri* prioribus adjungere, utpotè eis proximè connexa, & ad præsens Institutum quam maximè pertinentia, quia hic circumgestationis usus in nullum finem alium videtur introductus, & hactenus ab illo tempore conservatus, quàm ut Sacramentum hoc ab omni populo adoretur, de quâ consuetudine notanter & verè scripsit Cassander, quod *præter Veterum morem & mentem* videatur recepta, id quod de Augustini etiam tempore intelligendum esse, satis est manifestum. Et ut de ipsâ Sacramenti adoratione S. Patris mentem plus ultra percipiamus, cætera quoque Ejus loca evolvamus est necessum, ad quæ præter ea, quæ *Cassander* laudavit, Bellarminus ad hunc adorationis cultum huic Sacramento obtinendum provocavit, visuri, an ex iis aliquid huc videatur referri posse. Et quia Bellarminus ad secundum de hoc Sacramento librum remittit Lectorem, in quo ex omnibus Tomis testimonia pro reali corporis & Sanguinis Dominici præsentiâ contra Reformatos Doctores eandem negantes collegit, placet ea huc revocare. Et quidem ex secundo Tomo præter testimonium Cassandro notatum hoc habet: *Dicit Augustinus, Eucharistiæ singularem deberi venerationem, & comparat eos, qui ex devotione ad hoc Sacramentum accedunt quotidiè, vel etiam ex devotione aliquando non accedunt, cum Zachæo & Centurione, quorum alter Dominum excepit in domum suam gaudens, alter dicit, Domine, non sum dignus &c.* Ex octavo autem Tomo, ubi laudatum à Cassandro locum contra *Petrum Martyrem* vindicare laboravit, scribens inter alia, *Eum non benè Augustinum legisse, & ideò audacter ex Eo collegisse omninò iis contraria, quæ Augustinus alibi scripserat*, sequentibus nominatim verbis: *Manducaverunt corpus humilitatis Domini sui etiam divites, non sicut pauperes saturati sunt usque ad Imitationem, sed tamen adora-*

Oper. pag. 984. & 985.

in Psal. 98.

Epist. 120. ad Honor.

NB.

Epist. 118. ad

raverunt. Addit Bellarminus, *Vides, juxta Augustinum impios adorare & manducare Carnem Domini de ipsâ Mensâ, id est, de Altari acceptam.* Alphonsus à Castro ei testimonio, quo Sanctus Doctor mentem suam explicavit de *Scabello pedum* Christi, sequentia Ejusdem verba subjecit, ut debitum adorationis Eucharistiæ ad Sententiam augustissimi Patris eò facilius obtineat: *Verba mea ad solos Christianos sunt referenda, è quibus qui manducat nullus est, quin adoret; nam si adorare recusat, vel hâc ratione Christianus minime dicetur, sed hæreticus.* In genere ad hæc responderi potest verbis ejusdem Augustini, quæ idem *Alphonsus à Castro* ibidem ex opere de *Doctrinâ Christianâ* suppeditat: *Qui operatur & veneratur utile Signum Divinitùs institutum, cujus vim significationemque intelligit, non hoc veneratur, quod videtur & transit, sed illud potius, quò talia cuncta referenda sunt.* In sequentibus hanc Signorum Sacramentalium venerationem refert ad Sacramentum Baptismi æquè, ac ad Sacramentum Eucharistiæ, de quibus cùm Sententiam dixisset superiùs expressam, ita porrò cultum eis debitum descripsit: *Quæ unusquisque cùm percipit, quò referantur imbutus agnoscit, ut ea non carnali servitute, sed spirituali potius libertate veneretur.* Et huc pertinet, quod in de *catechizandis rudibus* opere monuit Sanctus Doctor: *De Sacramento, quod accepit,* nimirum Catechumenus, *cùm ei benè fuerit commendatum* (subintellige, dicendum est ei) *Signacula quidem Rerum Divinarum esse visibilia, sed res ipsas invisibiles in eis honorari; neque sic habendam esse illam speciem Benedictione sanctificatam, quemadmodum habetur in usu quolibet.* Hæc si ad mentem Augustini, & ex eo *Cassandri*, quæ eadem quoque Evangelicorum est, attenderent Doctores Papæi, & suos partim ritè informarent auditores, partim quoque cultum Christo soli debitum non ad externa etiam symbola referrent, Controversia hæc facilem inveniret exitum, neque esset, de quo prolixè litigaretur inter partes. Sed dum, quæ Augustinus ex sensu Ecclesiæ, cujus Doctor fuit, de veneratione quâdam Sacramenti Eucharistiæ externâ, Sacramento Baptismi etiam debitâ scripsit, in singularem Latriæ cultum transformatur, Evangelici non immeritò sunt solliciti, ne Patri augustissimo mens aliena adfingatur, ac sub Ejus nomine fideles à cultu Christi ad cultum Panis ducantur, vel potius seducantur, fiantque cum suis Doctoribus & doctoribus detestandi artolatræ, & creaturæ non creatoris adoratores. Et ut paucissimis de Augustini testimoniis, ad quæ Bellarminus provocavit, sententiam dicamus, in *primo* expressè Carnem Christi scripsit *adorandam*, nullam omninò faciens Symboli alicujus externi & visibilis mentionem. Idem invenire est in *secundo*, ubi de infidelibus & hypocritis in Ecclesiâ dicit, eos quidem in perceptione minus devotâ Eucharistiæ cum aliis communicantibus *adorare corpus & Sanguinem Christi*, sed ob defectum Imitationis necessariæ *non saturari*, adeòque hanc adorationem eos non juvare. Sive autem id intelligatur de adoratione confessionali, quâ hypocritæ etiam in Ecclesiâ Christum se Dominum & Deum agnoscere oretenùs profitentur, idque eum in finem, ut pro veris Ecclesiæ membris habeantur, etsi cor eorum externæ huic non respondeat professioni; vel de adoratione & cultu ceremoniali visibilibus etiam symbolis exhibito, quem verè fideles in ipso Eucharistiæ usu decenter ad demonstrandam interiorem Reverentiam, infideles autem & hypocritæ ad occultandam animi perversitatem & nequitiam adhibere solent, nihil id pro cultu Latriæ, quem Papæi etiam Symbolo panis, & quidem extra usum, volunt adtribui, inservit, Augustino expressissimè de ipso Eucharistiæ usu hic agente, &, quod insuper observatu non indignum est, de infidelibus & hypocritis, seu, ut ex Regio Psalte eos vocat, *divitibus terræ*, adorantibus quidem & manducantibus in Eucharistiâ *corpus & Sanguinem Domini*, sed non ad satietatem usq; & ad sedandam famem & sitim animæ spiritualem, Christum scilicet non imitantibus, ac solo nomine Christi se discipulos jactantibus, à quorum hypocriticâ ad oratione ad ipsum hujus externi cultûs debitum argumentari, nescio, an admitti debeat in Theologiâ sinceriori, quæ plus animum, quàm externa utplurimùm suspecta & fallacia respicit. In *tertio* Augustini testimonio instituta inter Zachæum & Centurionem comparatio itidem nihil planè ad rem facit. Agit ibi S. Pater de Quæstione, *num quotidiè accipienda sit Eucharistia?* In responso ubi diversas protulit Sententias, suam Ipse sequentibus expressit verbis: *Rectius inter eos fortasse quisquam dirimit litem, qui monet, ut præcipuè in Christi pace permaneant. Faciat autem unusquisq;, quod secundum Fidem suam piè credit esse faciendum; neuter enim eorum exhonorat corpus & Sanguinem Domini, si saluberrimum Sacramentum honorare certatim contendant. Neq; enim litigaverunt inter se, aut quisquam eorum alteri se præposuit, Zachæus & ille Centurio, cùm alter eorum gaudens in domum suam susceperit Dominum, alter dicit,* Non sum dignus, &c. *Ambo*

1. cit. pag. 43.

lib. 3. cap. 9.

cap. 26.

Salvatorem honorificantes, diverso & contrario quasi modo; ambo Peccatis miseri, ambo Misericordiam consecuti. Valet etiam ad hanc Similitudinem, quod in primo Populo unicuique Manna secundum propriam voluntatem in ore sapiebat, sic in ore cujusque Christiani Sacramentum illud, quomodo sumatur, æstimandum; nam & ille honorando quotidiè non audet sumere, & ille honorando non ullo die audet prætermittere. Contemtum solum non vult cibus ille, sicut Manna fastidium. Quomodocunque hoc Augustini testimonium intueatur quis, nihil omninò videbit in eo aptum ad cultum Latriæ Symbolis Eucharisticis, extra usum inprimis, debitum, cùm Doctor augustus non-nisi de dignâ hujus Sacramenti perceptione agat, quam dignitatem in Externo Ejus cultu & adoratione potius, quàm internâ animi devotione sitam esse, nemo dixerit, qui Augustini ex Apostolicâ Pauli manuductione Sententiam de debitâ ad usum hujus Sacramenti præparatione perceperit ritè. In *quarto* Augustini testimonio idem legere est, quod in secundo, quod cum prioribus dum ad demonstrandum Latriæ cultum Symbolis Eucharisticis extra usum quoque debitum traxit Bellarminus, ostendit, se non benè Augustinum legisse, & audacter ex Eo collegisse omninò iis contraria, quæ Sanctus Pater hic & alibi satis expressè docuit. Et si responsum secundo Augustini testimonio adscriptum iis quoque verbis adplicari posse dicam, quæ *Alphonsus à Castro primo* adjecit, quod contra possit excipi, non video, Augustino per ea etiam, quæ illustrationis ergò fuerunt addita, in hâc quoque Controversiâ de adoratione Sacramenti Eucharistiæ, Veritatis Evangelicæ constanti Teste & Confessore, Bellarmino nihil in contrarium obtinente.

De

SACRIFICIO MISSÆ,

LIBRI PRIMI

CAPVT SECVNDVM,

De

Sacrificii Definitione.

VT Bellarminus definitionem exstruat Missæ Sacrificio, quod defendendum suscepit, congruentem, Augustini authoritate & offensivè utitur & defensivè. In specie autem ut obtineat, *in Ecclesiâ Christi unum tantùm verum esse ac proprium Sacrificium, nec propriè Sacrificia esse Sacramenta vel alia quævis opera bona, quæ fiunt ad colendum Deum,* audacter scribit, *esse hanc Sanctorum omnium Scriptorum,* & inter eos præsertim *Augustini Sententiam.* Augustinus enim, inquit, probare volens, Epulas, quæ super Martyrum Sepulchra à quibusdam ponebantur, non esse Sacrificium, sic ait: *Ea non esse Sacrificia Martyrum, novit, qui novit unum, quod Deo obfertur, Sacrificium Christianorum.* Idem quoque dicit alibi, *omnibus Veterum Sacrificiis successisse unicum & singulare Eucharistiæ Sacrificium.* Aliàs etiam Eucharistiæ Sacrificium vocat *verissimum & singulare.* Et iterùm alibi adpellat *unicum.* Et ut hanc esse constantem Augustini Sententiam demonstret, id quoque testimonium Evangelicis & contrarium defendentibus eripere conatur, quo Doctor Sanctus generaliorem Sacrificii definitionem dedisse fuit visus. Eo dum non *Chemnitius* tantum est usus, sed Doctor etiam aliquis, quem Bellarminus Catholicum dicit, & hominem *valdè Eruditum & pium* fuisse scribit, videndum est, quibus utatur Exceptionibus, ne mens Augustini ad Evangelicorum partes videatur adpropinquare, ac Veritati testimonium præbere. Definitio Sacrificii Augustiniana hæc est: *Sacrificium verum est omne opus, quod agitur, ut sanctâ Societate inhæreatur Deo, Relatum ad illum finem, quo beati esse possimus.* In responso, quod Doctori, quem vocat, Catholico, opposuit, hæc Bellarminus habet: *Augustinus non definit Sacrificium in genere, nec Sacrificium propriè dictum, sed solum* (in specie) *Sacrificium, quod præcipuè internum est, & opponitur Sacrificiis legalibus & merè externis; & vocat Sacrificium verum Ratione Dignitatis & effectûs, non ratione formæ & essentiæ Sacrificii propriè dicti. Non enim vult dicere, Sacrificia interna esse Sacrificia magis propriè dicta, quàm externa; cùm oppositum sit verùm; sed esse præstantiora & Deo gratiora, & facilius Deum placare. Similis sententia est, cùm Christus dicit.* Ego sum Vitis vera. *Nec enim Dominus eo loco significare voluit, se magis*

lib. 8. de Civit Dei, cap. ult.

lib. 3. de Bapt. cap. ult.

de Spir. & lit. cap. 11.

lib. 1. contra Cresc. cap. 25.

lib. 10. de Civ. Dei, cap. 6.

Joh. 15.

magis propriè vitem esse, quod attinet ad formam & essentiam vitis, quàm sit illa, quæ plantatur in vineis; sed solùm esse vitem nobiliorem, & effectus excellentiores producere, ut Euthymius in Commentario hujus loci rectè exponit. *Chemnitio* idem ferè respondit, quamvis aliquo cum augmento, scribens: *Tantum abest, ut Augustinus definire voluerit eo loco Sacrificium in genere, ut potius expressè excluserit à suâ definitione omnia Veteris Legis Sacrificia, quæ in mactatione ovium & boum erant sita, quæ propriissimè Sacrificii nomen & rationem retinent.* Alia, quæ & antecedenter & consequenter, utrobique tamen incidenter ex Augustino habet Bellarminus, studio vitandæ prolixitatis omitto, addens tantum, quæ de hoc Augustini loco *Franciscus Panigarola*, ex ordine Minorum Scriptor, observavit, plura subjungens Sancti Patris verba, quibus datam à se Sacrificii definitionem illustrari posse censuit: *Undè & ipsa Misericordia, quâ homini subvenitur, si propter DEum non sit, non est Sacrificium. Etsi enim ab homine fit vel obfertur, tamen Sacrificium est Res Divina, ita ut hoc quoq; vocabulo Latini veteres id adpellaverint. Undè & ipse homo, Dei consecratus nomini & Deo devotus, in quantum Mundo moritur, ut Deo vivat, Sacrificium est.* Laudatus Minorita, minorum fortè minimus, sequentia ad hanc Definitionem Augustinianam excipit: *Atqui non solùm preces & bona opera quodammodò Sacrificium adpellantur, sed & cor solum & solæ cogitationes. Sacrificium Deo* (gratum est) *spiritus contribulatus*; cor contritum & humiliatum, Deus, non despicis. *Sed hâc Ratione dicemusne, in Lege aliquâ satis esse Sacrificium cordis; cùm Sacrificium eâ de causâ sit institutum, ut cordis nostri cogitationes testificemur? Augustinus item loco eodem adfirmat, hominem illum, qui Deo sit consecratus, facere de seipso Sacrificium.* Sed *propterea* satisne esset in Lege aliquâ unum hoc Sacrificium, quod quis de seipso faceret? *Solemus vulgò etiam dicere,* ex. gr. *Sacrificium fieret Deo, si sceleſtus ille de medio tolleretur. At idcircò esset ne idoneum Legis alicujus Sacrificium, ut sacrificandi causâ aliquis occideretur? Aliud ergò est, cum latè & minus propriè loquimur de Sacrificio; aliud verò, cum propriis loquimur verbis, ut rectè percipiamus, quid sit, quatenus est primus Legis cultus. Altero modo loquitur Augustinus, quâ ratione preces omnes & opera bona sunt Sacrificia, id est, oblationes Deo gratissimæ; altero loquimur de illo propriè sacrificio, quod Religionem significat testificatur q;, & quod Sacerdotem postulat. Hoc enim modo dicimus, neq; preces, neq; bona opera quæcunq;, esse vel adpellari posse proprium Legis nostræ Sacrificium; quæ res tam clarè patet, ut per se loquatur ipsa.* Plurium de hoc Augustini testimonio censuras non colligo, quia utplurimùm unius ejusdemque sunt tenoris, verbis tantùm pauliſper aut exemplis etiam mutatis. Ne autem Augustini authoritas Evangelicis hic eripiatur, ac definitio Sacrificiorum ab Eo proposita locum habeat, lubet breviter excerpere, quæ *Petrus Picherellus*, Scriptor ante hoc Seculum *Thuani*, at, quanti Viri, Elogio celebratissimus, & in re Sacramentariâ non semel Veritatis Evangelicæ testis & Confessor quam-maximè sincerus, in peculiari Dissertatione de *Missâ* circa hoc argumentum ex Orthodoxâ Antiquitate, & nominatim Augustino notanter hinc indè observavit, Lectori Veritatis Evangelicæ studioso futura non ingrata. Ita autem Sorboniſta eruditissimus: *Non me latet, Veteres de Cœnâ Dominicâ loquentes plerumq; mentionem facere Oblationis seu Sacrificii & Altaris, sed hoc sensu, ut Sacrificium significet Sacrificii illius in Cruce peracti memoriam, sive ut loco Sacrificii habeatur, & commemoratio illius Sacrificii tam DEO sit accepta, at q; olim fuit Sacrificium. Imò dicitur Sacramentum memoriæ ab Augustino, qui & scribit:* Jam Christiani memoriam peracti Sacrificii celebrant Sacro-Sanctâ oblatione & participatione Corporis & Sanguinis Christi. *Et alibi:* In isto (Panis & Vini) Sacrificio gratiarum actio atque commemoratio est carnis Christi, quam pro nobis obtulit, & Sanguinis, quem pro nobis idem Deus effudit. *Et rursùm:* Christus seipsum obtulit holocaustum pro peccatis nostris, & ejus Sacrificii similitudinem celebrandam in suæ Passionis memoriam commendavit. *Sic cum Chrysostomus tertiâ in ad Ephesios Pauli Epistolam Homiliâ dicit,* Christum & Agnum immolari, *hoc esse videtur, quod Augustinus de Cataclysmo dicit,* Sacrificium Imaginis Agni obferri, *cujus amplam ad Bonifacium reddit Rationem:* Cur, cùm solus Christus in se sit immolatus, in Sacramento tamen non solùm per omnes Paschæ Solennitates, sed omni die populis immoletur, & cur utique non mentiatur, qui interrogatus, Eum responderit immolari, nempè propter similitudinem? *Non dissimilia dicit alibi. Quod verò ad Altaris mentionem attinet, quæ Sacrificio, ut suprà dictum est, frequenter apud Patres adjungitur, id fit, ut in sacrificandi modo & ratione perseveretur. Mensam enim notat Altare, quæ ad supponendum & obferendum tale Sacrificium fit velut Altare, locoq; Altaris. Vide Augustinum. Sic quod apud Eundem legitur,*

Discept. cap. 17. pag. 432.

Opusc. p. 56. & seqq.

lib. 20. contra Faust. cap. 21.

Ibid. cap. 18. de Ep. ad Petrum, c. 8.

lib. 83. Quæst. c. 61.

in Psal. 20.

Serm. 46. de Verb. Dom. Tract. 26. in Johan. Tract. 84. in Eund. lib. 21. de Civit. Dei, cap. 25. lib. 10. ibid. cap. 6. lib. 1. de peccat. merit. c. 20. Quæst. mixt. num. 109. lib. 16. de Civ. Dei, c. 22. de Fide ad Petrum, c. 18.

accedere ad Altare, *alibi dicitur*, accedere ad Mensam, *quemadmodum idem ibidem dixerat*, sumere de Mensâ Domini, *quod alibi est* sumere de Altari, *& multis locis dicit*, accedere ad Mensam Domini, *quod Emissenus Sermone de corpore & Sanguine Domini dicit*, adscendere Reverendum Altare. *Hinc certè factum est, ut Sacramentum Cœnæ vulgò Sacramentum Altaris adpelletur, quo etiam nomine donatur ab Augustino, ut & Sacramenti Mensæ secundæ. Neque verò mirum esse debet, quod Sacrificium hic significet Sacrificii similitudinem seu Imitationem, quùm ipse Augustinus Eucharistiæ figuram seu typum adpellet, atque ad eundem modum Sacrificium dicat Sacrificii figuram, & Christianorum Symbolum ac signum Iesu mortui, id est, Sacrificii Christi in Cruce mortui. Legimus quidem apud Veteres, offerri Deo à Sacerdote Christi Sacrificium*, Passionem Christi, Mystica Symbola, Panem & Vinum, Corpus & Sanguinem Christi. *Sed quod ad oblationem Sacrificii Christi attinet, & Passionem Christi, Sacrificium hoc intelligo memoriam seu Similitudinem Sacrificii Christi*, ut antè dictum est. *Atq; ita legimus Calicem obferri in commemorationem Domini & Passionis Ejus*, apud Cyprianum in Epistolâ ad Cœcilium; *quam ob rem etiam ibidem adpellatur* Sacramentum Dominicæ Passionis & Redemtionis. *Præterea, quod in hoc Sacrificio, ut Augustinus ait*, Panis & Vini Sacrificium adpellatur, gratiarum actio atque commemoratio est carnis Christi, quam pro nobis obtulit, & Sanguinis, quem pro nobis idem effudit. *Mystica autem Symbola Panem & Vinum intelligo consecrata, idem etiam per Panem & Vinum. Per corpus & Sanguinem Christi autem corpus Christi necatum & mortuum* (rectius necati & mortui) *in Cruce, & Sanguinem Ejus effusum*, (id est, similitudinem illius Sacrificii corporis Christi mortui & Sanguinis effusi, quem ad modũ paulò ante dictum Sacrificium hoc Chrysostomo esse Symbolũ ac signum Jesu mortui,) *aut Mystica illa Symbola quæ suo etiam modo dicuntur corpus & sanguis Christi*, ut, Hoc, id est, Panis consecratus, *est corpus meum*; *hic Calix*, id est, Vinum consecratum hoc poculo contentum, vel quidquid habet hic Calix, ut Augustinus loquitur, *est Sanguis meus. Vtraq; autem oblatio, & similitudinis Sacrificii Christi, & mysticorum (quoq;) Symbolorum ad gratiarum actiones, laudes & preces pertinet; Imò in significationem similitudinis Sacrificii Christi recidit mysticorum (quoque) Symbolorum oblatio.* Et postquam inter oblationes propriè & impropriè dictas discrimen ostendit, de his monens, quod per quandam adcommodationem & metaphoram eo nomine insigniantur, quasi sint quædam oblationes & Sacrificia Deo oblata, quæ haud secus Ei placeant, ac illa suave olentia & odorem bonum spirantia; & quemadmodum illa fuerint carnalia, sic ista sint spiritualia, ut illa fuerint bruta, sic illa sint λογικὰ, adductis præter *Tertulliani* & Augustini etiam aliquibus Scripturæ N. T. testimonis, ita porrò scripsit: *Retinet autem vocabula hæc Novum Testamentum, ut ad Prophetas se conformet, quibus est usitatissimum, ut quod spiritualiter in Ecclesiâ Christi post hujus interras descensum erat faciendum, illi ad suum se Seculum adcommodantes, per carnales & crassos ritus, ac Levitici Templi & sacerdotii Sacrificia, similitudinesque ab illis sumtas, atq; adeo similes loquendi modos, imò & ipsam eandem vocem exprimant, id quod propriè tamen ita adpellari non potest, sed impropriè, & proindè, ac si adverbium* Velut, *vel aliud hujusmodi præponeretur. Hoc etiam amplius mihi videtur ita factum, ut auditis Sacrificiorum, ceremoniarum & rituum vocabulis semper illa meminissemus fuisse typos & umbras eorum, quæ in N. T. erant peragenda.* Sed *est alia etiam species Sacrificii hujusmodi*, nimirùm *Eleemosynæ & Beneficentia, aliaque Charitatis officia. Quia enim in Cœnâ singuli fideles olim super Altari sive Mensâ reponebant Eleemosynas, Ministris & Pauperibus per Diaconos distribuendas, illos tanquam ejusdem secum corporis membra profitentes, eas sæpè Sacrificium appellârunt Veteres, de Cœnâ loquentes.*

lib. 20. contra Faust. c. 20.

Ita refert Augustinus, in agapis Cœnæ fruges & carnes miserieordiâ Christianorum erogatas fuisse pauperibus. *Super illas Eleemosynas Altari impositas Deum suo populiq; nomine, & eorum, qui aliquam obtulerant, vel recitatis eorum nominibus, Sacerdos precabatur, ut gratus haberet, eas sanctificans, & Sacrificii nomine adpellans, sed non aliâ Ratione, quàm ante exposuimus.* In Summa, *Sacrificium apud Veteres, de Cœnâ loquentes, Sacrificii memoriam & preces, laudes & gratiarum actiones, & Eleemosynas sive Beneficentiam notat, quæ sit instar Sacrificii. Porrò autem omnia illa tam à plebe, quam à Sacerdote dicuntur obferri Deo, præcipuè tamen à Sacerdote, quod ille omnium Minister preces recitet, laudesq; & gratiarum actiones, quas pro plebe & per Eum ita plebs obferat, cui ob id etiam in clausulâ accinit*, Amen. *Cæterùm quod hoc Sacrificium Græci Patres Sacrificium ἀναιμον & ἀναίμακτον*, id est, *incruentum & sine Sanguine non rarò adpellent, hoc ita accipio, quasi dicant, non propriè adpellari Sacrificium, sed impropriè, vel correctionem hanc addunt, quâ vox duriuscula emolliatur, si modò Sacrificium incruentum dici debet Sacrificium, Rationemque hanc subjiciunt*, si pro-

Serm. ad Infant.

propriè Sacrificium esset, cruentum esset. *Itaque Sacrificium etiam expiatorium adpellabitur propter similitudinem tantum; nam reverà si expiatorium esset, incruentum non esset. Sic est quidam Baptismus ἀνυδρος, sine Aquâ, nimirum impropriè dictus, quo baptizati sunt,* quos angustia Passionis invenit, & nolentes negare Christum ante, quàm baptizarentur, occisi sunt, *ut Augustinus inquit.* Epist. 108. ad Seleuc.

Necessum fuit omninò hæc prolixius exscribere, utpotè egregium Veritatis testimonium ex ore vel pennâ potius Viri adversariæ partialiàs addicti exhibentia, quæ simul satis possunt facere iis, quæ Bellarminus infrà capite singulari de his vocibus *Sacrificii, Immolationis, Oblationis* &c. Itidem prolixè tradidit; quibus si addantur, quæ post *Chemnitium* & alios Doctores Evangelicos hoc argumentum ex professo tractantes *Dorscheus* in Mysariâ Missæ diversis ex Orthodoxâ Antiquitate & nominatim *Augustino* observationibus ostendit, docens, Incruenta Novi Testamenti Sacrificia esse Orationis devotæ suspiria & prædicationem Verbi, & ea, quæ obferuntur à Christianis, numero multitudinis vocari hostias & victimas, unicum verò Christum esse hostiam, unicum Sacerdotem, unum quoque Templum & Aram, & aliorum propriè Sacerdotum Veteres non meminisse, quin & Sacrificia Novi Testamenti ab omnibus obferri posse & debere Christianis, & quod quam-maximè huc spectat, Sacrificium in Cruce præstitum, non minus hodiè efficax esse, quàm in ipso mortis Christi articulo, & memoriam Sacrificii hujus in Cruce præstiti Deo pro Sacrificio, quanquam non propriè dicto obferri; *Præterea,* Doctores Ecclesiæ antiquos vocabula *Sacrificii, victimæ* &c. Eucharistiæ Sacramento adcommodantes respexisse inter alia *vel* ad preces, quas longâ serie pro variis Mundi ordinibus etiam juxta dispensationem Testamenti Dominici Ecclesia effudit, idque partim ante Consecrationem, partim in Consecratione, partim post Consecrationem, quod ultimum dupliciter fiebat, tum benedictione populi, tum Eucharistiâ; *vel* ad concursum variarum Christianæ Virtutis exercitationum, quem Deo Ecclesia exhibuit, & pii singulari quâdam Consecratione se totos quasi in Deum effuderunt, & Eidem se tribuerunt, meditatione devotissimâ contemplantes sacrum hunc Thesaurum: *vel,* quod inprimis huc pertinet, ad ipsam repræsentationem Sacrificii illius unici & propitiatorii, imò ad certissimam exhibitionem atque Sacramentalem præsentiam corporis & Sanguinis Dominici, tanquam Sacrificii in Crucis Arâ exhibiti; *vel,* quod proximè huic conjunctum est & esse debet, ad singularem Fidei operationem, quæ corpus & Sanguinem Christi, certissimum Redemtionis lytron, in Sacrâ Cœnâ firmo complexu adprehensum intimè sibi adplicat, inter Deum & peccatum interponit, proque solutione sufficienti obfert Deo; *hæc, inquam,* si traditis à *Picherello* pro uberiori illustratione addantur, quæ *Dorscheus* partim citatis, partim expressis *Augustini* & aliorum Patrum testimoniis confirmavit, & contra Bellarmini Exceptiones vindicavit, subjungens tandem, Epitheta, quæ Patres ad nomen Sacrificii adjiciunt, eum in finem tantùm esse adjecta, non ut Sacrificium aliquod novum incruentumque notent, sed ut *tùm* admirabilem & excellentissimam corporis & Sanguinis Christi in hoc Sacramento propositi dignitatem confirment, *tum* ut discrimen inter figuras adumbrationesque V. T. & Sacramenta N. T. atque Mysteria indicent, *tum* ut ad Sacrificium Crucis omnem vim Sacræ huic Cœnæ tribuens nostras erigant Meditationes; *quæ, inquam* adhuc semel atque iterùm, si benè ponderentur, æquà nimirùm Judicii incorrupti & nullis præjudiciis occupati lance, adque Fidei Verbis Testamenti innixæ analogiam ritè reducantur, quam Patres antiquos, & inter eos Augustinum, his loquendi formis è Sacro Codice desumtis, & ad mentem Scriptorum Dei Spiritu actorum intellectis lædere voluisse, dici non debet, parum erit super difficultatis in hoc negotio aliàs tot Disputationibus multum intricato, quod non possit facilè superari, resque ad liquidum deduci. Et quia *Augustini* præsertim authoritas hic attendi debet, præter ea testimonia, quæ *Picherellus* suis interseruit observationibus, alia quædam pauca ut adnectantur, opus est, ne quid præter mentem Sancti Patris dictum, aut planè Sententia augustissimo Doctori videatur adficta. Eminet inter illa, quod ex collectione Sententiarum *Prosperi* in antecessum commendavit *Dorscheus,* ex quo sequentia superius jam laudata in rem præsentem notatu digna sunt: *Sicut cœlestis Panis, qui caro Christi est, suo modo vocatur corpus Christi, cùm revera sit Sacramentum corporis Christi, illius videlicet, quod palpabile, mortale in Cruce positum est, vocaturque ipsa* CARNIS IMMOLATIO, *quæ manibus fit Sacerdotis, Christi passio, mors, crucifixio; non rei veritate, sed significante Mysterio &c.* Dum verò in specie ad preces ante, in, & post Consecrationem, in usu & adcommodatione harum vocum, Veteres re- cap. 9. §. 18. & seqq.

respexisse fuit observatum, sequens Augustini testimonium id comprobat: *Omnis, vel*
Epist. 59. ad Paulin. *penè omnis frequentat Ecclesia, ut precationes accipiamus dictas, quas facimus in celebratione Sacramentorum antequàm illud, quod est in Mensâ Domini, incipiat benedici; orationes, cùm benedicitur & sanctificatur, & ad distribuendum comminuitur, quam totam petitionem omnis ferè Ecclesia Oratione Dominicâ concludit.* Post aliqua: *Interpellationes autem sive postulationes fiunt, cùm populus benedicitur; tunc enim Antistites, velut advocati, susceptos per impositionem manûs Misericordissimæ obferunt potestati, quibus peractis & participato tanto Sacramento, Gratiarum actio cuncta concludit.* Scripsit hæc Augustinus explicans & adpli-
I. Tim. II. cans discrimen illud, quod Paulus inter precationes vel obsecrationes, orationes item, interpellationes quoque vel postulationes, & tandem Gratiarum actiones per Timotheum quibusvis verè fidelibus commendavit, è quarum numero dum Augustinus Interpellationes vel preces Episcoporum pro Populo intercessorias DEO *obferri* scripsit, usum hujus vocabuli tum in Ecclesiâ promiscuum & non ita, sicut hodiè, restrictum fuisse ostendit. *Porrò*, Repræsentationem Sacrificii in Cruce peracti, quæ in usu Sacra-
Epist. 23. ad Bonif. menti Eucharistiæ exhibetur, Augustinus docet sequentibus verbis: *Nonne semel immolatus est Christus in seipsò, & tamen in Sacramento non solùm per omnes Paschæ solemnitates, sed omni die populis immolatur; nec utiq; mentitur, qui interrogatus, Eum respondet immolari.* Ad hæc, quæ *Picherellus* quoque observavit, ea etiam inprimis pertinent, quæ proximè in textu Augustini & immediatè leguntur: *Si enim Sacramenta quandam similitudinem earum rerum, quarum sunt Sacramenta, non haberent, omninò non essent sacramenta; ex hac autem similitudine plerumq; etiam ipsarum rerum nomina accipiunt.* Quod verò etiam devoti communicantes in ipso usu Sacramenti, corpus & Sanguinem Christi, tanquam redemtionis suæ lytron, DEO Patri per Fidem veram obferre fuit dictum, id Augustinus etiam suo tempore notanter observavit, docens, *quomodo Christus id, quod*
de Symb. ad Catech. lib. II. cap. 7 *suscepit ex nobis, in Cœlum levaverit, ad dextram Patris collocaverit*, ac Fidei nostræ certum pignus dederit, *ut secura sint membra de tanto capite, fideliter q; sperent, ad ipsum se posse pervenire, quem jam credunt ad dextram Patris sedere.* In quibus verbis quid aliud per *Fidei nostræ pignus* voluerit intellectum Augustinus, quàm corporis & Sanguinis Ejus in Eucharistiæ Sacramento participationem, non video.

Hisce nunc præmissis ad examen eorum rectà imus, quæ Bellarminus ex Augustino supra produxit, ut obtineat, *unum esse tantùm verum ac proprium Sacrificium, nec Sacramenta vel alia quævis opera bona esse propriè Sacrificia*; si illud prius in gratiam Lectoris monuerimus, Evangelicos non negare, unicum tantummodò esse verum Sacrificium propitiatorium, pro totius Mundi ac omnium in eo hominum peccatis, videlicet Christi, Dei hominis, in Cruce peractum, imò ex hoc ipso iterationem Sacrificii, ut vocatur, Missatici damnare, utpotè non solùm non-necessariam & inutilem, sed & non parùm Sacrificio Crucis injuriosam & detrahentem, quod aliàs & alibi ostenditur. Et ut ab ipsâ Sacrificii definitione, quam Augustinus exhibuit, initium fiat, qui Sacrificium esse verum dixit *omne opus, quod agitur, ut Sanctâ societate inhæreatur Deo* &c. nescio, quid in mentem venerit Bellarmino, ut ausus fuerit scribere, *Augustinum non definivisse Sacrificium in genere, nec Sacrificium propriè dictum, sed solum* (in specie) *Sacrificium, quod præcipuè sit internum, & opponatur Sacrificiis legalibus & merè externis &c.* Quamvis enim negari non possit, Sanctum Patrem ibi distinctè de Sacrificiis Testamenti Veteris & Novi egisse, ipsa tamen Definitio Sacrificii ostendit, Eum utriusque Testamenti Sacrificia sub eâ comprehendisse. Id ut Lectori Veritatis studioso fiat manifestum, ex antecedentibus duobus capitibus, quæ cum eo proximè & immediate cohærent, in cujus Initio hæc Sacrificii definitio legitur, repeti debent aliqua huic Instituto quam maximè inservientia. Et quidem cùm *unigeniti Sacerdotis* humanum genus unico coram DEO Patre *placantis* Sacrificio fecisset mentionem, præsupponens, *nos simul omnes Dei Templum, & singulos esse Templa Dei, quia & singulos inhabitare dignetur, ejusq; Altare esse cor nostrum*, de debito Sacrificia Deo obferendi ita scripsit: *Et cruentas cædimus victimas, quando ad Sanguinem usq; pro Ejus veritate certamus; & suavissimum adolemus incensum, cum in ejus conspectu pio sanctoq; amore flagramus; Et dona ejus tanobis nosq; ipsos vovemus & reddimus, Ei Beneficiorum ejus Solemnitatibus festis & diebus statutis dicamus sacramq; memoriam, ne volumine temporum ingrata subrepat oblivio; Et sacrificamus hostiam Humilitatis & Laudis in Arâ cordis igne fervidæ charitatis. Ad hunc videndum, sicut videri potest, Eiq; cohærendum, ab omni peccatorum & cupiditatum malarum labe mundamur, & Ejus nomine consecramur; Ipse enim fons nostræ Beatitudinis, ipse omnis adpetitionis est finis.* Hic est

Dei

Dei cultus, hæc Religio vera, hæc recta Pietas, hæc Deo tantum debita servitus. Post in sequentibus de usu & fructu Sacrificiorum agens, ostendit, eum non DEI, cui Sacrificia obferuntur, sed hominum, qui Deo Sacrificia obferunt, verbis notatu dignissimis: *Non solum igitur pecore, vel quâlibet re aliâ corruptibili atq; terrenâ, sed ne ipsâ quidem Iustitiâ hominis Deum egere credendum est, totumq;, quod rectè colitur Deus, homini prodesse, non Deo. Neq; enim fonti se quisquam dixerit profuisse, si biberit; aut Luci, si viderit. Nec quod ab antiquis Patribus talia Sacrificia facta sunt in victimis pecorum, quæ nunc Dei populus legitimè non facit,* (Notat Ludovicus Vives, in aliis codicibus haberi, *legit, non facit,*) *aliud intelligendum est, nisi rebus illis eas res fuisse significatas, quæ aguntur in nobis, ad hoc, ut inhæreamus Deo, & ad eundem finem proximo consulamus.* Sequitur hinc Sacrificii externi & visibilis à Sacrificio invisibili & interno discrimen & qualiscunque descriptio: *Sacrificium visibile invisibilis Sacrificii sacramentum,* id est, *sacrum signum est.* Illustrat illud insigni Veteris Testamenti Oraculo: *Vndè pœnitens ille apud Prophetam, vel ipse Propheta quærens Deum suis peccatis habere propitium, inquit:* Si voluisses Sacrificium, dedissem. Utique holocaustis non delectaberis. Sacrificium Deo (est) spiritus contribulatus; cor contritum & humiliatum Deus non spernet. *Intueamur, quemadmodum, ubi Deum dixit nolle Sacrificium, ibi Deum ostendit velle Sacrificium. Non vult ergò Sacrificium trucidati pectoris, sed vult Sacrificium contriti cordis. Illo igitur, quod Eum nolle dixit, hoc significatur, quod Eum velle subjecit. Sic itaq; illa Deum nolle dixit, quomodo à stultis ea velle creditur, velut suæ gratiâ voluptatis. Nam si ea Sacrificia, quæ vult, quorum hoc est unum, Cor contritum & humiliatum dolore pœnitendi, nollet eis significare Sacrificiis, quæ velut sibi delectabilia desiderare putatus est, non utiq; de his obferendis in Lege Veteri præcepisset. Et ideò mutanda erant opportuno certoq; jam tempore, ne ipsi Deo desiderabilia, vel certè in nobis acceptibilia, ac non potius, quæ his significata sunt, crederentur. Ac per hoc, ubi scriptum est,* Misericordiam magis volo, quàm Sacrificium, *nihil aliud, quàm Sacrificio Sacrificium oportet intelligi prælatum, quoniam illud, quod ab hominibus adpellatur Sacrificium, signum est veri Sacrificii. Misericordia autem verum est Sacrificium. Quæcunq; igitur in Ministerio Tabernaculi sive Templi multis modis leguntur de Sacrificiis esse Divinitùs præcepta, ad dilectionem Dei & proximi significandam referuntur.* Psal. 51. Osee, 6.

Sequitur nunc ipsa Sacrificii definitio, quam Bellarminus non tam Evangelicis, quàm manifestissimæ Veritati eripere, aliumque sensum ei adfricare & adfingere conatur, ad cujus illustrationem præter ea, quæ *Panigarola* ex proximè sequentibus adduxit, hæc etiam referri debent, quibus Doctor augustissimus porrò suam de verâ Sacrificiorum Deo placentium ratione mentem ita expresit: *Corpus etiam nostrum, cùm per Temperantiam castigamus, si hoc, quemadmodum debemus, propter Deum facimus, ut non exhibeamus membra nostra arma iniquitatis peccato, sed arma Iustitiæ Deo, Sacrificium est.* Quod ubi clasico in hoc argumento Pauli oraculo confirmavit, plus ultra & à minori ad majus argumentum ducens ita scripsit: *Si ergò corpus, quo inferiore tanquam famulo vel tanquam instrumento utitur Anima, cùm ejus bonus & rectus usus ad DEum refertur, est Sacrificium; quantò magis Anima ipsa, cùm se ad Deum refert, ut igne amoris Ejus accensa formam concupiscentiæ secularis amittat, Etq; tanquam incommutabili formæ subdita reformetur, hinc Ei placens, quod ex Ejus pulchritudine acceperit, fit Sacrificium. Cum igitur vera Sacrificia sint opera Misericordiæ, sive in nos ipsos, sive in proximos, quæ ad Deum referuntur, opera verò Misericordiæ non ob alium fiant (finem,) nisi ut à miseriâ liberemur, ac per hoc, ut beati simus, quod non fit, nisi à Bono illo, de quo dictum est:* Mihi autem adhærere Deo bonum est; *efficitur profectò, ut tota ipsa civitas redemta,* hoc est, *congregatio societasq; Sanctorum, universale Sacrificium Deo obferatur per Sacerdotem magnum, qui etiam seipsum in Passione obtulit pro nobis, ut tanti capitis corpus essemus secundum formam Servi. Hanc enim obtulit, in hâc oblatus est, quia secundum hanc Mediator est; in hâc Sacerdos, in hâc Sacrificium est.* Claudit hanc deductionem suam Sacrificialem insigni hoc Epiphonemate: *Hoc est Sacrificium Christianorum, multi unum corpus in Christo sumus; quod etiam Sacramento Altaris fidelibus noto frequentat Ecclesia, ubi demonstratur ei, quod in eâ oblatione, quam obfert, ipsa obferatur.* Rom. 12. Egregiè hæc omnia Augustinus de Sacrificiis in genere & in specie, Judæorum in Veteri Testamento & Christianorum in Novo, externa & visibilia ab internis & invisibilibus optimè distinguens, additâ ibi Definitione generali, ad omnia in utroque Testamento Sacrificia pertinente, ubi juxta præscriptum Lemma de *vero perfectoq; egit Sacrificio*, quod Lemma ab Evangelico profectum nemo dicet. Cadunt hinc per se, quæcunque Bellarminus & post Eum *Panigarola*, aliique non pauci ad infringendam hanc

Defi-

Definitionem ejusque valorem minuendum ex Ingenii imbecillitate sunt commenti. Sicut enim vi Veritatis coactus agnoscere debuit Bellarminus, verum id esse Sacrificium, quod Augustinus definivit, *ratione dignitatis & effectus*; Ita falsum est, dum ei inesse negat *rationem formæ & essentiæ Sacrificii propriè dicti*, ad specialem sui Sacrificii Missatici Rationem humanâ solùm authoritate nixam respiciens. Et hinc falsum quoque est, *Sacrificia solùm externa esse Sacrificia magis propriè dicta*; hâc quamvis iterùm veritate intermixtâ, *Sacrificia interna esse præstantiora & Deo gratiora, ac Deum facilius placare*, quàm externa, præprimis si devotione internâ & verâ Fide destituantur. *Præterea*, dissimiles valdè sunt locutiones, inque nullam venire possunt comparationem, quando Augustinus verum esse Sacrificium dicit *omne opus, quod agitur, ut sanctâ societate inhæreatur Deo &c.* & quando Christus se veram Vitem esse dicit. Christus enim ibi expressè non definivit rationem veræ Vitis, sicut Augustinus veri Sacrificii, sed semetipsum in specie, Joh. 15. vel in individuo potius dixit esse veram Vitem, quâ ratione si Augustinus Missæ Sacrificium dixisset esse verum Sacrificium, scio, Bellarminus existimasset, habere se ex Augustino irrefutabile pro Missæ Sacrificio argumentum & testimonium, contra quod Inferorum portæ cum omnium hæreticorum & schismaticorum exercitibus prævalere nullo planè modo possent; quod verò, dum Augustinus non scripsit, ubi quam-maximè, loco nimirùm debito, scribere debuit, si hoc Missæ Sacrificium pro Sacrificio vero & propriè ita dicto, &, quod Missifices Papæi hodiè cum Bellarmino post Definitionem Tridentinam unanimiter urgent, pro unico Ecclesiæ Novi Testamenti Sacrificio, ex communi & receptâ tum temporis Sententiâ agnovit, ad authoritatem pertinet argumenti negantis, hic quidem non minimi, sed maximi ex debito æstimandam. Fallissimum porrò est, *Augustinum ab hâc Sacrificii definitione expressè omnia Veteris Legis Sacrificia excluſisse*, utpotè, *quæ propriissimè Sacrificii nomen & rationem retineant*; dum non solùm contextus integer, ex quo præcipua ejus capita fuêre excerpta, aliud planè ostendat, sed & alia ejusdem Sancti Patris locaidem argumentum tractantia manifestum faciant, Eum Veteris Testamenti Sacrificia, quæ Bellarminus pro Sacrificiis propriissimè ita dictis habet, non nisi pro Signis & figuris Sacrificii unici verè & propriè propitiatorii habuisse. Inde Doctor augustissimus notanter, ubi in prolixâ Definitionis à se propositæ explicatione id præprimis necessariò observandum monuit, uni tantùm, vero & lib. 10. de Civ. Dei. c. 20. invisibili DEO obferri debere Sacrificia, scripsit: *Hujus veri Sacrificii multiplicia variaq; Signa erant prisca sanctorum Sacrificia, cùm hoc unum per multa figuraretur, tanquam verbis multis res una diceretur, ut sine fastidio multùm commendaretur.* Et alibi in eodem argumento occupatus demonstravit, *Sacrificium non deberi, nisi uni & verò Deo, quod Et unus & verus Sacerdos obtulit, Mediator Dei & hominum, cujus Sacrificii promissas figuras in victimis animalium celebrari oportebat*, scripsit, *propter commendationem futuræ Carnis & Sanguinis, per quam unam victimam fieret Remissio peccatorum de carne & sanguine contractorum, quæ Regnum Dei non possidebunt; quia eadem corporis substantia in cœlestem commutabitur qualitatem, quod Ignis in Sacrificio significabat, velut absorbens mortem in victoriam. In eo autem populo ritè sunt hæc celebrata, cujus & Regnum & Sacerdotium prophetia erant venturi Regis & Sacerdotis, ad regendos & consecrandos fideles in omnibus Gentibus, & introducendos in Regnum Cœlorum & Sacrarium Angelorum ad Vitam æternam.* Iterùm alibi ad- De Fide ad Petrum, c. 11. huc apertius: *In Sacrificiis carnalium victimarum, quæ ipsa sibi Sancta Trinitas, quæ unus est Deus novi & Veteris Testamenti, à Patribus nostris obferri præcipiebat, illius Sacrificii significabatur gratissimum munus, quod pro nobis seipsum solus Dei Filius secundum carnem misericorditer esset oblaturus. Ipse enim secundum Apostolicam Doctrinam obtulit semetipsum pro nobis oblationem & hostiam Deo in odorem Suavitatis. Ipse verus Deus & Pontifex, qui pro nobis non in sanguine taurorum & hircorum, sed in Sanguine suo semel introivit in Sancta; quod tunc Pontifex ille significabat, qui cum sanguine in Sancta Sanctorum per singulos introibat Annos. Iste igitur est, qui in se uno totum exhibuit, quod esse necessarium ad redemtionis nostræ sciebat effectum; idem scilicet Sacerdos & Sacrificium, idem Deus & Templum. Sacerdos, per quem sumus reconciliati; Sacrificium, quo sumus reconciliati; Templum in quo sumus reconciliati; Deus, cui sumus reconciliati. Solus tamen Sacerdos, Sacrificium & Templum, & hæc omnia Deus secundum formam servi.* Et huc pertinet, quod in laudatâ Definitionis explicatione, ut eam ostendat esse generalem, adque omnia utriusque Testamenti Sacrificia referendam, itidem in genere & ad præsens Institutum quam adcommodatissimè observavit Augustinus, *quod ab hominibus adpellatur Sacrificium, signum esse veri Sacrificii*; ut alia nunc præteream, quæ ex visceribus integri contextûs falsissimam Bel-

Bellarmini Glossam esse evincunt, uberius non eruenda, ne Lectoris judicio videar diffidere. Sed & *Panigarolæ* inconsequentes consequentiæ & deductiones hisce observatis evanescunt. Neq; enim Augustinus, neq; Ejus ductu Missæ Sacrificium è numero Sacrificiorum propriè ita dictorum excludentes Evangelici, & quicunque alii, in serie Testium Veritatis hoc in puncto memorantur, *Sacrificium cordis* solùm pro Sacrificio propriè ita dicto, cum exclusione vel Sacrificiorum V. T. vel Sacrificii à Christo in Cruce peracti agnoscunt, sed eidem, sicut aliis in V. T. Sacrificiis, quamvis certo cum discrimine, definitionem Sacramenti competere defendunt. Idem de homine testatur Augustinus, quoad *animam & corpus*, ad Apostoli authoritatem provocans, quam nullo planè modo imminuit, quod *Panigarola* ex communi apud Vulgum usu loquendi *de homine scelesto* malefactis mortem merito deblaterat, pessimè à stylo hominum ad Spiritûs S. stylum, & versâ vice argumentatus, ac utrumque inter se turpiter confundens; qui si insuper inter Sacrificium Christi unicum, ad quod Sacrificia V. T. respexerunt, & Sacrificia Christianorum non unius generis & speciei, quorum fructus tamen & valor ab unico hoc Christi Sacrificio verè propitiatorio dependet, distinguere didicisset, facilius Augustini mentem & hanc rem totam capere & intelligere potuisset. Ad cætera nunc ut transeamus testimonia, quibus ex Augustino demonstrare voluit Bellarminus, *in Ecclesiâ Christi unum tantùm esse verum ac proprium sacrificium*, Missæ nimirùm, *nec Sacramenta vel alia quævis opera bona, quæ ad Deum fiunt colendum, propriè Sacrificia esse*, facilè etiam ubivis est responsum. Dum enim Epulas, quas suo tempore super Martyrum Sepulchra non quidem *à melioribus Christianis* poni scripsit, *nullam talem in pleris q; terrarum esse consuetudinem* testatus, numero Sacrificiorum excludens, unum esse docuit, *quod Deo obfertur, Sacrificium*; manifestum est, loqui Eum de Sacrificio Christi propitiatorio, cujus memoria in Sacramento Eucharistiæ celebratur, juxta Sensum illorum ex Augustino testimoniorum, quæ *Picherellus* supra non parcè ex variis Ejus Scriptis suppeditavit. Ita alibi scribens, *Sacramentis T.V. successisse Sacrificium, quod Christus post in Ecclesiâ celebrari voluit pro illis omnibus*, nimirum Sacramentis & Sacrificiis, quæ in eodem sensu Augustinus hic videtur habuisse; nihil iterùm aliud significare voluit, quàm sublationem cruentorum in V. T. Sacramentorum & Sacrificiorum, qualia à Christianis in N. T. amplius non requiruntur, postquàm pretiosissimus summi Sacerdotis in Crucis Arâ effusus Sanguis scholam Sacrificialem V. T. clausit & quasi obsignavit, cujus Sacrificii verè & in se propitiatorii celebratio memorialis in Eucharistiæ Sacramento Christianis fidelibus commendata ab ipso Sacerdote summo & Testamenti conditore Christo, vice omnium Sacrificiorum est, quæ numero ferè innumero olim obferebantur, unicum illud Sacrificium typicè ex instituto Dei præsignificantia, & alto quasi clamore prænuntiantia. Eadem est ratio cæterorum ex Augustino locorum, quibus Eucharistiæ Sacramentum vocat *verissimum, singulare & unicum Sacrificium*, eo nimirum sensu, quo *Picherellus* docuit, & quo verè Sacrificium Crucis unicum N. T. Sacrificium dicitur, cruentum nempè & propitiatorium, cæteris omnibus utriusque Testamenti Sacrificiis vim & virtutem communicans, sine quâ neque Sacrificia V. T. cruenta, Deo placuerunt, neque Sacrificia N. T. incruenta Deo ullatenus placere possunt. Hoc sensu & ad hanc Augustini mentem si adhuc hodiè Sacramentum Eucharistiæ dicatur Sacrificium, videlicet propter memoriam Sacrificii in Cruce oblati, Evangelici non adeò refragantur, utut Augustana Confessio, teste Ejusdem Apologiâ, consultò hoc Sacrificii nomen in descriptione Sacramenti Eucharistiæ propter ambiguitatem vitaverit, nec hodienùm cuivis pro arbitrii libertate licitum sit, hoc nomen in Eucharistico hoc negotio in Ecclesiam reintroducere, eamque fermento hoc Papistico, à quo DEI gratia per Lutheri Ministerium fuit repurgata, de novo inficere, quod non planè nullis inter Irenicos & Syncretistas hactenus placere fuit visum, de quo alibi & aliàs.

vid. D. Hülsem. Dial. Apol. p. 354.

CAPUT SEXTUM,
De
Sacerdotio Melchisedeci.

INter argumenta, quibus veritatem Sacrificii Missæ Bellarminus demonstrare satagit, in acie & primo exhibet loco typum vel figuram Melchisedeci, quem tanquam Sacerdotem Abrahamo Patriarchæ post victoriam redeunti obviam factum obtulisse

Panem & vinum, Augustini etiam authoritate evincere laborat, de quibus breviter videndum. Quinque autem profert inprimis testimonia. *Primum*, quod ad Pontificem tunc Romanum suo & aliorum multorum Episcoporum nomine Augustinum scripsisse dicit Bellarminus, hoc est: *Melchisedech prolato Mensæ Dominicæ Sacramento*

Epist. 95. ad Innoc. *novit æternum Ejus Sacerdotium figurare.* Addit loco Glossæ Bellarminus, *Hic apertissimis & paucissimis verbis docet Augustinus, oblationem Melchisedech Eucharistiæ figuram fuisse, & in Eucharistiâ obferendâ consistere æternitatem Sacerdotii Christi.* Secundum

lib. 16. de Civ. Dei, cap. 22. sequitur: *Ibi primum adparuit Sacrificium, quod nunc à Christianis obfertur DEO, toto orbe terrarum* &c. In tertio, inquit Bellarminus, clarissimè dicit, *Sacerdotium Christi perpetuum secundum ordinem Melchisedech esse id, quod nunc in Ecclesiâ viget in oblatione, quæ ad Altare fit.* In quarto, scribit iterùm Bellarminus, idem fusius persequitur, inter alia sic loquens: *Dictum est illi, juravit Dominus, & non pœnitebit*

in Psal. 110. lib. 1. contra adverf. Legis, cap. 20. *Eum; Tu es Sacerdos in æternum, secundum ordinem Melchisedech. Noverunt, qui legunt, quid protulerit Melchisedech, quandò benedixit Abraham; & jam sunt participes Ejus, vident tale Sacrificium nunc obferri DEO toto orbe terrarum. DEI autem juratio, incredulorum est increpatio. Et quod DEVM non pœnitebit, significatio est, quia hoc Sacerdotium non mutabit; mutavit quippè Sacerdotium, secundum ordinem Aaron.* Quintum de reliquiis Martyrum tractans, quæ sub Altaribus requiescunt, ita habet:

Serm. 11. de Sanctis, *Quid reverentius, quid honorabilius dici potest, quàm sub illâ requiescere Arâ, in quâ Sacrificium Deo celebratur, in quâ obferuntur hostiæ, in quâ Dominus est Sacerdos, sicut scriptum est: Tu es Sacerdos in æternum &c.* Et quia in partem contrariam illud Augustini testimonium laudari non nescivit Bellarminus, quo *à Melchisedeco panem & vinum Abrahamo datum esse*, cum aliis quibusdam Patribus scripsit, indè de Respon-

in Quæst. V. & N. T. num. 109. so etiam sollicitus fuit, quo testimonium hoc adversariis eriperet: *Locus ex Augustino citatus neque Augustini est*, inquit, *neque pro adversariis facit, sed pro nobis. Author enim illarum Quæstionum multos habet errores, qui ab Augustino refelluntur; & inprimis in illâ ipsâ Quæstione contendit ille Author, Melchisedecum esse Spiritum sanctum, quem errorem ex professo refellit Hieronymus in Epistolâ ad Evagrium. Quod autem Author ille, quicunque fuerit, de oblatione Melchisedeci scribit, pro nobis facit contra adversarios; dicit enim, Melchisedecum obtulisse Abrahamo Eucharistiam corporis & Sanguinis Domini, ex quo intelligimus, illi Authori non fuisse profanum & commune Convivium, quod exhibuit Melchisedech Abrahæ, sed sacrum Eucharistiæ typum, quod nunc adversarii pertinaciter negant.* Hæc Bellarminus, cui nullum aliud debetur responsum, quàm quod laudatus ad Caput antecedens Sorbonista *Picherellus* ante Bellarminum dedit, quamvis Bellarmino vix lectum. Is prolixissimè iterùm de hâc re, & ex Augustino quidem egit, undè sequentia, quæ hic in gratiam Lectoris studiosi adscribantur, o-

Opusc. p. 116. & seqq. mninò digna sunt, imò dignissima: *scio, multos legisse & intellexisse, Melchisedecum DEO panem & vinum obtulisse. Vndè in Missæ Latino Canone legitur Sacrificium Abrahæ, & quod DEO obtulit summus DEI Sacerdos Melchisedech. Sed Panem & vinum oblata*

Ebr. 7. *non DEO, sed Abrahamo, habeo etiam ex Patribus vetustissimis. Paulus Melchisedecum ait Abrahamo revertenti à prælio occurrisse, & Ei benedixisse, id est, si locum conferas cum Genesi, & ex duobus unum conficias,* Melchisedecum Abrahamo revertenti à prælio occurrisse, *eundemque illum Salemi Regem huic panem & vinum* obtulisse, (*feratur hoc verbum paulisper, ut videamus, cui* obtulisse *dici possit* Melchisedecus; *non legitur enim,* obtulit, *sed,* protulit,) *& eum ipsum Dei altissimi Sacerdotem huic benedixisse. Obsecro, quis jam in Genesi possit esse dativus verbi* obtulit, *nisi relativum ei, subauditum in Ebræo quidem, à Græcis verò expressum, paulò post alteri verbo,* benedixit, *subjunctum? an DEO extrinsecus subauditum? quod si Deo; relativum ei post expressum quem referet? DEumne? Atqui Paulus vult referre Abraham, quem sequuntur Cyprianus & Augustinus,* citatis ex hoc præter ultimum, secundo & quarto testimoniis, quibus suam de oblatione Melchisedecianâ Sacerdotali & Sacrificiali Sententiam Bellarminus confirmare est adnisus. Pergit Sorbonista, egregius Confessor Veritatis Evangelicæ: *Quia in hunc Pauli locum incidimus, adnotabimus obiter, Apostolum, ut Sacerdotii similitudo ostendatur, Christum componere cum Melchisedeco, & quæ ad similitudinem faciunt, diligenter persequi; nec tamen Panis & Vini oblationis, nec ipsi quidem Abrahamo factæ meminisse, ut videatur factum, quod in Genesi legitur expressum, deditâ operâ prætermissum & tacitum tanquam similitudini nihil inserviens. Veniamus ad Veteres Ecclesiæ Doctores. Cyprianum adversarii laudant, qui multa de Similitudine hâc adducens disertis illud verbis nominet, quod omisit Paulus, nempè quod Melchisedecus*

decus Panem & vinum obtulerit; cujus Sententiam sequi videtur Augustinus. Num igitur Deo obtulerit? nam illud esse verum non facilè concedam, cùm, quidquid dicant Cyprianus & Augustinus, in Panis tamen oblatione dativum Deo non exprimant. Post plura de loco Cypriani, quæ huc propriè non pertinent, laudatumque Augustini ex *Quæstionibus mixtis* testimonium, quod Bellarminus ex unâ parte suspectum habet, ex alterâ autem sibi accommodare laborat, ita porrò scribit Picherellus: *Quod si, locum objiciant ejusdem Augustini,* ut illud, quod Melchisedecus obtulit DEO, jam per totum orbem terrarum in Ecclesiâ Christi videamus obferri; *remittam eos ad Augustinum,* citato, præter secundum, tertium & quartum testimonia, ad quæ Bellarminus etiam provocavit, libro ad Petrum, ex quo ad caput antecedens quoque authoritas fuit desumta, *ubi similes leguntur Sententiæ,* inquit, pro Responsione addens: *Nunc autem aut ex ipsis locis clarum fit illic verbo obtulit postponendum hypostigmen,* (comma,) *non dativo Deo, ut dativus pertineat ad infinitivũ,* obferri, *non ad præteritum,* obtulit, *legaturq;* ut illud, quod Melchisedecus obtulit, Deo jam per totum orbem terrarum in Ecclesiâ Christi videamus obferri; *aut Augustinum in ejusdem facti narratione ostendant à seipso non dissentire.* Prolixè postmodùm de ipso Geneseos Textu & accuratissimè quidem agit, hinc indè Augustini mentionem intermiscens, quæ tamen omninò hic exscribere non vacat. Addam nunc saltim breviter, quæ idem Scriptor in subjunctâ Adpendice ad hanc de Missâ Dissertationem, contra *Maldonatum* in suis ad Psalmum centesimum & decimum Prælectionibus hoc Missæ Sacrificium ex eo stabilire conatum, & præter aliorum Patrum ad authoritatem Augustini quoque provocantem, observavit, ubi prius ipsa *Maldonati* verba ex Commentariis conjunctim Parisiis antehàc editis huc pertinentia adscripsero: *Scriptura docet, Melchisedech fuisse sacerdotem. Ergò sacrificavit verè, atq; adeò Panem & Vinum, quia dicere, aliud (Eum) sacrificasse, amentis est. Quod verò Sacrificium Melchisedech sit figura Sacramenti & Sacrificii Eucharistiæ, posito, Illum sacrificasse Panem & Vinum, confirmatur etiam ex communi omnium Doctorum Ecclesiæ Catholicæ, tàm Græcorum, quàm Latinorum, nemine dissentiente,* (audax pronuntiatum) *consensione; qui cùm loquuti sunt de comparatione Melchisedech & Christi Domini, non solùm dixerunt, verè Melchisedech Panem & Vinum sacrificasse, sed ejus sacrificium fuisse figuram Sacrificii Christi, neq; solùm in Cruce, sed quod exhibuit cœnans cum Apostolis. Sed tamen de tempore, quo sacrificavit Melchisedech, duæ sunt præcipuæ eorum Sententiæ. Quidam dicunt,* ut Clemens Alexandrinus, Chrysostomus, Ambrosius, *Melchisedecum non tunc sacrificasse, quando protulit Abrahamo panem & vinum, sed protulisse Et panem & vinum jam anteà sacrificatum, qualem decebat Sacerdotem Dei obferre. Alii autem Doctores Catholici, ut* Epiphanius, Eusebius Cæsariensis, Athanasius *apud* Oecumenium *& alij dixerunt, Melchisedecum sacrificasse panem & vinum, quod protulit, cùm benedixit Abraham, ut istud fieret figura non solùm Sacrificii & Sacramenti Eucharistiæ Ratione Panis & vini, sed etiam ratione ceremoniarum & Benedictionum multarum, quæ in Missâ, cùm istud fit Sacrificium, à Sacerdote fiunt. Alii autem Doctores Catholici,* ut Augustinus, Hieronymus, Theodoretus, Photius *idem cum superioribus sentiunt. Quare ex consensu omnium Ecclesiæ Doctorum constat, non solùm, Melchisedecum sacrificasse Panem & Vinum, sed etiam, Ejus Sacrificium fuisse figuram Sacrificii Christi.* Hæc & adhuc plura ibi *Maldonatus,* ad quæ sequentem in modum respondet Picherellus: *De Veteribus Ecclesiæ Patribus respondeo, fateri me, veteres Ecclesiæ Doctores ferè omnes ad Sacerdotium Melchisedeci locum transtulisse,* ut Cyprianum, Arnobium, Ambrosium, Hieronymum, Augustinum, (*Cypriani simium*) *& reliquos penè omnes; non ubiq; tamen. Sed & ante eos non sic exposuêre* ***Justinus ad versus Tryphonem,*** Justinumque *secutus & imitatus* Tertullianus. *Porrò veterum Expositio me non in magnam trahit admirationem, quos, (bonâ Eorum veniâ dictum volo,) ubicunq; Panis & Vini in Scripturis inveniebant mentionem, locum ferè ad Eucharistiam detorsisse, & illa hujus typum fuisse,* σὺν πολλῇ παῤῥησίᾳ *scripsisse, est manifestum.* Maldonatus *ipse versum exponens,* de torrente in viâ bibet, *quorundam veterum recitabat opiniones,* Arnobii *maximè, quas minimè probat. Quare hic potius antiquis me adstringet, præsertim, cùm hic ex contextu, ne quidem per Allegoriam, elici queat Sacrificium; illic autem Allegoria non incommodè locum habere possit? Hactenus nobis sacro-sancta sit valeatque Patrum authoritas, quatenus Scripturæ verbis est consentanea; neq; enim juxta Pythagoræ discipulos præjudicata Doctoris opinio, sed doctrinæ ratio ponderanda est, ut Minerio & Alexandro loquitur Hieronymus.* Et post aliqua: *Bona veterum pars ajunt quidem, Melchisedecum Deo obtulisse; verùm, Abrahamo panem & vinum oblata, habeo etiam ex Patribus,* quæ iis ex Paulo, Eccle-

lib. IV. de Doctr. Christ. cap. 20.

lib. 38. Quæst. num. 61.

pag. 802. & 803.

Opusc. p. 347.

siæ Doctorum, ut ait, vetustissimo, Augustino item confirmat, quorum pleraq; ex ipsâ Dissertatione prævià jam sunt adducta, præmissis *Iosephi*, quem Bellarminus quoque inter Ecclesiæ Doctores refert, & subjunctis post *Tertulliani*, etiam *Lombardi & Damasceni* testimoniis, à communi aliorum Sententiâ hic non sine causâ recedentibus, quæ si rite attendantur, non parum ad rem hanc momenti habere deprehendentur. Sed, ut ex abundanti illud quoque addam, alii plures antiqui Ecclesiæ Doctores hanc Melchisedecianam Panis & vini oblationem vel potius prolationem *Abrahamo* factam non sacrificandi, sed reficiendi causâ fuisse factam docuerunt, interque eos plerique, qui à parte adversariâ pro suâ opinione laudantur, nominatim præter citatos *Clemens Alexandrinus, Cyprianus, Epiphanius, Ambrosius, Chrysostomus, Eucherius, Euthymius*, quorum testimonia *D. Dorscheus in Mysteriâ Missæ* adducit, & contra Bellarminum vindicat, ex recentioribus Scripturæ apud ipsos Papistas Interpretibus adjiciens *Cajetanum & Isidorum Clarium*, quibus nunc subjungo *Hieronymum ab Oleastro*, Lusitanum, Ordinis Prædicatorum superiori Seculo inter Tridentinæ Synodi Patres Scriptorem satis clarum, hæc in literali Expositione scribentem: *Quod dicitur, Melchisedecum protulisse Panem & Vinum, putant quidam, hoc Eum fecisse ad pascendos viros, qui erant cum Abraham, qui venerant ex Bello lassi. Videns enim Eum cum suis lassum, ex suâ Civitate protulit Panem & vinum, quo bellatores resumerent vires.* Et postquam observavit, vocem Ebræam, quâ Melchisedeci persona describitur, non solùm in Sacris literis significare Sacerdotem, sed Principem quoque, exemplis id illustrans, frequentius tamen significare Sacerdotem dixit, addens, *& hic pro Sacerdote videtur accipiendum, quoniam benedixit Abrahæ, quod munus erat Sacerdotis, licet non solum, ut ex multis sacræ Scripturæ constat locis; tùm quia Illi decimas dedit Abrahamus, quæ Sacerdotibus dari solebant.* Ubi etiam moderni cujusdam Versionem castigavit, qui pro Sacerdote Principem substituit, hæc porrò subjecit: *Cum Paulo potius est sentiendum, quod scilicet iste Melchisedecus fuerit Dei Sacerdos, & quod panem & vinum* (non propriè obtulerit, sed potius) *protulerit ad Sacrificium gratiarum actionis*, (ergò non ad Sacrificium propitiatorium, quale Sacrificium Missæ dicitur,) *pro debellatis hostibus Abrahæ*, (Abrahæ, inquam; in casu non genitivo, sed dativo, quo indicatur, cui fuerit exhibitum hoc Sacrificium, videlicet, non Deo, sed *Abrahamo*, & hinc Sacrificium non propriè dictum, quia homini, & quidem loco gratiarum actionis exhibitum.) Hanc esse mentem doctissimi suo tempore Commentatoris, cujus in Genesin opus Inquisitionis examen subiisse in Titulo significatur, sequentibus proximè verbis indicavit: *Adverte, quod licet Interpretes Græci & Editio Vulgata vertant*, Erat enim Dei Sacerdos, *quasi sequens Sententia prioris causam reddiderit, in Ebræo tamen est*, & ipse Sacerdos Deo &c. In Expositione Morali quasi ex visceribus ipsius Textûs ad literam expositi hanc adposuit doctrinam: *Occurrendum est lassis cum victu. Unde præcipit Dominus non admittere Ammonitas & Moabitas in Ecclesiam Domini, in decimâ etiam generatione, eò quod non occurrerunt Israelitis ex Ægypto venientibus cum aquâ & pane.* Alius quidam ejusdem Seculi superioris ex eodem ordine Scriptor & in Genesin Commentator, *Guilielmus Hammerus*, etsi gravem hic loci contra Evangelicos invectivam Lectori exhibuit, vi tamen Veritatis coactus ingenuè debuit agnoscere, *Officium Melchisedeci erga Abrahamum satis ipsam aperire Scripturam, quod nimirum Ei, videlicet Abrahamo, à cæde quatuor Regum triumphabundè domum redeunti panem & vinum obtulerit, eiq; benedixerit*, quod hactenus quidem contra Missæ Sacrificium satis esse potest. Sed demus, id quod negare non licet, inter cæteras plures convenientias, quamvis secundarias, quas in collatione Melchisedeci & Christi, Patrum & Ecclesiæ Doctorum aliqui & inter eos Augustinus, suis ducti Meditationibus observârunt, eos aliquam in Sacramenti Eucharistiæ adumbratione analogicâ quæsivisse, quod nimirum sicut Melchisedecus Abrahamo & sociis militibus lassitudine ex Bello confectis pro refectione panem obtulit & vinum, ita Christus quoque spiritualibus Abrahæ filiis bonam militantibus militiam, inque Bello adversus varios hostes continuò laborantibus & oneratis panem & vinum, imò plus, adeoq; suum corpus & Sanguinem, symbolis hisce sacramentaliter unitum, in refectionem sempiternam præbeat comedendum ac bibendum; quâ accommodatione, Fidei quidem analogâ, sed nullo planè in Sacris utriusq; Testamenti literis indicio directè comprobatâ, quæ rectius Allegoria, quàm typus dicitur, inque rei veritate nihil amplius quàm similitudinẽ quandam cum Sacramento Eucharistiæ importat, adquiescimus; sed quid quæso ad Sacrificium Missæ, cujus à Sacramento Eucharistiæ discrimen ipsimet Doctores Papæi ultrò agnoscunt? Nullus certè Patrum ex antiquis orthodoxorũ suas de hâc oblatione Melchisedecianâ Meditationes eò direxit, ut ali-

cap. III. §. 72. & seqq.

Devt. 23.

conf. Ursin. Anal. S. lib. 6. cap. 21.

vid. D. Walth. offic. Bibl. p. 365. conf. Herberg. in Magnal. h. loc.

aliquod Sacrificium indè exstrueret incruentum, hancque dederit comparationis cum Sacrificio Missæ rationem, ut, quemadmodum Melchisedecus Sacrificium, idq; incruentum, & quidem non carnes & Sanguinem animalium, sed simplicem purumq; Panem & vinum obtulerit, adeòque Deo sacrificaverit; ita Christus quoque in Sacrâ Eucharistiâ ejusque primâ Institutione incruentum corporis Sanguinisq; sui obtulerit Sacrificium, & idem Apostolos ac Sacrificos quosvis, tanquam Apostolorum successores, in Sacrificio Missæ singulis diebus, imò singulis penè momentis obferre & sic sacrificare jusserit. Et si talis ac hujus per omnia sensûs oblationis Melchisedecianæ cum Sacrificio Missæ comparatio ex aliquo Patre antiquo & orthodoxo, &, quod huc propriè pertinet, ex *Augustino* inprimis poterit ostendi, tum de alio quodam Responsionis genere solliciti erunt Evangelici, ea inter eo contenti, quod *Picherellus* suprà liberaliter suppeditavit, quod jam ubi in specie breviter ad ea adplicabimus testimonia, quæ Bellarminus pro suâ commendavit cum aliis explicatione, manifestum erit, *Augustinum*, etsi vocabulo Sacrificii in sensu latiori usum, de quo itidem antè ex *Picherello* fuit dictum, in comparatione hujus oblationis Melchisedecianæ cum Sacramento Eucharistiæ ad Sacrificium in Cruce oblatum verèque propitiatorium juxta Testatoris institutum respicientis, nihil planè negotii habuisse cum Sacrificio Missæ, quod juxta sensum à Bellarmino & aliis Doctoribus Papæis propositum Augustino & Ecclesiæ tum orthodoxæ omninò fuit incognitum. Nam etsi S. Pater in *primo*, quod Bellarminus laudavit, testimonio Melchisedecum dixit *prolato Mensæ Dominicæ Sacramento æternum Christi Sacerdotium figurâsse*, nihil tamen dixit de Sacrificio Missæ, de cujus præfiguratione hic inprimis sermo est. Ita dum in *secundo* scripsit testimonio, in oblatione Melchisedecianâ Abrahamo factâ *primum*, sive adverbialiter primùm, quasi primò vel primâ vice, sive adjectivè primum, quasi primarium vel præcipuum intelligatur, *adparuisse Sacrificium, quod nunc à Christianis Deo obfertur toto orbe terrarum*, nihil aliud voluit, quàm quod illa oblatio Melchisedeciana juxta testimonium antecedens præfigurârit Sacramentum Mensæ Dominicæ, quod alibi Sacrificium memoriale & Memoriam Sacrificii in Cruce oblati Eum dixisse, supra non semel ex locis à *Picherello* citatis vidimus. Par est ratio locorum huic ex eodem opere parallelorum. Nec quidquam aliud dixit in *tertio* augustus Doctor, *æternum Christi Sacerdotium*, non secundum ordinem *Aaron*, sed *secundum ordinem Melchisedech* contra Judæorum pertinaciam urgens, nullâ ne verbo quidem Sacrificii Missatici mentione factâ, quæ omninò fieri debuit, si Melchisedeci oblatio hujus, & non potius Sacramenti Eucharistiæ typus juxta Augustini Sententiam fuit. *Quartum* quoque testimonium expressè Lectorem ad Sacramentum Eucharistiæ ducit, dum de fidelibus dicitur, quod hujus Melchisedecianæ oblationis, nimirùm in Anti-Typo, *jam sint participes*, ad quem videlicet modum in typo Abrahamus cum suis factus fuit particeps, quam comparationem Sacrificio Missatico non quadrare, per se manifestum est. Sed & *quintum* ad eundem respicit scopum, *Altare* commendans, *in quo Dominus est Sacerdos*, secundum ordinem Melchisedech, videlicet non ut Sacerdos Missaticus, qui solus fiat particeps oblationis, cæteris omnibus exclusis, qualis nec Melchisedecus fuit; sed è contrario ut Sacerdos dispensator & activè communicans, sicut Melchisedecus Abrahamum & servos Ejus pane & vino refecit. Quod testimonium ex opere *Quæstionum Veteris & N. T.* attinet, de quo Bellarminus pronuntiat, *quod Augustini non sit*, (etsi, ut de aliis Scriptoribus Papæis ejus authoritate utentibus non dicam, ipse Bellarminus suprà ad eam pro Petri, & hinc Pontificis Romani primatu, inter cæteros viginti quatuor Patres, quos totidem Senioribus Apocalypticis comparavit, sine ullâ exceptione provocaverit;) *& quod magis pro se, quam pro nobis sit*, utut in eo victoriam non collocent Evangelici, ipse tamen Bellarminus iterùm in demonstratione succubuit, Melchisedeci convivium *Eucharistiæ typum* fuisse probans, non autem Missæ, quod in quæstione est. *Ad Maldonatum*, præter id, quod *Picherellus* in genere pariter & in specie circa Augustini Sententiam de oblatione hâc Melchisedecianâ observavit, quamvis nullum ex Augustino testimonium expresserit, dum tamen Eum inter eos retulit Doctores, quos dixit *Catholicos*, qui statuerunt, *Melchisedecum non tunc sacrificasse, quando protulit* (NB.) *Abrahamo panem & vinum, sed protulisse Ei panem & vinum jam anteà sacrificatum*, id est, sanctificatum, qualiter Apostolus omnem cibum & potum à fidelibus vult sanctificari per devotas ad DEum pro cœlesti benedictione preces; non video, quo illud modo ad Sacrificium Missæ, & non potius ad Sacramentum Eucharistiæ pertineat, ad quod Augustinum in citatis à Bellarmino testimoniis respexisse, hactenus sufficienter est demonstratum.

lib. I. de Rom. Pont. cap. 21.

NB.

CAPVT SEPTIMVM,
De
Figurâ Agni Paschalis.

ITerùm hic Bellarminus peccat ignoratione simulatâ Elenchi, vel confusione potius duarum Quæstionum diversissimarum, dum probare intendens, *Sacrificium Missæ præfiguratum esse per Agnum Paschalem*, ut Lemma huic capiti præscriptum habet, delabitur ad demonstrationem Sacramenti Eucharistiæ, de quâ jam in antecedentibus Libris prolixissimè disputaverat. Et quia testimonium Augustini ab Eo laudatum, sicut & cætera aliorum Patrum, nihil aliud in se continet, nullam ulterius operam requirit, ut augustus Doctor à nostris stare partibus contra Missaticos videatur. Illud tantùm nunc restat excutiendum, ut, quia contra hanc Agni Paschalis pro Sacrificio Missæ figuram à Papæis Doctoribus opere tanto jactatam *Chemnitius* in genere ex Augustino quædam monuit, videamus, quid Bellarminus in contrarium urserit, ne Sancti Patris monita hic locum habere videantur. Ita autem Augustinus: *Non ea colligant & commemorent Donatistæ, quæ obscurè, ambiguè vel figuratè sunt dicta, quæ quisq; sicut voluerit, interpretetur secundum Sensum suum; talia enim rectè intelligi exponiq; non possunt, nisi prius ea, quæ apertissimè sunt posita, firmâ Eide teneantur. Sed aliquid proferte, quod non egeat Interprete, nec undè convincamini, quod de aliâ re dictum sit, & vos aliud ad vestrum Sensum detorquere conemini.* Et post: *Hæc mystica sunt, operta sunt, figurata sunt; aliquid manifestum, quod interprete non egeat, flagitamus.* Item: *Quod si ambiguè posita & pro nobis, & pro vobis possunt interpretari, nihil utiq; adjuvat causam vestram, sed planè talia malam causam, vel moras faciendo, sustentant.* Ad hæc Bellarminus, iis jam prætermissis, quæ in genere monet, ita respondet: *Augustinus hic loquitur de illis figuris, quarum explicatio nullum habet à scripturâ testimonium, & ideò semper adjungit, esse obscuras, opertas, interprete indigentes, & quæ possint pro arbitrio in varios detorqueri sensus. Non enim simpliciter rejicit argumentum ex figuris, sed ex obscuris & nondum explicatis, vel in alio Scripturæ loco, vel ab Ecclesiâ. Nam alioqui ipse Augustinus probat, Ecclesiam constare ex bonis & malis, ex parabolis zizaniorum, bonorum ac malorum piscium, & similibus figuratis loqvutionibus. Solum igitur rejicit argumentum ex illis figuris, quarum est incerta interpretatio &c. Adde, quod Augustinus ideò petit à Donatistis testimonia Scripturæ apertissima, nec libenter admittit obscura, quia habebat Ipse apertissima pro se testimonia; nam agebatur de loco Ecclesiæ, an sola esset Africa, an totus orbis terrarum? Et quia plurima sunt testimonia, quæ sine ullâ obscuritate docent, Ecclesiam in toto terrarum orbe futuram esse, meritò Augustinus similia ab adversario requirit testimonia; non enim debent aperta & propria obscuris & figuratis cedere. At in quæstionibus aliis obscurioribus, qualis eo tempore fuit quæstio de Baptismo, Augustinus non provocat ad aperta Scripturæ testimonia, sed ad Ecclesiæ authoritatem, quæ non potest errare in Scripturâ explicandâ, ut patet ex Augustino. Quare si Chemnitius putat, suam causam esse similem causæ Augustini, apertum proferat Scripturæ testimonium, quod non egeat Interprete, ubi legamus, Eucharistiæ celebrationem non esse Sacrificium, & tum jure poterit cum Augustino rejicere argumenta ex figuris.* Sed præterquam, quod Bellarminus in hoc Responso Evangelicis suppeditat, quod pro *Chemnitii* sinceritate in adducendo Augustini testimonio potest inservire; & Augustino insuper non levem infert injuriam, & causæ, quam defendit, malitiam non obscurè prodit. *Chemnitii* institutum juvat, dum Augustinum loqui dicit de figuris illis, *quarum explicatio nullum habet à Scripturâ testimonium*; nec simpliciter rejicere argumentum ex figuris, *sed ex figuris obscuris, & nondum vel in alio Scripturæ loco, vel ab Ecclesiâ explicatis*, quod ultimum aliquantisper, disputantes videlicet ad hominem possumus admittere. Nam Agnum Paschalem fuisse Sacrificii Missæ figuram nullum habet à Scripturâ, nec ab Ecclesiâ vel Orthodoxis Ejus Doctoribus testimonium. *Non à Scripturâ*, quia Bellarminus ipse ad classicum Pauli locum, *Pascha nostrum immolatus est Christus*, provocans, non solùm fatsus est, *Immolationem Agni Paschalis posse* (cur non debere?) *dici figuram passionis Christi*, hac ratione ductus: *Si Agnus ille figura est Eucharistiæ, & Eucharistia est Repræsentatio Passionis, quis neget etiam, Agnum illum fuisse figuram & repræsentationem Passionis*, additâ etiam hâc ex Evangelio Johannis illustratione, *cur non fuerint Christi crura in Passione confracta*, quia videlicet de Agno Paschali ita scriptum sit, *os non comminuetis ex eo*; sed etiam hoc non sufficere existimans, *mediatè ma-*

contra liter. Petil. cap. 16.

& cap. 19.

de Unit. Eccles. cap. 13.

lib. 1. contra Cresc. cap. 33.

1. Cor. 5.

cap. 19.

gis & principaliter ceremoniam Agni Paschalis figuram fuisse Sacramenti Eucharistiæ, non Sacrificii Missæ scripsit, quorum posterius quidem in capitis Lemmate, ut monui, se demonstraturum promisit, de priori autem præstitit. *Nec ab Ecclesiâ* vel orthodoxis Ejus Doctoribus, quorum testimonia, ut itidem jam monui, ad unum omnia typum Agni Paschalis ad Sacramentum Eucharistiæ, tanquam Sacrificii in Cruce oblati memoriale, non ad fictitium illud Missæ Sacrificium retulerunt, quod ad oculum demonstrari posset facillimè, si Instituti Ratio id permitteret vel requireret. Et quod de Ecclesiâ cæterorum Patrum, ad quos Bellarminus provocavit, tempore verum est, de Ecclesiâ etiam illius temporis, quo Augustinus noster vixit, si testimonio Ejus stari debet, dicendum venit. Hoc tantùm breviter notandum est, quod ab initio statim debuit observari, Bellarminum in citandis Augustini verbis, quibus Agnum Paschalem Sacrificii Missæ figuram fuisse demonstrari debuit, & optimam omisisse partem, & mentem insuper augusti Patris pervertisse. Verba Sancti Doctoris hæc adducit Bellarminus: *Aliud est Pascha, quod illi de ove celebrant; aliud, quod nos in corpore & Sanguine Domini accipimus.* Sed plura ibi habet Augustinus ad rem hanc pertinentia, à Bellarmino per fraudem non adeò piam omissa, hic omninò reponenda, quia egregium Evangelicæ Veritati præbent testimonium: *Quemadmodum Pascha, quod à Iudæis celebrabatur in occisione Agni, prænuntiabat Domini passionem & transitum de hoc Mundo ad Patrem, & ipsum tamen Pascha, quod erat in eâdem prænuntiatione, idem Dominus cum suis discipulis celebravit; sic & Baptismum Iohannis, qui erat in proximâ ejus prænuntiatione, ipse etiam suscepit. Sed sicut aliud est carnis Circumcisio Iudæorum, aliud autem, quod octavo die baptizatorum nos celebramus; & aliud est Pascha, quod* adhuc *illi de ove celebrant, aliud autem, quod nos in corpore & Sanguine Domini accipimus; sic alius fuit Iohannis baptismus, alius est Christi Baptismus.* lib. II. contra litter. Petil. cap. 37. De differentiâ Baptismi Johannis & Christi suprà ex Augustino fuit actum. Nunc id quam-maximè notatu est dignum, partim, quod expressè Augustinus Pascha Judaicum antehàc celebratum *prænuntiasse Domini Passionem* scripsit, partim, quod in comparatione Paschatis, quale Judæi, ADHUC hodiè celebrant, cum Sacramento Eucharistiæ Christianorum, in eo discrimen esse dixit, quod illi, nimirùm Judæi, *de Ove Pascha suum celebrent*, (in quo tamen Sanctus Pater erravit, dum post eversionem Urbis & Templi ab esu Agni Paschalis abstineant Judæi:) Christiani autem in Sacramento Eucharistiæ *corpus & Sanguinem Domini* accipiant. Aliter autem omninò scribendum fuisset Sancto Patri, si Sacrificium Missæ in comparationem adducere cum Agno Paschali voluisset. Nunc ad Examen responsi à Bellarmino contra *Chemnitium* ex Augustino agentem dati ut redeamus, dixi, Bellarminum in eo non levem augustissimo Doctori facere injuriam. Certè non sine authoritatis & sinceritatis Augustini detrimento scriptum est, *Eum ideò à Donatistis apertissima Scripturæ testimonia requisivisse, nec libenter admisisse obscura, quia Ipse apertissima pro se habuerit testimonia.* Quid enim, an Augustinus, tam gravis contra Donatistas & alios plures Veritatis Evangelicæ adversarios disputator, tam serius causæ DEI vindex, tam illustri zelo pro Fide Orthodoxâ animatus, ideò tantum obscuriora respuens, aperta Scripturæ testimonia à Donatistis, angularis Ecclesiæ & nimis in arctum coactæ professoribus requisivit, quia Ipse apertissimis fuit instructus; & non potius in gratiam Veritatis & ipsius causæ, quam pro Ecclesiæ tum temporis in orbe universo dispersæ Catholicismo suscepit defendendam, ea non requisiturus, si infirmioribus testimoniis se sciviſſet armatum? Hoc de Augustino dicere, est parùm honorificè & ex merito de Augustini methodo disputandi judicare; quod si Evangelico Scriptori contra Augustinum excidisset, nullum planè est dubium, quin id in contemtum Patris augustissimi scriptum videretur, neque id immeritò vel sine causâ. Neque id verò solum, sed insuper, quod suprà dixi, causæ, quam defendit Bellarminus, malitiam prodit, dum inverso disputandi ordine onus probandi in humeros Evangelicorum devolvere ausus est, petens, ut apertum proferatur Scripturæ testimonium, quod non egeat interprete, ubi legatur, Eucharistiæ celebrationem non esse Sacrificium, quod tamen sui erat officii, tanquam adfirmantis, & demonstrationem vi Lemmatis præscripti in se suscipientis, de quâ arte disputandi, ut hodiè vocatur, novâ, in Adpendice, bono cum Deo, ex Augustini testimoniis contra Fratres Lavvenburgicos uberius agetur. vid. Buxt. Synag. Jud. cap. 18. p. 419. Edit. ult.

CAPVT NONVM & DECIMVM,
De
Vaticiniis Prophetarum.

ANtequam hoc argumentum tractet Bellarminus, in subsidium quoque pro Missæ Sacrificio vocavit Sacrificia V. T. sequenti testimonio Augustini usus: *Mensa, quam Sacerdos N. T. exhibet, de corpore & Sanguine suo est; id enim est Sacrificium, quod omnibus successit Sacrificiis, quæ immolabantur in umbrâ futuri. Propter quod etiam agnoscimus vocem illam ejusdem Mediatoris,* Corpus aptasti mihi &c. *quia pro omnibus illis oblationibus & Sacrificiis Ejus obfertur corpus, & participantibus ministratur.* Quod testimonium ubi antecedenter Tertulliani, Justini, Chrysostomi, consequenter verò Leonis Magni testimoniis, citatis etiam Hesychii, Isidori, Damasceni locis illustravit Bellarminus, ex iis refelli mendacium putavit Chemnitii, scribentis: *Ignota est veteribus illa disputatio, quod abrogatione Leviticorum Sacrificiorum, præter Sacrificium Christi in Cruce, aliud ceremoniale successerit sacrificium in N. T.* At mendacium imposuit *Chemnitio* Bellarminus, ipse mendacissimus. Si enim verba Augustini juxta antecedentium tenorem ritè ponderemus, de nullo ea Missæ Sacrificio sunt concepta, sed de eo Eucharistiæ Sacramento, quod ob memoriam dixit *Sacrificium*, & quo corpus Domini Ejusque sanguis *participantibus* ministratur, quod de Missæ Sacrificio dici non potest. Addantur ea Sancti Patris testimonia, quæ suprà occasione Vindiciarum definitionis Sacrificiorum ab Eo tradita, circa notationem discriminis Sacrificiorum utriusque Testamenti sunt adducta, & res hæc eò magis erit manifesta. Nunc ad Prophetarum Vaticinia ut deveniamus, Evangelicis contrarium non est, quod de iis in genere ex Augustino monuit Bellarminus: *Sacrificium nostrum non Evangelicis solum, sed Propheticis etiam libris est demonstratum.*

lib. 17. de Civit. Dei, cap. 20. Psal. 40.

Epist. 49. ad Deogr. qu. 3.

Quod autem in specie ea attinet, quæ Bellarminus ad probandum Missæ Sacrificium citatis capitibus adduxit, quatenus Augustini intercedit authoritas, breviter de iis agendum, & quidem de primo & secundo, quinto & sexto, intermediis duobus omissis, utpotè Augustini authoritate destitutis. *Primum,* inquit Bellarminus, *testimonium habetur capite secundo primi Regum libri propè finem, ubi Propheta quidam innominatus Heli Sacerdoti prædicit,* futurum aliquando tempus, ut Sacerdotium ipsius & Patrum suorum cesset, & surgat novus Sacerdos, qui ambulet coram Christo DEI omnibus diebus; *quem locum de Sacerdotio & Sacrificio Christianorum, quod Aaronico successit, & usq; ad Mundi consummationem manebit, exponunt Cyprianus, Eusebius, Gregorius, Beda, Eucherius, Augustinus. Sed contra posset objici, videri impletum illud Vaticinium in Samuele vel in Sadoco. Nam Samuel successit Heli, & deindè Salomo ejecit Abjatharem, qui descendebat de familiâ Heli, & constituit pro Eo Sadocum, & addit Scriptura,* factum id esse, ut impleretur Verbum Domini contra Heli in Silo. *Verùm respondet ad objectionem hanc Augustinus, Vaticinium illud impletum fuisse in Samuele vel Sadoco, quatenus illi gerebant figuram Sacerdotum Christianorum. Itaq; ejectio Heli erat figura ejectionis Sacerdotii Aaronici, & adsumtio Samuelis atq; Sadoci fuit figura adsumtionis Sacerdotii Christiani; id quod Augustinus probat ex eo, quod Scriptura, cùm dicit, ejiciendum Heli cum Patribus suis, apertè loquatur de Aarone, Eum nominans, qui primus in exitu de Aegypto constitutus est à Deo Sacerdos.* Ut quàm fideliter pro more Bellarminus Augustini Sententiam circa hujus Vaticinii sensum tractaverit, Lectori Veritatis studioso constet, placet iterùm ipsa Sancti Patris verba, quatenus huc pertinent, adscribere, quæ post Vaticinii textum prolixè memoratum hæc sunt: *Non est, ut ista dicatur Prophetia, ubi veteris Sacerdotii tantâ manifestatione prænuntiata mutatio est, in Samuele completa fuisse. Quanquam enim non esset de aliâ tribu Samuel, quam quæ constituta fuerit à Domino, ut serviret Altari, tamen non erat de filiis Aaron, cujus progenies deputata fuerat, ut indè fierent Sacerdotes. Ac per hoc in eâ quoq; re gestâ, eadem mutatio, quæ per Christum Iesum futura fuerat, est adumbrata; & ad Vetus Testamentum* propriè, figuratè *autem pertinebat ad Novum Prophetia, tam facto etiam ipso, quàm verbo, id scilicet facto significans, quod verbo ad Sacerdotem Heli dictum est per Prophetam. Nam fuerunt postea Sacerdotes ex genere Aaron, sicut Sadoc & Abiathar regnante David, & alii deinceps, antequam veniret tempus, quo ista, quæ de mutando Sacerdotio tantò ante sunt prædicta, effici per Christum oportebat.* Et post aliqua, ad ea rediens verba, quibus Sacerdos fidelis prædicitur: *Ad illum pertinent Sacerdotem, cujus figuram gessit huic succedendo Samuel, & proindè de Iesu Christo,*

lib. 17. de Civ. Dei. cap. 5. III. Reg. 1.

NB.

Christo, N.T. vero Sacerdote dicuntur. Et iterùm post aliqua, eam Vaticinii partem explicans, in quâ Sacerdotii fit mentio: *Sacerdotium hic ipsam plebem dicit, cujus plebis ille Sacerdos est Mediator Dei & hominum,* homo Jesus Christus, *cui plebi dicit Apostolus Petrus:* plebs sancta, Regale Sacerdotium. *Quamvis nonnulli,* Sacrificii tui, *sint interpretati, non* Sacerdotii sui, *quod nihilominus eundem significat populum Christianum.* Undè dicit Apostolus Paulus: *Unus panis, unum corpus multi sumus.* Et iterum inquit, *Exhibeatis corpora vestra hostiam vivam.* Hæc Augustini verba si debito expendantur modo, ostendunt, quâ ratione Bellarmini glossa sit emendanda, nimirum, quod hoc Vaticinium juxta mentem Augustini intelligendum sit primariò quidem & principaliter de summi Sacerdotis Christi Sacrificio per Sacerdotium Aaronis & personam quoque Samuelis præfigurati, id quod in terminis expressit Augustinus; deindè autem & secundariò de Sacerdotio Christianorum, non eorum, qui notione peculiari dicuntur Sacerdotes, nominatim Missifici, quod Bellarminus vult, utut Augustino nunquam in mentem, multò minus in pennam venit, sed, ut expresè habet Doctor augustus, de Sacerdotio spirituali *totius populi Christianorum,* Apostolorum, Interpretum videlicet optimorum, Petri & Pauli testimonio fultus, de quo suprà quoque fuit actum. Accedit, quod Pater Sanctus ingenuè agnovit, hanc de mutatione Sacerdotii Prophetiam *propriè ad Vetus Testamentum,* figuratè autem ad Novum pertinere. Hinc inter novissimos Interpretum, *Franciscus de Mendozâ,* in prolixissimis super priora quindecim primi Regum libri capita Commentariis, hanc de Christi Sacerdotio explicationem dicit mysticam, *literam* verò, quam & pro verâ habet, quæ Sadocum intelligit promissum, quem *Rudolphus* etiam à *Corduba,* recens Catenæ in eadem capita Scriptor est secutus. Et si id non esset, sed propriè hoc Vaticinium de Sacerdotio Christi Ejusve Sacrificio loqueretur, nihil tamen exindè pro Missæ Sacrificio legitimè posset concludi, nullaque esset pro ejus substitutione consequentia, nisi quidvis è quovis colligere velimus.

1. Tim. II. II. Petr. 2.

Secundum nunc sequitur Vaticinium, ex quo Missæ Sacrificium probare conatus est Bellarminus, quod desumi ait *ex noni capitis Proverbiorum* sequentibus verbis: *Sapientia ædificavit sibi domum, immolavit suas victimas, miscuit Vinum, & posuit Mensam suam.* Post Cyprianum provocat Bellarminus ad Augustinum, dicens, *Eum totum hunc locum de Eucharistiâ exponere.* Atqui non agitur vel controvertitur hic de Sacramento Eucharistiæ, sed de Sacrificio Missæ, de quo si Augustinus hunc Salomonis locum exposuisset, haberet Bellarminus, quod vellet. Augustini verba post adductum ex Proverbiis testimonium hæc sunt: *Hic certè agnoscimus, Dei sapientiam, hoc est, Verbum Patri coæternum in utero Virginali domum sibi ædificasse corpus humanum, & huic tanquam capiti membra Ecclesiam subjunxisse, Martyrum victimas immolâsse, Mensam in vino & panibus præparâsse, ubi etiam adparet Sacerdotium secundum ordinem Melchisedech &c.* quæ posteriora ad sensum proximè antecedentium veniunt intelligenda, quibus similia paulò ante habuimus, ad Fidei Orthodoxæ analogiam ex ipso comparationis tertio reducta. Id nunc addo, etiamsi Augustinus hæc Salomonis verba de Sacrificio *Missæ* intellexisset, quod tamen ab Eo factum non est, neque etiam fieri potuit, cùm id Augustino plane fuerit incognitum, non posset ea Explicatio habere locum, cùm ea etiam, quæ de Sacramento Eucharistiæ est, non sit literalis, sed *accommodatitia* tantùm, inter alios Interpretes *Salazario* id agnoscente, pro *germano & magis literali Sensu* sequentia ad hoc testimonium scribente: *Salomo in hoc capite Sapientiam, quam hactenus in capitibus superioribus tot prosecutus est laudibus, loquentem introducit. si enim totius libri spectes seriem, in hoc capite sermonem orditur Sapientia, & ad finem usq; libri perducit. Ergò ut prosopopœiam Salomo venustius condiret, addit, Illam sermonem orsam fuisse in Triclinio & lautissimo Convivio. Effecit autem hoc accommodatissimè ad ipsam materiam. Cum enim totus ille liber constet moralibus præceptis & acutis Sententiis, & quibusdam Gryphis etiam ac Aenigmatibus, aptissimè induxit Sapientiam in Convivio eloquentem, ubi ejus generis sermones & Sententias miscere consueverunt Convivæ; tum etiam, ut doceat, aptissimas esse ejusmodi Sententias & problemata, ut in Cœnis à Sapientibus promerentur ac disceptarentur juxta morem illius temporis; deniq; ut significaret, jucundissimè ab auditoribus velut inter Epulas esse accipiendas. Ex quo in Sensu literali non admodum de accommodandis,* Domo, columnis, vino & aliis *laborandum; hæc enim ad amplificationem Prosopopœiæ sunt dicta, nec profundiorem habent sensum.* Hæc Ille, aliàs salaciter & nimis liberè non pauca Proverbiorum loca tractans.

lib. 17. de Civ. Dei, cap. 20.

Prætermissis nunc tertio & quarto Vaticiniis, quibus ad probandum *Missæ* Sacrificium utitur, vel potius more suo abutitur Bellarminus, utpotè Augustini authoritate destitu-

stitutis, succedit *quintum*, quod ex octavo & duodecimo capitibus Prophetæ Danielis desumit Bellarminus, ubi, inquit, *dicitur Antichristus juge Sacrificium ablaturus, quem locum de Sacrificio Missæ exponit Hippolytus Martyr in libro de Antichristo. Nec obstat, quod Daniel loqui videatur de Antiocho; loquitur enim de Antiocho, ut figuram Antichristi gerente, ut patet ex collatione hujus loci cum capite decimo & tertio Apocalypseos.* Cætera non addo, quibus hanc Explicationem contra *Chemnitii* exceptiones tueri conatur. In quibus etsi nulla occurrit Augustini mentio, dato nimirùm studio prætermissa, dabimus tamen ipso suppeditante Bellarmino Augustinum hujus Vaticinii Interpretem, quamvis Bellarmino contrarium. Supra enim, ubi respondere studuit ad argumenta ex Sacris desumta, ex quibus *posse Ecclesiam deficere* constat, nominatim ad parallelum ex eodem Daniele Vaticinium, quo prædictum fuit, *Deficiet hostia & Sacrificium*, hæc sibimet contradicens scripsit Bellarminus: *Ad illud Danielis, etsi Hilarius in Matthæum, & Hippolytus* (NB.) *atq; Apollinarius apud Hieronymum ad hoc caput nonum Danielis, eam intelligunt Prophetiam de Antichristi tempore, sine dubio tamen decepti sunt; loquitur enim Daniel apertissimè de eversione Hierusalem & cessatione Sacrificii Iudæorum, & sic exponunt Chrysostomus, Theophylactus,* cap. 9. Epist. 80. ad Hesych. *Hieronymus*, Augustinus, *Eusebius, Clemens Alexandrinus, Tertullianus & Iulius Africanus apud Hieronymum, & est communis opinio Ebræorum.* Ita Bellarminus sibimetipsi respondet, ac præter alios Patres Augustinum in hujus Vaticinii explicatione, ne Sacrificio Missæ videatur favere, nostris adscribit partibus. Et huc pertinet commentatio *Pererii*, qui, ubi suam de *abominatione desolationis*, quæ in laudato Danielis Vaticinio deficienti hostiæ & Sacrificio proximè & immediatè subjungitur, Sententiam voluit ostendere, præmissis & refutatis quinque aliorum opinionibus, inter quas primum Bellarmini de Antichristo locum occupat, hanc *Augustini*, quam & *Cajetani* esse dicit, amplectitur, eamque cæteris omnibus anteponit, quâ per *abominationem desolationis* non aliud significare arbitratur, *nisi Romanum Exercitum, Civitatem Hierusalem undiq; circumdantem & arctissimè obsidentem*, hâc additâ Explicatione: *Vocatur ille Exercitus* abominatio, *quia constabat ex gentilibus, Idola judæis abominata & execrata adorantibus & colentibus. Additur præterea illud*, desolationis, *quia tandem Exercitus ille Vrbem & Templum cepit, diripuit, incendit ac desolavit.* Atq; sic ex ore duorum testium Augustinus in hujus Vaticinii sensu noster est, nec quidquam illud facit ad probandum Missæ Sacrificium, quamvis illud Bellarminus, eorum, quæ antehàc scripserat, oblitus contra se ipsum huc adtraxerit, ut si non pondere, saltim numero argumentorum prævaleret. Posset insuper etiam tertius accedere testis, *Caspar Nimirum Sanctius*, hanc de abominatione desolationis Sententiam, quam *Eusebii* quoq; & *Origenis*, & præter *Pererium* ex recentioribus plurium aliorum, & à plerisque Interpretibus probatam, *quæq; plus quàm aliæ Explicationes habere videatur Verisimilitudinis*, esse dicit, Augustino adscribens, citato Ejus de *Consensu Evangelistarum* opere; qui tamen ea, quæ in capite Danielis duodecimo de abominatione in desolationem leguntur, non pro iisdem habet cum iis, quæ in nono extant capite, utut statuens, *Eucharistiæ Sacramentum vocari juge Sacrificium*, ad Augustinum quoque provocans, *cur Christus in Eucharistiâ vocari possit juge Sacrificium?* ubi cum amplissimè typus Agni Paschalis, de quo paulò ante dictum, illustretur, placet verba, quamvis aliquantò prolixiora, ad quæ *Sanctius* respexit, huc adscribere, ea quippè, quæ ad Septimum Caput dicta sunt proximè, non parùm illustrantia. Ita autem in libro *viginti unius Sententiarum sive Quæstionum*, qui in quarto operum Tomo insertus, à Sententiarum per *Prosperum* ex Augustino collectarum libro, qui lib. II. cap. 37. ad finè tertii operum Tomi exhibetur, est diversus, mox à principio: *Cùm Apostolus di-* 1. Cor. 10. „ *cat*, omnia contigisse Judæis in figurâ, præterea umbras cuncta fuisse præterita, corpus „ Christum esse possum contendere, & Pascha non nisi semel gestum esse, quando figu„ ratum corpus fuit occisus Christus. Nam si ovis, qualem Lex ad Pascha describit, nisi „ potest inveniri, ut sit ex ovibus & hœdis; (discordia enim horum animalium ad con„ junctionem communis fœtus ipsa natura --- *aliquid deesse videtur*) quomodo potuit Pa„ scha verum geri, cùm defuerit Agnus talis, ille, qui Pascha est? At si Christus talis ex ju„ stis, id est, ovibus, & peccatoribus, id est, hœdis secundum Carnem nascitur, hic est „ solus ille Agnus, qui quæritur, quique, dum non amplius, quàm semel occiditur, non „ amplius secundum veritatem, quàm semel celebratum illud perfectum Pascha mon„ stratur. Figuræ igitur, ut diximus, tunc temporis fuerunt. Nam agnus eligitur, ut Sim„ plicitas & Innocentia designetur. Masculus quæritur, ut virtus comprobetur. Imma„ culatus, ut sine crimine; anniculus, ut exacto prædicationis tempore; perfectus, ut o„ mni virtutum genere instructus; Mense primo, ut totus Annus à proprio consecretur pri-

„primordio: quartâ decimâ die Mensis, ut lumine Veritatis impleto nox erroris operia-
„tur; ad vesperam, ut imminens Seculi occasus adprobetur; ejecto etiam fermento, ut à
„corde mentis perversæ tollatur malitiæ corruptio; oblitis Sanguine liminibus domo-
„rum, ut figura Dominicæ Passionis fronte signetur; Igne assus, est enim Evangelium &
„sermo Christi cibus robustus; nec in Aquâ madidus, non est enim delicatæ Interpreta-
„tionis humido languore solvendus. Nihil prætermittitur, nihil enim omninò reproba-
„tur in Christo. Ossa non conteruntur, quia nec comminui, id est, vinci in quoquam
„Christus potest. Quidquid supereſt, Divinis ignibus imponitur; id est, quæ quis capere
„non potest, Divinæ Christi Scientiæ remittit, eorum tantum, quæ manifesta sunt, pro
„viribus epulatur intentus. Nam & quod stantes edunt, forma est, ne quis cadat, aut ne
„quis se in Evangelio ad necessitatem prosternat, sed animi ingentis robore contra Per-
„secutionum prælia invictus, id est, sublimis & erectus adsistat. Quod succinctis lumbis,
„Evangelicæ signum est continentiæ, dum locus seminum coercetur & constringitur;
„additis baculis, Spiritu Sancto, quo quis nititur; Pedibus calceatis, id est, lubrico erro-
„ris ejecto, dum provectione ad fidem cœlestium, ferratis quasi præsidiis, cuncta in Ev-
„angelio sunt fixa, firmissimâ Veritate solidata. Festinantes etiam, ferventes enim Fide
„probantur, tepidi & negligentes respuuntur & evomuntur. Cum azymis sumuntur,
„Christus enim cum omni simplicis animi purâ simplicitate sumitur. Cum pieridiis,
„etenim hoc Pascha in Judæorum damnationem, acerbissimas amaritudines cessit.
„Non nisi circumcisis dabatur, purgatis enim solis & cœlestis Indulgentiæ lavacro ex-
„piatis percipiendi corporis Christi, sacrati cibi facultas porrigitur. Ita quæ figurata fue-
„rant in Israelitis, in nobis corroborata sunt, & quæ in illis Imagines, *in nobis ipsæ sunt Ve-*
„*ritates.*

Hactenus, qui sub Augustini nomine & inter Ejus opera collector est Sententiarum, quem etsi Bellarminus pro ipso agnoscere nolit Augustino, quia tamen *Sanctius* sub Augustini nomine laudavit, ut demonstret, *quare Christus in Sacramento Eucharistiæ*, (non in Sacrificio Missæ) *vocari possit juge Sacrificium*, non omninò fuit prætermittendus, utpotè satis manifestum faciens, Agni Paschalis typum non quidem ad Missæ Sacrificium, sed tamen certo quodam modo ad Eucharistiæ Sacramentum, verum videlicet & antitypicum Agnum Paschalem ad salutarem esum & usum exhibentis, posse referri, eoque Respectu juge dici Sacrificium, præfiguratum sicut per Agnum Paschalem, ita & per illud juge Sacrificium, de cujus abolitione in laudatis agitur Vaticiniis, in quorum Examine ad *sextum* nunc & ultimum accedimus, quod *insigne & præcipuum* esse dicit Bellarminus, ejusque tractationi prolixum satis caput destinavit, Malachianum nempè, *mundam oblationem* & Catholicum *in omni loco* Sacrificium præsignificans, Augustino in pluribus locis, ut quidem Bellarminus vult, illud de Sacrificio Missæ constanter explicante, è quorum numero in specie duo verbotenus expressit, ad cætera Lectorem mittens. De priori Bellarminus ita scribit: *Augustinus hunc Malachiæ locum tractans inquit:* Ecclesia per successiones Apostolorum immolat in corpore Christi Sacrificium laudis. *Addit Bellarminus in vicem Glossæ*, quod de vero loquatur Sacrificio, quod à solis Sacerdotibus propriè dictis obferri potest, patet ex illis verbis, *per successiones Apostolorum.* Illi enim soli rectè immolant Sacrificium corporis Christi, qui Apostolis legitimè succedunt, qui primi à Christo Sacerdotes fuerunt instituti. Quare frivolum est, quod *Chemnitius* ad hunc respondet locum, *ideò non esse contra se vel pro nobis, quod Augustinus non meminerit mimicæ repræsentationis*: nam non de illâ repræsentatione, sed de oblatione Eucharistiæ Deo factâ est controversia. Quod etiam Chemnitius addit, *per incensum intelligi ab Augustino orationes*, suprà declaratum est, in responso nimirùm ad *Tertulliani* locum ex quarto contra *Marcionem* libro à *Chemnitio* objectum, ubi legitur, *simplicem orationem de Conscientiâ purâ esse Sacrificium, de quo loquatur Malachias*, Bellarmino hunc in modum respondente: *Tertullianus non exponit testimonium Malachiæ per orationem, ubi Sacrificium nominat, sed ubi nominat incensum. Nam in Ebraâ & Græcâ Editione sic legimus:* Incensum obfertur Nomini meo, & Sacrificium mundum. *Vbi vocem illam*, incensum, *Tertullianus interpretatur orationem, quod etiam ante Eum fecit Irenæus, & post Eum Hieronymus. Sed vocem posteriorem*, Sacrificium, *communiter exponunt de Eucharistiâ.* De posteriori testimonio Augustini pro Missæ Sacrificio ex Vaticinio *M*alachiæ demonstrando hæc habet: *Augustinus de Sacrificio corporis Domini in Eucharistiâ loquens, inquit:* Hoc Sacrificium per Sacerdotes secundum ordinem Melchisedech cùm in omni loco à Solis ortu usque ad occasum Deo jam videant obferri, *videlicet Iudæi*, Sacrificium *eorum, id est*, Judæorum, de quibus dictum est,

lib. 1. contra adverſ. Legis, cap. 20.

lib. 18. de Civ. Dei, cap. 35.

conf. lib. 19. cap. 23. orat. contra Judæos, cap. 9. & in Psal. 106.

est: *Non est mihi voluntas in vobis* &c. jam cessare non possunt negare, aut alium expectant Christum. *Vide Eundem alibi.* Ad prius testimonium respondebit Augustinus ipse, optimus videlicet suorum interpres verborum, qui ***suam de sensu hujus*** Vaticinii Sententiam sequentibus expressit verbis: *Ecclesia ab Apostolorum temporibus per Episcoporum successiones certissimas usq; ad nostra & deinceps tempora perseverat, & immolat Deo in corpore Christi Sacrificium Laudis, ex quo Deus Deorum locutus vocavit terram* à Solis ortu usque ad occasum. *Hæc quippè Ecclesia est Israel secundum Spiritum, à quo distinguitur ille Israel secundum carnem, qui serviebat in umbris Sacrificiorum, quibus significabatur singulare Sacrificium, quod nunc obfert Israel secundum spiritum, cui dictum atq; prædictum est,* Audi populus

Psal. 50.

meus, & loquar tibi; Israel, & testificabor tibi &c. *De hujus enim domo non accipit vitulos, neq; de gregibus ejus hircos. Iste immolat Deo Sacrificium Laudis, non secundum ordinem Aaron, sed secundum ordinem Melchisedech, quod in eo positum est Psalmo, quem Dominus Iesus in Evangelio de se conscriptum esse testatur.* Hujus Psalmi aliqua postquam exscripsit Augustinus, ad suum videlicet Scopum inservientia, addidit: *Noverunt, qui legunt, quid protulerit Melchisedech, quando benedixit Abraham; & jam sunt participes ejus, vident tale Sacrificium nunc Deo obferri toto orbe terrarum.* Ad quæ verba, quæ Bellarminus suprà etiam ad demonstrandum Missæ Sacrificium ex Sacerdotio Melchisedeci adduxit, ibi quoque responsum fuit atque ostensum, etsi ea plurimùm juvare videantur rem Sacrificialem Papæam, non nisi tamen ad Eucharistiæ Sacramentum, utpotè verum Laudis & Gratiarum actionis Sacrificium, trahi posse. Idem verò Augustinus voluit in explicando Malachiæ Vaticinio, de quo ita suam in proximè sequentibus explicavit mentem: *Vndè alius Propheta dicit ad eum, qui carnaliter est Israel,* Non est mihi voluntas in vobis, dicit Dominus Omnipotens, & hostiam de manibus vestris non accipiam. *Ecce, quod est secundum ordinem Aaron. Cur autem hoc non accipiat, addit & dicit:* Quia ab ortu Solis usque ad occasum ejus glorificatum est nomen meum in gentibus, & in omni loco incensum obfertur nomini meo, & hostia pura, quia magnum est nomen meum in gentibus, dicit Dominus Omnipotens. *Ecce, quod est secundum ordinem Melchisedech. Incensum enim, quod Græcè est thymiama, sicut Iohannes in Apocalypsi exponit, sunt Orationes Sanctorum.* {*Deus quippè, sicut canitur in Psalmo, qui vocavit terram* à Solis ortu usque ad occasum ejus, *cui terræ, id est, cui populo diffuso à Solis ortu usq; ad occasum diceret,* non accipiam de domo tuâ vitulos, immola Deo Sacrificium laudis; *ipse per hunc Prophetam, quod certissimè futurum erat, jam velut factum prædicans, ait:* Ab ortu Solis &c. Hæc Augustini verba ritè ponderata non solùm confirmant *Chemnitii* ex parallelis Regii Psaltis & Apocalypseos Sacræ testimoniis, de oblatione non Missaticâ, sed Eucharisticâ, id est, gratiarum actione & laudum Divinarum celebratione observationem, nec quidquam obtinente contortissimâ verborum *Tertulliani* de eodem Vaticinio per Bellarminum tentatâ perversione, id quod ocularis eorum inspectio apertissimè convincit, textûs Prophetici ineptam divisionem satis manifestè redarguens; sed & simul elidunt glossam Bellarmini, fraudulentam, defendere conantis, Augustinum de eo hic loqui, & Malachiam intelligere, Sacrificio, *quod à solis Sacerdotibus proprie dictis posset obferri,* idque ideò, quia Successionis Apostolorum fecerat mentionem, *illiq; soli rectè immolent Sacrificium corporis Christi, qui Apostolis legitimè succedant,* tanquam institutis à Christi Sacerdotibus, quæ omnia hic Augustino adfinguntur, alia planè omnia, ut è verbis constat, intendente. Etsi enim dicat & scribat S. Pater, *Ecclesiam, quæ ab Apostolorum temporibus per Episcoporum successiones certissimas usq; ad sua perseveravit tempora,* & quam deinceps per easdem speravit perseveraturam, *immolare Deo in corpore Christi Sacrificium laudis*; ipse tamen verborum positus, & quæ ad uberiorem Sententiæ illustrationem sequuntur, clarè satis ostendunt, non voluisse Doctorem augustum terminis tam augustis hoc Sacrificium Laudis includere, ejusq; oblationem Episcopis tantùm, tanquam Successoribus Apostolorum & hinc Sacerdotibus propriè dictis adscribere, exclusis non solùm cæteris omnibus Ecclesiæ membris verè fidelibus, sed & in specie omnibus aliis in Officio & Munere Ecclesiastico constitutis, qui non sunt Episcopi, & hinc Apostolorum in Sedibus, ut vocant, Episcopalibus Successores, quod tamen sequeretur, si hæc Bellarmini glossa, ipsi in administrando Missæ Sacrificio praxi quam maximè adversa aliquem habere posset vel deberet locum. Verùm dilatavit terminos Augustinus, dum ipsam Deo *in corpore Christi Sacrificium laudis* immolare scripsit Ecclesiam, populum videlicet *Israel secundum Spiritum,* in eo etiam à populo Israel, quem ad differentiam dixit fuisse *secundum carnem,* diversum, quod dum ibi Sacerdotes soli sacrificabant, & in Sacrificiorum oblationibus juxta mandatum Dei erant occupa-

cupati, hic in universum omnes Christiani, sicut in quotidianis precibus, ita inprimis etiam in usu Sacramenti Eucharistiæ, vel ut Augustinus loquitur, *in corpore Christi*, id est, in participatione corporis & Sanguinis Christi, Sacrificium Laudis & debitæ gratiarum actionis Deo pro omnibus in genere Beneficiis, in specie autem pro gratiosæ redemtionis Beneficio grati & devoti obferunt, semetipsos etiam ad Sacrificia Deo accepta obferentes, quod antehàc Augustinus ad Pauli ductum graviter monuit. Quamvis etiam hoc Sacrificium fieri dicat *secundum ordinem Melchisedech*, præter id tamen, quod supra jam de Ejus Sacerdotio dictum est, hic notandum venit, non deesse tertium comparationis inter oblationem Melchisedeci Abrahamo factam, & inter oblationem fidelium DEO in usu Sacramenti Eucharistiæ debitam, cujus respectu utrobique Sacrificium laudis possit habere locum. Sicut enim Melchisedecus in oblatione panis & vini, pro refectione Abrahami & ejus sociorum factâ, Deo gratias egit pro impetratâ contra hostes tam insigni victoriâ, nullo videlicet propitiatorio opus habens Sacrificio; Ita etiam *populus Israel secundùm Spiritum*, Ecclesia videlicet N. T. per fideles, qui Reges & Sacerdotes dicuntur, in usu Sacramenti Eucharistiæ Deo Sacrificium Laudis pro obtentâ per Christum contra Sathanam victoriâ ex debitâ gratitudine, sequemetipsum ad debita obfert Servitia tanquam grata Eidem Sacrificia, ut adeò Bellarminus nihil planè ex hoc Augustini testimonio pro Missæ Sacrificio habeat subsidii, sicut nec ex posteriori, quod iterùm Lectori patebit, si, quod Bellarminus maximâ sui parte exhibuit truncatum, integro textu, quantum videlicet huc videbitur pertinere, adscribamus, sequenti tenore verborum: *Malachias Ecclesiam prophetans, quam per Christum jam cernimus propagatam, Iudæis apertissimè dicit ex personâ Dei*, Non est mihi voluntas in vobis &c. *Hoc Sacrificium per Sacerdotium Christi secundum ordinem Melchisedech, cùm in omni loco à Solis ortu usq; ad occasum Deo jam videamus obferri; Sacrificium verò Iudæorum, quibus est dictum*, Non est mihi voluntas in vobis &c. *cessasse non possunt negare, quid adhuc alium expectant Christum, quum hoc, quod prophetatum est, legunt & impletum vident, impleri non potuerit, nisi per Ipsum?* Benè est, quod Bellarminus ipse monuit, Augustinum hæc scripsisse, ubi de *Sacrificio corporis* (& Sanguinis) *Dominici in Eucharistiâ*, non in Sacrificio Missæ, loqvutus est, id quod clarè satis Augustinus quoque indicavit, dum Sacrificium in Malachiæ Vaticinio præsignificatum *per Sacerdotium Christi secundum ordinem Melchisedech*, id est, officium Christi Sacerdotale, quod secundum ordinem Melchisedech gessit, *non per Sacerdotes Christi*, ut Bellarminus S. Doctoris verba nequiter pervertit, dixit impletam, addens, *impleri illud, nisi per Ipsum, non potuisse*; cujus memoriam dum fideles in usu Sacramenti Eucharistiæ ex debitâ gratitudine celebrant, Sacrificium Laudis Deo *in corpore & Sanguine Christi* obferre ab Augustino tanquam Sacerdotes spirituales dicuntur, quod ad propitiatorium Missæ Sacrificium nullo planè modo potest referri, de quo neque Deo in hoc Vaticinio, neque Augustino in Sensu ejus indagando, quidquam venit in mentem, nec etiam venire potuit. Et si ab Augustini Sententiâ hic liberet discedere, quod aliàs non semel Bellarminus exemplo aliorum inter suos sibi licitum & liberum esse putavit, occurreret fortè inter Interpretes, cujus authoritate ad eludendum Missæ Sacrificium ex hoc Malachiæ Vaticinio uti possemus. *Arias* certè *Montanus*, Interpres Scripturæ, Encomio, quod à suis obtinuit, superior, in hujus Vaticinii explicatione, utut perspicax satis & præ multis oculatus, nihil tamen de Sacrificio Missæ vidit, ad alia planè omnia attentus, cujus verba, cùm Ejus in Biblia Commentarii non ubivis occurrant, huc in gratiam Lectoris adscribere „ juvat, observatu dignissima: *Hujus loci quanquam aperta* ex ipsis verbis est Sententia, ar- „ cana tamen significationis ratio ex verborum constructione subest observanda, quam „ Interpretes antiqui diligenter à se consideratam, certè non satis explicatam reliquerunt. *Nimirùm* reprehenderat Deus acriter Sacerdotes, quod Nomen suum ita con- „ temsissent & imminuissent, ut quocunque modo, quâcunque hostiâ coleretur, nihil „ referre arbitrarentur & docerent, quâ in re neque servorum, neque filiorum officium „ ab illis præstitum arguebat & repudiabat. Quam longè autem à cultu filiorum illi abes- „ sent, facile fuit ostensu. Illud verò nunc ostenditur, eosdem à Servorum Reverentiâ, „ etiam distare nimium, quâ adversus se exhibendâ omnes alias orbis nationes, quibus „ sese Dominum, non autem argumentis ita manifestis, ut Israeli Patrem hactenùs o- „ stendisset, longè Israelitis antecellere confirmat. At verò cæteras gentes non notitiâ „ Legis & Divinorum Sermonum aperta, sed tantum contemplatione Rerum Naturæ „ adduci, ut Deum, quem Dominum & Rectorem crederent, diligenter atque attentè „ colerent, *selectisq;* Victimis placatum propitiumque sibi vellent & curarent. Quo no-

„ mine autem id ab illis susciperetur, Deus ipse exponit, inquiens, *Magnum est Nomen me-*
„ *um in gentibus.* Magnitudinis ratione & definitione ab illis se coli testatur, eoque jure
„ vehementer etiam Judæos vinci, quibus Nomen suum esset contemtui. Itaque quan-
„ quam proprium Dei Nomen gentibus esset ignotum, ut Ægyptiis Religionum omni-
„ um sive Superstitionum Magistris & authoribus ignotum fuisse Pharao testatus est, cer-
„ tè tamen Magni cognomen, quod suâ DEus naturâ habuerat, sibi apud omnes etiam
„ gentes, ipsis tantùm diurnis nocturnisque vicissitudinibus & commutationibus tem-
„ porum quadripartitis & constantibus pepererat, sicut scriptum est, *Domine, Deus no-*
Psal. 8. „ *ster, quàm admirabile est Nomen tuum in universâ terrâ &c.* Satis autem momenti & pon-
„ deris hæc tanta rerum concordia, atque variorum Cœli motuum constantia & effici-
„ entia habuit ad aliquem Supremum Gubernatorem & Dominum gentibus proban-
„ dum, sicut scriptum est, *Cœli enarrant gloriam Dei* &c. id quod illorum quoque de eâ re
Psal. 19. „ dissentium Sententiis frequenter legimus. Igitur quisnam ille Deus esset, qui omnia
„ sub se cætera haberet, regeret atque temperaret, quanquam id olim gentes fugerit,
„ quendam tamen Summum, Optimum Maximumque esse non latuit. Ignotum qui-
„ dem hunc Deum Athenienses adpellârunt, cui Arâm consecratam Paulus vidit & pro-
„ bavit. Quoniam verò omnium horum motuum, temporum & vicissitudinum index
„ atque præcipuus administer Sol est, cujus præsentiâ atque absentiâ metiri cætera & ob-
„ servare homines possunt, ob eam rem Deus sibi magnum cognomen apud omnes gen-
„ tes ex Solis ortu & occasu partum esse docet. Namque primus, supremus, acerrimus
„ & velocissimus Cœlorum motus is est, quem Sol singulis diebus ab ortu ad occasum
„ conficiens indicat, ita ut Propositio illa, *à Solis ortu &c.* duplici officio functa, & orbis
„ terminum atque locum extremum, ut solet, simpliciter significet, & causam quoque
„ Rationemque explicet, quam ob rem Deus, Mundi Rector Magnus apud omnes gen-
„ tes cognominetur. Propterea autem arcanam orationem hanc esse initio docuimus,
„ utpotè quæ eâdem verborum simplici pronuntiatione duplicem simul complectitur
„ Sententiam, magnum esse Nomen Dei *ab ortu Solis usq; ad occasum*, atque ortu ipso &
„ occasu Solis eam Divini Nominis magnitudinem probari. Consentaneum fuerat au-
„ tem, eodem magnitudinis nomine DEum gentibus ut cognitum, sic quoque cultum
„ esse; neque enim, quem maximum crederent & faterentur, abjectissimis placari & coli
„ victimis par fuerat. Ob eam itaque rem addidit, *Et in omni loco sacrificatur & offertur*
„ *Nomini meo oblatio munda*, Ebraicè ad verbum, *Et in omni loco incensum offertur Nomini*
„ *meo & oblatio munda:* Sacrificia, quæ mactatis fiunt hostiis, incensum; cætera autem,
„ quæ Sale, Vino, farre, oleo, rebusque aliis simplicibus offeruntur, oblationem vocat.
„ Atque ita invisa sibi esse impura Judæorum Sacrificia ostenderat, quæ à gentium quoq;
„ Sacrificiis delectu & dignitate vincerentur; neque etiam illorum placere oblationem
„ adfirmaverat, quæ, quanquam ex mundis rebus pararetur, ab impuris tamen & No-
„ minis sui contemtoribus oblata forent, cùm hâc etiam in parte gentium judicium & of-
„ ficium multò sit probatius, à quibus non munda minus offeratur oblatio, si rerum spe-
„ ctetur, si autem animi sententia & studiũ, multò dignior & sanctior horum ratio, quam
„ Judæorum esse cognoscetur. In illis enim magnitudinis adpellatio & reverentia, in his
„ autem *contemtio & despicientia arguitur.* Hæc omnia & adhuc plura huc pertinentia
habet *Arias Montanus*, quæ utut Index Hispanicus non ita pridem juxta Exemplar Ma-
dritense recusus in Censurâ operum Ejus *cautè* moneat legenda, Bellarminus etiam nul-
lo planè modo censeat *admittenda*, non tamen adeò absurda, aut à Scopo Vaticinii mul-
tùm abludentia videri debent, si cum integro Prophetæ Textu ritè conferantur. Neque
Bellarmini Responsiones tanti sunt, ut ob eas hæc negligere sit necessum, quæ non tam
ipsa in se Gentilium Sacrificia omni ex parte laudant, quam certo quodam modo & re-
spectu Sacrificiis Judæorum hypocriticis & nullâ ex devotione oblatis anteponunt, ab iis
nimirum profecta, qui non tam illustri revelationis modo de Dei essentiâ & voluntate,
sicut populus Judæorum, fuerant informati, ex solo Lumine Naturali Deum agnoscen-
tes, si eos excipiamus radios, quos hinc indè furtim quasi ex Ecclesiâ Israelitica accepe-
runt. Quamvis, ut ingenuè fatear, præ hâc *Montani* Sententiâ placeat Explicatio, quam
Christophorus de Castro, suis in duodecim Prophetarum Oracula Commentariis, *Hugonis*
Cardinali, notissimo inter antiquos Scripturæ Interpreti, adscripsit, *statuenti, sermonem*
fieri de oblationibus gentium, quæ Hierosolymam veniebant ad adorandum in augustissimo Tem-
plo Deum, quarum oblationes, quia ex selectioribus & spontaneæ, Deo gratiores fuerint, quam
Judæorum, addita hac observatione, *præpositionem illam IN omni loco, debere accipi pro EX*

omni

omni loco. Et hùc etiam inclinavit Doctor noster *Franzius*, cujus maxima laus est apud Evangelicos, in consummatissimo Tractatu de *SS. Scripturarum Interpretatione*, ex antecedentibus & consequentibus hanc eruens Prophetæ, vel potius Dei ipsius in hoc Vaticinio mentem, *ut Lector pius atq; eruditus*, quæ Ejus verba sunt notatu digna, *fateatur, omnia hic verba propriissimè intelligenda esse, de incenso propriè sic dicto, de Igne propriè sic dicto, de pecoribus propriè sic dictis, de oblatione propriè sic dicta, & nequaquam per incensum denotari Missam Pontificiam tropico Sermonis genere, adeoque Missæ Romanæ nullum hic latitare propugnaculum: sed omninò agi de incensis propriissimè sic dictis, quæ tunc EX omnibus locis Hierosolymam procurare solebant gentes, miraculis sub captivitate Babylonicâ factis, & ipsâ captivitatis solutione, antea Divinitùs prædicta, nunquam* (legi debet, nunc autem) *præstita commotæ EX omnibus undiq; locis.* Orac. 102. pag. m. 291.

Postquam verò hanc Explicationem parallelo ex Esaiâ Oraculo illustravit, pro coronide hæc subjunxit: *Interim tamen ambabus manibus amplector etiam Lutheri Expositionem, qui Sermones Esaiæ* (Malachiæ) *impletos esse dicit in N. T. tunc nimirum, quando omnes ad Christum adcurrerunt gentes, ut anteà ad Templum S. & erexerunt Ecclesias in medio sui clarissimas. Adeò hæ duæ Expositiones sunt subalternatæ, non contrariæ, & illa prior literalis summas habet utilitates, ut nimirùm videas, quomodo Deus omni tempore, etiam extra Iudæam, suos habuerit cultores, nec unquam inviderit æternam gentibus Salutem.* Placuit hæc aliquantò prolixius adducere, tum ut hoc etiam documento ostenderetur, antiquos & recentiores Scripturæ Interpretes in explicandis Prophetarum Vaticiniis se non ita ad *Augustini* authoritatem in omnibus observandam putâsse adstrictos, ut non liberum sibi existimaverint, ubi opus videretur, ab Ejus recedere Sententiâ, eamque amplecti, quæ propius ad Textum & literalem Sensum suâ quidem accederet opinione: tum ut discrimen harum *Ariæ Montani* ex unâ, ex alterâ autem parte *Hugonis, & D. Frantzii* Explicationum Lectori indicaretur, quas apud non planè nullos, qui earum in hujus Vaticinii tractatione fecerant mentionem, locis sine dubio non vel obiter inspectis, confundi, & quasi una esset eademque, observavi, cùm sint omninò diversissimæ, & posterior quidem priori videri possit probabilior, quanquam utrum omni careat difficultate, alius loci sit & temporis, id uberius discutere. Nunc ex superabundanti duorum adhuc Romanensis Ecclesiæ Scriptorum de hoc Malachiæ Vaticinio Sententias à mentione Sacrificii Missæ alienas addo, ut testimonium Veritatis contra illud eò pluribus nitatur authoritatibus. Prior est laudatus anteà non semel Sorbonista *Picherellus*, qui postquàm hoc Oraculum Missæ Sacrificium non exhibere, *Iustini Martyris, Tertulliani, Hieronymi*, quin & *Irenei, Eusebii, Augustini* authoritatibus ostendit, de suo & ex propriâ mente ita scripsit: *Ego non solùm ad Orationem refero, sed & ad sanctam hominum piorum & fidelium vitam, ad Legem Dei compositam & conformatam, qui Deo oblationem obferunt in Iustitia, ut loquitur idem Malachias. Ita omnes Christiani dicuntur Sacerdotes, ad obferendas spirituales hostias, quas ita etiam adpellat Cyrillus, locum Sanctorum in terris non requirens positum, sed in corde; & Origenes dicit, unumquemq; fidelium habere in se holocaustum suum, & holocausti sui Altare ipsum succendere, ut semper ardeat, & exempla adfert, ut & Augustinus &c. Thus hoc & oblatio hæc spiritualiter intelligenda, juxta morem Prophetarum.* Opusc. p. 115.

Alter est *Castanæus*, Pictavorum in Galliâ non ita pridem Episcopus, in suis ad plerosque S. Scripturæ libros *Exercitationibus*, hanc Malachiæ Oraculo adscribens paraphrasin: *In omni orbis terrarum loco, mediisque etiam in Mundi cloacis & incommodis sacrificatur & obfertur facilè à fidelibus* (non solùm Sacerdotibus Missificis) *per sinceræ Mentis propositum Nomini meo præclariori oblatio munda, cùm in singulis rerum creatarum ordinibus uberrimam habeat nitens animus materiam ad earum authorem devenerandum.*

CAPUT DUODECIMUM,
De
Verbis Institutionis,

EX iis ut Missæ Sacrificium demonstret Bellarminus, præprimis verba, *Hoc facite*, attendit, urgens, Christum per ea Apostolis, Eorumque in officio Successoribus mandasse, *ut quod Ipse fecit, illi quoq; facerent*, id est, sicut Ipse tanquam Sacerdos Summus sub specie Panis & Vini Deo Patri se obtulit, ita illi etiam Corpus & Sanguinem suum in Sacrificio Missæ Deo Patri obferant, atque sic tanquam Sacerdotes propriè sic dicti *sacrificent*, id quod inter alia probare satagit authoritate Patrum, quos *apertè* docere scribit,

Christum in Cœnâ seipsum Deo Patri sub specie Panis & Vini obtulisse, præter alios ad Augustinum quoque provocans, ac sequentia Ejus verba: *Ipse de corpore & Sanguine suo Sacrificium instituit secundum ordinem Melchisedech*, cujus etiam insuper quinque citavit loca, in quibus idem contineri putavit, breviter huc adscribenda, ne quid ad rem pertinens studio videatur prætermissum. *Primum hoc est:* Dominus, quos à Lepra mundavit, ad Sacramenta Judæorum misit, ut obferrent pro se Sacrificium Sacerdotibus, quia nondum eis successerat Sacrificium, quod Ipse post in Ecclesiâ voluit celebrari pro illis omnibus, quia illis omnibus Ipse præsignificabatur. *Secundum:* Demonstrabo, quam vim habeat, quod in Psalmis canitur: Sacrificium laudis glorificabit me, & illic est via, ubi ostendam illi Salutare meum. Hujus Sacrificii Caro & Sanguis ante adventum Christi per victimas similitudinum promittebatur, in passione Christi per ipsam veritatem reddebatur, post ascensum Christi per Sacramentum memoriæ celebratur. *Tertium:* Aptum fuit primis temporibus Sacrificium, quod præceperat Deus; nunc verò non ita est. Aliud enim præcepit, quod huic tempori aptum esset, qui multò magis, quàm homo novit, quid cuique tempori adcommodatè adhibeatur. *Et post:* Breviter dici potest, quod homini acuto fortasse sufficerit. Aliis Sacramentis prænuntiari Christum, cùm venturus esset, aliis, cùm venisset, annuntiari oportuisse, sicut modò nos, id ipsum loquentes, rerum diversitas compulit etiam verba mutare, siquidem aliud est prænuntiari, aliud autem annuntiari; aliud cùm venturus esset, aliud cùm venisset. *Quartum:* Sacerdos ipse Mediator T. N. exhibet secundum ordinem Melchisedech de Corpore & Sanguine suo Mensam, quod Sacrificium successit illis omnibus Sacramentis T. V. quæ immolabantur in umbrâ futuri. *Quintum denique:* Ipse est Sacerdos noster in æternum secundum ordinem Melchisedech, qui seipsum obtulit holocaustum pro peccatis nostris, & Ejus Sacrificii similitudinem celebrandam in suæ Passionis memoriam commendavit, ut illud quod Melchisedech obtulit Deo, jam per totum orbem terrarum in Christi Ecclesiâ videamus obferri. *Verùm* si omnia hæc Augustini testimonia diligentissimè etiam excutiamus, illud indè non impetrabimus, quod Bellarminus audacter Patres, & inter eos Augustinum, *aperte* scripsit docere, videlicet, *Christum in Cœnâ seipsum Deo Patri sub specie Panis & Vini obtulisse*, & hinc ad Ejus exemplum hodiè etiam Missificos, tanquam Successores Apostolorum & Sacerdotes propriè sic dictos, Christi Corpus & Sanguinem Deo Patri in administratione Sacrificii Missæ obferre, ac verè *sacrificare*, cùm neque antecedentis, neque consequentis ullum in omnibus his Augustini testimoniis expressum adpareat vestigium, iis nonnisi ad Eucharistiæ Sacramentum respicientibus; quod cur in latiori significatione Sacrificium dicatur, ad antecedentia jam dictum est, & ex his etiam manifestè constat. Illud certè, quod cæteris præmisit, & solum quasi præcipuum verbotenus expressit, etsi vocem *Sacrificii* exhibeat, non nisi tamen ad memoriam Sacrificii potest vel debet referri, quam in Eucharistiæ Sacramento nobis sistit & commendat, qui est Sacerdos *secundum ordinem Melchisedech*, id quod suprà non semel est explicatum. Ex sequentibus testimoniis *primum* expressè celebrationis Sacrificii in Ecclesiâ facit mentionem, per vocem *celebrationis* nihil aliud, quàm gratam hujus Sacrificii memoriam & debitam gratiarum actionem pro eo intelligens. *Secundum* ita clarè ipsam hujus Sacrificii oblationem ad *Christi Passionem* refert, & à Sacramento Eucharistiæ, quod *Sacramentum memoriæ* ad hoc Institutum pertinentissimè dicitur, distinguit, ut distinctius fieri non potuerit. *Tertium* vocibus Sacrificii & Sacramenti promiscuè utitur, ac pro iisdem habet, quod factum non fuisset, si tempore Augustini jam alia ratio Sacrificii Missæ, alia autem Sacramenti Eucharistiæ fuisset. *Quartum* iteratò exhibet typum Melchisedeci, cujus oblationem Abrahamo & sociis Ejus factam non fuisse Sacrificium propriè sic dictum, multò minus propitiatorium, adeòque nec typum Sacrificii Missæ, ex antedictis jam constat. *Quintum denique* dum ad eundem respicit typum, peculiari etiam non indiget responso, præprimis cùm ex *Picherello* supra fuerit observatum, in eo vocem *Deo* non sequi comma, sed antecedere, atque sic ad mentem S. Patris in aliis pluribus locis expressam legi debere, *illud quod Melchisedech obtulit*, nimirum Abrahamo & sociis Ejus, in typo; *Deo jam in Ecclesiâ per totum terrarum orbem obferri*, videlicet in Antitypo, per Sacrificium laudis & debitæ pro Christi Sacrificio in Cruce gratiarum actionis, quod suprà non semel ex Augustino fuit observatum. Nihil proindè Bellarminus ex his Augustini testimoniis subsidii pro Missæ Sacrificio habere potuit, augusto Doctore ad Eucharistiæ Sacramentum, Sacrificii in Cruce peracti memorativum, nullo autem modo ad Missæ Sacrificium

in

in Psal. 33. Conc. II.

lib. III. de Bapt. cap. 29.

lib. 20. contra Faust. cap. 21.

Epist. V. ad Marcell.

lib. 17. de Civ. Dei, cap. 20.

lib. 83. Quæst. num. 61.

in eis respiciente. Et si jam remotâ Augustini authoritate ipsum de his verbis, *Hoc facite*, eorumque sensu Bellarminum in antecedentibus ea tractantem interrogemus, Eum sibimet ipsi hic quoque contraria scripsisse observabimus. Ubi enim argumentis *Communionem sub unâ specie* evertentibus, ei nominatim, quod ex his deducitur verbis, *Hoc facite*, satis studuit facere, ita contra semetipsum scripsit: *Quæritur à Doctoribus, quid propriè demonstret illud*, Hoc, *cùm Dominus ait*, Hoc facite; *an demonstret id, quod Dominus egit*, id est, *Consecrationem & distributionem; an quod egerunt Discipuli*, id est, *manducationem & bibitionem; an utrumq; simul? Sed ad rem nostram id non refert, quandò constat, illud præceptum non dari absolutè, nisi de unâ specie. Videtur tamen Sententia* Johannis à Lovanio (Hesselii) *valdè probabilis, qui docet, verba Domini apud Lucam ad omnia referri*, id est, *ad id, quod fecit Christus, & ad id, quod egerunt Apostoli, ut sensus sit:* Id, quod nunc agimus, Ego, dum consecro & porrigo, & vos, dum accipitis & comeditis, frequentate deinceps usq; ad Mundi consummationem. *Profert etiam prædictus Author veteres Ecclesiæ Patres, qui verba hæc modò referunt ad Christi actionem*, ut Cyprianum & Damascenum; *modò ad actionem Discipulorum*, ut Basilium & Cyrillum Alexandrinum. *Paulum quoq; idem Author docet hæc verba potissimum referre ad actionem Discipulorum, id quod ex sequentibus colligitur verbis:* Quotiescunque manducabitis panem hunc & Calicem biberis, mortem Domini annuntiabitis. *Et præterea idem fieri planum potest ex instituto & proposito Pauli. Nam emendabat eo in loco Corinthiorum errorem; illi autem non errabant in Consecratione, sed in sumtione, quia non debitâ cum Reverentiâ sumebant. Quare ad suum accommodat usum hæc verba, ac docet, Christum præcepisse, ut actio Cœnæ celebraretur in memoriam Passionis, ac ideò reverenter & attentè sumenda esse tanta Mysteria.* Multa in his habet Bellarminus, quibus semetipsum conficit, dum sui ex more hactenus non semel observato immemor ex verbo *Facite* Sacrificium extorquere conatur, quod antehàc authoritate non tantum novitii Doctoris, *Hesselii*, sed & antiquiorum Ecclesiæ Patrum, quorum vestigia Ille indicavit, de aliis planè & Christi & Apostolorum in Cœnæ primâ administratione actionibus, quàm Sacrificialibus intellexit, ad Doctorem Ecclesiæ antiquissimum & Interpretem Cœlo datum, videlicet Paulum provocans, quò nullum illustriorem & magis fide dignum dare potuisset Bellarminus, hic certè, si unquam alibi *heavtontimorumenos*. Aliorum Ecclesiæ Romanensis Doctorum & Interpretum Scripturæ similes de verbo FACITE observationes ad Institutionem Sacramenti Eucharistiæ pertinentes non adscribo, quas *Gerhardus* in Confessione Catholicâ, & *Dorscheus* in laudatâ ante Mysteriâ Missæ diligenter & singulari studio, prout solent, collegerunt; contentus ea hic adposuisse, quæ *Picherellus iterùm*, Sorbonista nunquam satis laudatus, ex Harmoniâ Evangelistarum & Pauli egregiè notavit, ita scribens: *Ut probem, verbum* FACITE, *in dicto Christi Cœnam instituentis non significare*, SACRIFICATE, *hæ sunt rationes meæ.* Primùm, *quod nulli dubium esse debet, ajo, eadem repeti à Paulo, quæ hic fuerant dicta, & quod post Calicis porrectionem illic est expressum*, hoc facite, quotiescunque biberitis in mei commemorationem, *sic itidem post Calicis* (legi debet, Panis) *mentionem esse subaudiendam, ut post utramq; porrectionem, Panis nempè & Calicis, hoc dictum sit, quem ad modum ipse Paulus duas illorum dictorum ætiologias in unam conjiciens mentionem & edendi & potandi facit, quùm dicit,* Quotiescunque enim &c. *& ad cujus exemplum post mentionem Panis & Calicis dicitur numero multitudinis in Canone Missæ*, Hæc quotiescunque feceritis, in mei memoriam facietis. *Deindè, quia posteriore dicto Paulus aliquid habet amplius quàm priore, nempè*, quotiescunque biberitis, *ut utrumq; prorsùs simile reddatur per analogiam, addo priori*, quotiescunque comederitis, *ad hunc modum*, hoc facite, quotiescunque comederitis, in mei recordationem. *Præterea, subobscuriorem Orationem per trajectionem, in rectum ordinem vocum sic restituo*, quotiescunque comederitis, hoc facite in mei recordationem. *Deniq;, Lucam & Paulum cum Matthæo hâc perpetuâ orationis serie conjungo: Accepit panem, dedit Discipulis & dixit, Accipite, comedite, hoc est* (enim) *corpus meum, quod vobis mox frangetur & dabitur; quotiescunq; autem comederitis Panem hunc, hoc facite in mei Recordationem,* **Et post aliqua:** *His ita digestis, & contextu sic ordinato, omninò* FACERE *in sumturis, quos adloquitur Paulus, significat*, acceptum comedere; *nam* τὸ, Facite hoc, *valet* τὸ, comedite illud. *Atq; ita dixisset Paulus, nisi compendium vulgare magis placuisset. Eadem retinenda est & constructionis & significationis analogia in posteriore dicto de Calice. Atq; hanc ipsam significationem satis ostendit apud Paulum proxima utriusq; dicti,* Hoc facite, *ætiologia, hæc nempe:* Quotiescunque enim comederitis panem hunc, & Calicem hunc biberitis &c. *pro*, quotiescunque enim hoc feceritis &c. *Ordo, (insuper) Romani officii, à Cassandro literis mandatus, indicat, imperativum*, Facite, *significare*, Bene-

lib. IV. de Sacram. Euchar. cap. 25.

Opusc. p. 136.

1. Cor. 11.

dicite, frangite & distribuite, *authore Huberto Episcopo.* Et postquam hoc verbi Facite significatum ex aliquot testimoniis utriusque Testamenti confirmavit, addidit: *Ex his palam est, verbum* Facere *nullâ ratione aptari posse, ut in illo Christi dicto,* Hoc facite, *significet* sacrificate; *alioqui etiam ad eos pertineret solos, qui se solos Sacrificii illius faciendi jus habere profitentur, quod tamen ad suos quoq; Corinthios omnes spectare testatur Paulus.* Subjunxit quoque Examen locorum, quæ pro Sacrificandi significatu è Sacris & profanis Scriptoribus communiter adduci solent, quod tamen nimiæ prolixitatis evitandæ causâ jam omittitur.

CAPVT DECIMVM QVINTVM, SEXTVM ET SEPTIMVM,

De

Vocibus Sacrificii, Oblationis, Altarium, Sacerdotum &c.

ACtum de his in genere, ubi suprà definitio *Sacrificii* fuit examini subjecta, ostensumque ex observationibus *Picherelli*, nihil eas facere pro demonstrando Missæ Sacrificio. Nunc nihil est super, quàm ut ea ponderentur loca & testimonia ex Augustino, quibus id nihilo-minus obtinere se posse speravit Bellarminus. Et quidem, quod ipsam *Sacrificii* vocem attinet, duo ex Augustino testimonia commendat, quæ hanc rem firmare videntur, quorum *prius* est, quod Sanctus Doctor rationem reddens, lib. II. Quæst. Evang. num. 3. cur Dominus jusserit leprosum, ut Sacrificium pro suâ emundatione secundum Mosis ritum obferret, scripsit: *Quia nondum institutum erat hoc Sacrificium, Sanctum sanctorum, quod corpus est Ejus.* Posterius autem, dum augustus Pater sequentia de Eucharistiæ lib. IV. de Trin. cap. 14. Sacramento observavit: *Quid gratius obferri aut suscipi posset, quàm caro Sacrificii nostri, corpus effectum Sacerdotis nostri.* Quia verò *Chemnitius* noster tres notavit modos loca Patrum, & inter eos Augustini etiam, explicandi, & Bellarminus suum de iisdem interponere judicium voluit, ad eos quoque ut attendatur, atque *Chemnitius* in adducendis præsertim Augustini testimoniis ex Instituto vindicetur, est omninò necessum. Ad Epist. 59. ad Paulin. *primum* igitur modum refertur à *Chemnitio*, quod Augustinus Sancti vocat Altaris oblationem, *quæ Deo obfertur, quando id, quod est in Mensâ Domini, benedicitur, sanctificatur, & ad distribuendum comminuitur & præparatur*; quando idem dicit Augustinus, *Christum* Epist. 23. ad Bonif. *immolari nobis*, & iterùm alibi, *Christum immolari fidelibus*, ubi Sanctus Pater Immolationem vocat ipsam Consecrationem, factam in usum fidelium. Ad *secundum* verò mo- in Psal. 79. dum ea Patrum dicta, & ita etiam Augustini, refert *Chemnitius*, quibus intelligitur Domini Cœna vocari Sacrificium, oblatio &c. *quia est commemoratio quædam & veri repræsentatio Sacrificii, mortis nimirùm Christi; quo videlicet modo Christus in Cœnâ dicitur immolari, non quod revera in se & propriè immoletur, sed quod immoletur in Sacramento, id est, in Imagine & similitudine.* Et hunc modum Bellarminus dicit *Chemnitium* probare ex Patribus, qui sæpè dicunt, *Christum semel tantum verè immolatum fuisse, & Eucharistiam esse repræsentationem illius Immolationis*, iisdem & plerisque locis ex Augustino citatis, quæ suprà *Picherellus* etiam in rem eandem laudavit. *Tertium*, qui super adhuc est, modum, ea Patrum loca & testimonia exhibentem, *quæ Sacrificium Altaris esse propitiatorium dicunt*, quia Bellarminus ipse ad peculiarem hujus Controversiæ tractationem reservat examinandum, nos quoque eorsùm hujus examinis Examen differemus. Ea inter ad duos antecedentes modos respondet Bellarminus, undè, quid de Sententiis Augustini ibidem expressis habeat, videndum est. *Ad primum ita scribit:* Augustinus oblationem Altaris apertissimè vocat Corpus Domini, quod in Altari ut verum ac proprium Deo obfertur Sacrificium. Neque obstant verba à *Chemnitio* citata. Nam Augustinus non dicit, ut Ille pessimâ fide citat, *oblationem Deo fieri, cùm, quod est in Mensâ, ad distribuendum comminuitur*; sed posteaquàm dixerat, id, quod est in Mensâ, benedici & comminui, multis dicit interpositis, *voveri Deo id omne, quod Ei obfertur, maximè autem Altaris Sancti oblationem.* Itaque Chemnitius conjunxit ista cum superioribus, ac si unam facerent Sententiam, cùm ad diversas pertineant. *Ad cætera Augustini loca*, inquit Bellarminus, *ubi Christus immolari dicitur nobis vel populis*, facilè potest responderi. Illud enim, nobis vel populis fidelibus, significat, in nostram utilitatem Deo obferri Sacrificium; nam Sacrificium Crucis etiam, quod verissimum est Sacrificium DEO oblatum, potest dici nobis factum, quia pro nobis est oblatum. Imò Augustinus in posteriore loco loquitur de Sacrificio Crucis. Dicit enim, *tunc nobis immolari Christum, quando incipimus participare fructum mortis Ejus*; perindè enim nobis est, ac si tunc primùm

mùm Christus in cruce fuisset oblatus. *Ad modum secundum*, quæ ad Augustini pertinent authoritatem, hæc habet: Quod Patres senserint, Sacrificium Missæ non solùm esse commemorativum, sed verum etiam & proprium, probatur, quia Augustinus in locis à *Chemnitio* citatis, sicut dicit, *actionem Cœnæ esse commemorationem Sacrificii Crucis jam peracti*; ita dicit, *Sacrificia Veteris Testamenti fuisse commemorationem Sacrificii Crucis posteà futuri*, & tamen negari non potest, quin Vetera illa Sacrificia fuerint in se vera & propriè dicta Sacrificia. *Deindè*, si celebratio Eucharistiæ non esset oblatio nova, realis & vera, Deo facta, sed solùm Imago quædam ac Repræsentatio Oblationis peractæ in Cruce, non possemus verè Deo dicere, *Obfero tibi hoc Munus*, seu, *Accipe hoc Sacrificium Domine*; qui enim dicit alicui, *obfero tibi*, seu, *accipe*, aliquid re ipsâ tunc porrigit, & non solùm repræsentat oblationem, nisi fortè irridere velit eum, quem honorare se simulat. Quare adversarii, cùm hoc intelligant probè, abstinent omninò in suæ Cœnæ celebratione ab ejusmodi vocibus, & eas in nobis maximè reprehendunt. At veteris Ecclesiæ Patres ita loqvuntur frequentissimè, ac præsertim Augustinus, scribens: *Quis audivit aliquando, fidelium Sacerdotem ad Altare stantem dicere in precibus: Obfero tibi Petre aut Cypriane?* Adde, quod Patres non solùm dicunt, se obferre, sed etiam dicunt, per hanc oblationem commemorari oblationem Crucis; ubi duas distingvunt oblationes, unam repræsentantem, alteram verò repræsentatam; unam incruentam, alteram cruentam. Indè Augustinus scripsit: *Christiani peracti jam Sacrificii memoriam celebrant sacrosanctâ oblatione & participatione corporis Christi.* Ubi illud etiam est obiter observandum, quod sicut participatio corporis Domini non definit esse vera & realis participatio, licet sit commemorativa; ita etiam oblatio, quæ simul fit cum illâ participatione, non definit esse vera & realis oblatio, licet sit alterius oblationis commemorativa. *Præterea*, Patres ad nomen Sacrificii sæpè addunt epitheta, quæ soli vero conveniunt Sacrificio, & quæ ineptè dicerentur de solâ repræsentatione. Hinc Augustinus vocat, *summum, verissimum & singulare Sacrificium.* Denique accedit, quod Patres apertissimè dicunt, *per hoc Sacrificium, quod nunc toto orbe terrarum ab Ecclesiâ obfertur Deo, exhiberi Deo cultum Latriæ soli Deo debitum*, ut patet ex loco Augustini jam citato, ubi probat indè, nos non habere Sanctos pro Diis, quia nemo dicit ad Altare: *Obfero tibi Petre, aut Cypriane.* At, si non esset hoc Sacrificium, nisi repræsentatio & memoria Sacrificii, non esset cultus Latriæ; non enim commemorare Sacrificium alterius, sed verè & propriè (Deo) sacrificare, est cultus Latriæ. *De voce Altaris*, ex cujus usu Missæ Sacrificium probare etiam intendit Bellarminus, observat, Augustinum quoque cum aliis Ecclesiæ Patribus & antiquioribus Conciliis *frequentissimè* Altarium in Scriptis meminisse, nominatim in laudato non semel hactenus opere de *Civitate DEI*, ex quo bina citat loca. *Tandem de Sacerdotis nomine monet*, veteris Ecclesiæ Patres adeò frequenter hâc voce uti, ut coactus sit *Chemnitius* fateri, ubi de Sacramento ordinis disputat, invaluisse apud Veteres usum, vocandi Ministros Ecclesiæ Sacerdotes & Ministerium eorum Sacerdotium, licet in Scripturâ N.T. vocabulum ejusmodi in hâc significatione non inveniatur; *quod quidem est verissimum*, inquit Bellarminus, de priori observatione Chemnitii id intelligens, quia addit: Nam non solùm Augustinus & Chrysostomus, quos ipse citat *Chemnitius*, & omnes passim posteriores hâc utuntur voce, sed etiam his antiquiores, ut Gaudentius, Hieronymus, Ambrosius, Cyprianus, Tertullianus &c. *Et post aliqua*: Quare fallitur manifestè vel potius mentitur Calvinus, cùm dicit, honorem Sacerdotii sic uni Christo vendicasse Veteres, ut Antichristi vocem fore adfirmet Augustinus, *si quis Episcopum inter Deum & hominem faciat intercessorem.* Nam Augustinus non loquitur de Sacerdote, sed Mediatore; & non de quocunque Mediatore, sed de Mediatore per modum Redemtionis, quæ soli Christo est propria, nam per modum deprecationis multos esse Sacerdotes & Mediatores, passim fatentur Patres. Nec solùm Intercessores, sed nominatim Sacerdotes vocat Episcopos & Presbyteros *Augustinus*, scribens: *Episcopi & Presbyteri propriè dicuntur Sacerdotes.* Neque valet responsio Chemnitii, qui fatetur, nomen Sacerdotii esse apud Veteres, sed non vult accipi pro ministerio sacrificandi, sed pro ministerio Verbi & Sacramentorum, istud enim solùm tribui contèdit in Scripturâ N.T. illis hominibus, qui à Patribus adpellari Sacerdotes consuevêrunt. Hæc inquâ solutio nõ est sufficiens. Nam in primis sequeretur, omnes Græcos & Latinos patres vel ignorasse vim vocis, vel de industriâ abuti illâ voluisse. *Et iterùm post aliqua*: quis credit, doctissimos Patres nomẽ Sacerdotis tribuisse iis, qui solùm docẽt populos, & iis Sacramẽta ministrant, sed nullũ obferunt Deo Sacrificiũ? *Præterea*, docere & Sacramẽta mi-

lib. 8. de Civit. Dei, cap. ult.

lib. 20. contra Faust. cap. 18.

II. suprà cit.

lib. II. contra Parm. cap. 8.

lib. 20. de Civ. Dei, cap. 10.

ministrare non solùm convenit Episcopis & Presbyteris, sed Diaconis etiam, & tamen
l. cit. Diaconi à Veteribus non dicuntur Sacerdotes, ut ex Augustino patet, *qui Sacerdotes & Presbyteros propriè Sacerdotes nominari dicit.*

Hactenus prolixè Bellarminus pro Missæ Sacrificio ex usu vocum Sacrificii, oblationis, Altarium, Sacerdotis, ab Augustino etiam hinc indè in Scriptis observato, ad quæ omnia & singula ante, quàm in specie ac eodem ordine observato respondeatur, prætereа, quæ supra ex *Picherello* in genere sunt observata, præmitti etiam debent, quæ *Cassander* in primo operum Tractatu de *Liturgicis* Ecclesiæ antiquioris agente ad hanc rem
cap. 16. oper. p. 33. pertinentia ex Augustino observavit, scribens, *Augustini ætate verbum obferendi de toto Sacramenti hujus celebratione & administratione dictum fuisse*, laudatis ex Eo sequentibus
Epist. 118. ad Januar. verbis, quæ itidem antehac usui nobis fuerunt: *Alii quotidiè communicant Corpori & Sanguini Dominico, alii certis diebus accipiunt, alibi nullus omittitur dies, quo non obferatur; alibi Sabbatho tantùm & Dominico, alibi tantùm Dominico.* Ibidem, *in alienâ Patriâ bis obfertur quintâ Sabbathi.* Item, *in fine diei mos est obferri.* Item, *Quæris, an obferendum sit manè, & rursùs post Cœnam*; Et, *an jejunandum, & post Cœnam tantummodo obferendum? Institutum multis est locis, ut illo die post refectionem obferatur.* Nonnunquam dicit obferre Christo: *Et quia nonnulli etiam custodiunt Jejunium, manè obfertur Christo.* Aliquandò conjungit obferre & accipere seu sumere. Ibidem inter alia legitur: *Vtrum jam refecti vel obferrent vel sumerent Eucharistiam.* Item, *post cibos obferri & accipi corpus Christi scripsit.* Quæ in Consultatione de eâdem re ex antiquorum Ecclesiæ Doctorum, & hinc Augustini etiam Scriptis notavit idem *Cassander*, brevitatis gratiâ nunc omitto, cùm liber is in Eruditorum manibus ob Editiones sæpè iteratas adeò ratus non sit. Constat indè, quæ *Chemnitius* de usu vocum Sacrificii &c. apud antiquos & inprimis Augustinum contra Patres Tridentinos & Missificos Papistas generatim monuit, non planè nullis in ipso etiam Papatu placuisse, visumque consultius fuisse, si in hoc usu antiquioris Ecclesiæ, terminisque ab antiquo positis in Sacramenti Eucharistiæ administratione constanter permansisset Ecclesia recentior, neque tot additamentis minus necessariis testamentariam hanc summi Sacerdotis & Archi-Episcopi dispositionem, & per ea animas Solatii indigas ita onerâsset, ut quid ad ipsam Sacramenti substantiam pertineat, quid loco circumstantiarum habere debeant, ac undè maxima Solatii pars haurienda sit, accedente Informationis debitæ defectu, & hinc crassissimâ in his rebus ignorantiâ, à suis Doctoribus deserti omninò nesciant, qui fidelibus Laicis solent adcenseri. Nunc ad ipsorum ex Augustino locorum Examen breve ut accedamus, eaque vindicemus, quæ *Chemnitius* contra Papisticum vocabulorum *Sacrificii* &c. abusum ex *Augustino* commendavit, prius quidem ex duobus illis, quorum Bellarminus pro suâ Sententiâ fecit mentionem, quia parallelum est illi, quod ad antecedens caput *primum* in serie Testimoniorum quinque, (quibus Christum in Eucharistiâ sub specie panis & vini DEO Patri semetipsum obtulisse, adeòque tanquam Sacerdotem verum verè etiam sacrificâsse, & ut idem facerent, id est, ut in celebratione Sacrificii Missæ tanquam veri Sacerdotes in oblatione specierum Panis & vini earumque solenni consecratione etiam verè sacrificent, per Verba, *Hoc facite*, Apostolis Eorumque in Officio & Munere Ecclesiastico Successoribus mandâsse, ex Augustino demonstrare voluit Bellarminus,) occupavit locum, responsum quoque ei datum hinc accersendum venit: *Posterius* autem ad Sacrificium Crucis omninò pertinere, sequentia proximè verba manifestè evincunt, ubi Sanctus Doctor integro textu ita scribit: *Quid tam gratè obferri & suscipi posset, quàm caro Sacrificii nostri, corpus effectum Sacerdotis nostri; ut, quoniam quatuor considerantur in omni Sacrificio, cui obferatur, à quo obferatur, quid obferatur, pro quibus obferatur, idem ipse unus verusque Mediator, per Sacrificium Pacis DEO nos reconcilians, unum cum illo maneret, cui obferebat, unum in se faceret, pro quibus obferebat, unus ipse esset, qui obferebat, & quod obferebat*, id est, quomodo Patrem augustum seipsum supra explicantem audivimus, *idem*
de Fide ad Petrum, c. 11. *Sacerdos & Sacrificium, idem Deus & Templum. Sacerdos, per quem sumus reconciliati; Sacrificium, quo sumus reconciliati; Templum, in quo sumus reconciliati; DEus, cui sumus reconciliati, solus tamen Sacerdos, Sacrificium & Templum, & hæc omnia Deus &c.* Nihil hic & ibi de Sacrificio Missæ per Sacerdotes celebrando habetur, sed tantùm de Sacrificio Crucis per ipsum Sacerdotem Summum oblato agitur. Quod verò jam attinet illos tres modos à *Chemnitio* observatos, & ideò notatos, ut ostendatur, quâ ratione dicta inprimis Augustini mentione Sacrificii in descriptione Sacramenti Eucharistiæ facientia debeant ad mentē Ejus orthodoxā intelligi, parcè nimis in eorū, secundi præsertim, & adductione & exa-

mine

mine versatus est Bellarminus, Augustini loca, quæ *Chemnitius* ad propositi sui illustrationem commendaverat verbotenùs, tantum citans & ostendens, ubi ea legi possint, ne, si ipsum exscripsisset textum, perspicuitas eorum Lectori ob oculos posita Veritatem faceret indubiam. In *primi* autem modi descriptione ac illustratione ejus ex Augustino, quia Bellarminus accusat *Chemnitium*, quod malâ, imò *pessimâ fide* Augustinum citaverit, integer iterùm locus adscribi debet, utut suprà etiam in vindiciis Definitionis Sacrificialis ex Augustino aliquâ sui parte fuerit Lectori commendatus. Adplicat ibi S. Pater ex usu Ecclesiæ sui temporis, quo vixit, illas precum species vel genera, quibus per Timotheum Paulus à cunctis fieri voluit fidelibus *obsecrationes, orationes, interpellationes, gratiarum actiones*, ad eas preces diversas, quæ in celebratione Sacramenti Eucharistiæ tùm „ ante, in, & post Consecrationem fieri consueverant, scribens: *Omnis, vel penè omnis* fre- „ quentat Ecclesia, ut precationes accipiamus dictas, quas facimus in celebratione Sa- „ cramentorum ante, quàm illud, quod est in Domini mensâ, incipiat benedici; *Oratio-* „ *nes*, cùm benedicitur & sanctificatur, & ad distribuendum comminuitur, quam peti- „ tionem totam ferè omnis Ecclesia Oratione Dominicâ concludit, ad quem intelle- „ ctum verbi etiam Græci origo nos adjuvat. Nam eam, quam dicunt εὐχὴν, ratò ita „ ponit Scriptura, ut intelligatur oratio; sed plerumque & multò usitatius Votum adpel- „ lat εὐχὴν, προσευχὴν verò, quod verbum ita positum est, undè tractamus, semper oratio- „ nem vocat. Undè hanc verbi originem nonnulli minus eruditè intuentes, προσευχὴν non „ orationem, sed adorationem dicere voluerunt, quæ potius προσκύνησις dicitur. Sed quia „ Oratio interdum dicitur, quæ vocatur εὐχὴ, adoratio putata est προσευχή. Porrò, si usita- „ tius in Scriptis Votum adpellatur εὐχὴ, excepto nomine generali orationis, ea propriè „ intelligenda est Oratio, quam facimus ad Votum, id est, πρὸς εὐχήν. Voventur autem „ omnia, quæ Deo obferuntur, *maximè Sancti Altaris oblatio*, quo Sacramento prædica- „ tur nostrum aliud Votum maximum, quo nos vovimus in Christo esse mansuros, uti- „ que in compage corporis Christi, cujus rei Sacramentum est, quod unus Panis, unum „ corpus multi sumus. Ideò in hujus sanctificatione & distributionis præparatione existi- „ mo Apostolum jussisse fieri propriè προσευχὰς, id est, orationes, vel ut nonnulli minus „ peritè sunt interpretati, adorationes, hoc est enim ad votum, quod usitatius εὐχὴ in „ Scripturis nuncupatur; *interpellationes* autem sive postulationes fiunt, cùm populus be- „ nedicitur. Tunc enim Antistites velut advocati suos per manûs impositionem susce- „ ptos Misericordissimæ obferunt potestati. Quibus peractis & participato tanto Sacra- „ mento gratiarum actio concludit cuncta, quam in his etiam verbis *ultimam commenda-* „ *vit Apostolus*. Hæc in continuâ Textus serie Augustinus, quam ideò nullibi interruptam adscribere necessum existimavi, ut videre & judicare possit Lector æquitatis studiosus, an *Chemnitius* malæ, imò pessimæ fidei accusari debuerit à Bellarmino, ea in compendio exhibens, quæ Augustinus aliquantò prolixius explicavit, nihil de proprio addens, sed & nihil eorum subtrahens, quæ ad rem ipsam, de quâ egit, pertinere sunt visa. Neque etiam impertinenter antecedentia cum sequentibus in hoc Testimonio conjunxit *Chemnitius*, aut ex diversis duabus Sententiis unam fecit, ut Lectori persuasum voluit Bellarminus, cùm una tantum sit, utut aliquantò prolixior Sententia, Apostoli monitum de diversis precum generibus ad preces in Sacramenti Eucharistiæ celebratione suo tempore usitatas adplicans, in quâ Expositione dum *Oblationis Sancti Altaris* meminit augustus Doctor, ex antecedentibus pariter & subsequentibus patet, Eum de totâ actione Sacramentali id intellectum voluisse; *Sacramentali*, inquam, non Sacrificiali vel Missaticâ, utpotè Augustino & Seculo Augustini ignotâ, id quod hactenus non semel fuit observatum, & hinc etiam inprimis constat, quod expressam *distributionis & participationis Sacramenti* fecit in his verbis mentionem, quam nullo planè modo ad Sacrificium Missæ, verùm ad Eucharistiæ celebrationem pertinere, itidem sæpius fuit indicatum. Ad cætera duo Augustini loca, quæ *Chemnitius* in primi modorum descriptione adduxit, & quibus *Christum nobis & fidelibus immolari* scripsit Augustinus, dum Bellarminus facilè responderi posse existimat, dicens, *illud nobis significare in nostram utilitatem, quia & Sacrificium Crucis, quod verissimum sit Sacrificium, possit dici nobis factum, quia pro nobis est oblatum*, aliquid dixit, sed vim observationis *Chemnitianæ* non exhausit, quæ non tam ad pronomen *nobis*, quàm ad verbum *immolari* respexit, quod non de ipsâ immolatione Sacrificiali, sed de Consecratione & distributione Sacramentali intelligendum esse, *Chemnitius* monuit, id quod ex priore è duob9 testimonio præprimis manifestũ est, quod itidẽ suprà jam legitur, hic tamen necessariò repetendũ venit, & pleniore Textu ita legitur:

I. Epist. II.

tur: *Nonne semel immolatus est Christus in seipso, & tamen in Sacramento non solùm per omnes Paschæ Solennitates, sed omni die populis immolatur, nec utiq; mentitur, qui interrogatus, Eum responderit immolari? Si enim Sacramenta quandam similitudinem earum Rerum, quarum sunt Sacramenta, non haberent, omninò Sacramenta non essent; ex hâc autem similitudine plerumq; etiam ipsarum rerum nomina accipiunt.* Pariter, quod in posteriori testimonio Augustinum de *Sacrificio Crucis* loqui objicit Bellarminus, observationi *Chemnitianæ* non adversatur, cùm omninò hæc Sacramentalis immolatio & distributio, si participatio & communio utilis sit, & cum debito fructu conjuncta, Immolationem Christi in Cruce factam respiciat, atque sic homo fidelis Mortis Dominicæ fructum percipiat, quod jam in secundi etiam modi vindiciis porrò demonstrabitur ex Augustino, ex quo ante, quàm Bellarmini examinetur Responsum, ea notari debent testimonia, quibus commemorationem & repræsentationem Sacrificii Crucis in Eucharistiæ Sacramento ostendit *Chemnitius*, ut ut pleraque anteà etiam, non simul tamen, fuerint Lectori commendata, cùm unius testimonii in pluribus Controversiis usus esse possit.

Quinque autem sunt, quæ eo ordine, quo apud *Chemnitium* leguntur, huc ponemus, ut quousque Bellarmini valeat responsum, Lectori Veritatis studioso eò melius possit constare. *Primum* ex libro Sententiarum *Prosperi*, & Jure Canonico *Gratiani*, ex quo utrinque suprà habuimus, hoc est: *Cùm frangitur hostia, dum Sanguis de Calice in ora fidelium effunditur, quid aliud, quàm Dominici corporis immolatio in Cruce, Ejusq; Sanguinis effusio delatere designatur?* De secundo ex opere contra Faustum Chemnitius ita: *Augustinus hæc tria*
lib. 20. cap. 18. *inter se confert*, Sacrificia Levitica, Sacrificium Christi in Cruce, & immolationem corporis Ejus in Cœnâ, *& inter hæc talem ostendit differentiam*, videl. *in Cruce redditum fuisse in veritate Sacrificium Corporis & Sanguinis Christi, in veterum Sacrificiis fuisse figuras & similitudines futurum Christi Sacrificium promittentes; in Cœnâ Domini autem per Sacramentum memoriæ celebrari memoriam seu commemorationem & gratiarum actionem perfecti & consummati in Cruce Sacrificii.* De tertio hæc habet: *Idem tractat exempla, quod illud, quod alicujus est memoriale, sæpè propter similitudinem, ejus rei, cujus est memoriale, nomen accipiat,*
Epist. 120. ad Honor. Ex. gr. *ut adpropinquante Paschate dicimus*, Cras aut perendiè est Passio Christi, *cùm semel tantum ante multos sit passus Annos; & die Dominicâ dicimus*, Hodiè Christus resurrexit, *propter similitudinem enim dies ille id esse dicitur, quod tamen non est.* Posteà subjungit eadem, quæ proximè ex Epistolâ ad Bonifacium sunt adducta. Quartum sequitur testimonium: *Ecce, innovavit nos Christus, omnia nobis donavit peccata, & conversi sumus. Si oblivisc amur, quod nobis est donatum, & à quo donatum est, oblivisc imur munus Salvatoris; cùm*
in Psal. 39. *autem non oblivisc imur munus Salvatoris, nonne quotidiè Christus immolatur nobis?* Et: *Semel pro nobis immolatus est Christus. Cùm credidimus, tunc fuit nobis cogitatio; modò autem reliquæ cogitationis sunt, quæ meminimus, quis ad nos venerit, & quid nobis donaverit. Expsis reliquis cogitationis*, hoc est, *ex ipsâ memoriâ quotidiè nobis sic immolatur, quasi quotidiè nos innovet, qui primâ gratiâ suâ nos innovavit.* Addit Chemnitius, *observet Lector, quod Augustinus dicit*, Christum immolari nobis, *quando per vocem Evangelii ad Fidem convertimur, quando Dei gratiâ innovamur, in Baptismo scilicet. Imò ex ipsâ Beneficiorum Christi memoriâ* dicit Augustinus *Christum nobis immolari*, hoc est, ut alibi dicit: *Tunc cuiq; Christus occiditur, cùm credit occisum.* Quintum super adhuc est ex libris de Trinitate desumtum: *Qui morte Domini sumus liberati, hujus rei memoriam edendo & potando, quæ* OBLATA *sunt, significamus.* Item, *Corpus Christi dicimus illud, quod ex terræ fructibus acceptum & mystica prece consecratum sumimus in memoriam Passionis Dominicæ.* Hactenus ex Augustino ad secundi, quem notavit, modi explicationem *Chemnitius*, quinque diversis usus testimoniis, præter ea, ad quæ citando Lectorem misit, quibus non semel expressè docuit Augustinus, *Christum semel tantum verè, sive in veritate oblatum esse*, in Cruce scilicet, *actionem verò Cœnæ Dominicæ propter similitudinem vocari Sacrificium, oblationem & immolationem, non quod verè ibi fiat Immolatio Christi, sed quia institutа sit & usurpetur in memoriam seu commemorationem Immolationis Christi factæ semel in Cruce*, quod à *Picherello* quoque observatum. Et si id ritè observetur, non adeò difficile est iis obviam ire, quæ Bellarminus in contrarium objecit. Nam etsi Augustinus Sacrificia Veteris Testamenti statuat fuisse commemorationem Sacrificii Crucis posteà futuri, non tamen sequitur, Sacramentum Eucharistiæ, quia eodem munere commemorationis Sacrificii in Cruce jam peracti fungitur, ideò Sacrificium propriè sic dictũ esse & dici debere, cùm unã rem plures aliæ & quidẽ generis diversi significare & commemorare possint. Agnũ certè Paschalem fuisse typum & quidẽ commemorativum Sacrificii Crucis, Paulus dubitare nos non sinit; & tamen

men omninò nondum est evictum & indubium, Agnum Paschalem habuisse rationem Sacrificii propriè sic dicti, id quod ex iis, quæ anteà ex *Augustino* sunt notata de eo, constat, & alibi prolixius excutitur. Ita æneum Serpentem præfiguràsse Christum in Arâ Crucis sacrificantem, optimus interpres ipse Christus nos docet; quis verò unquam ausus est dicere, æneum Serpentem à Mose in Eremo ex mandato Dei erectum fuisse etiam impropriè, Sacrificium? Et ut de Novo etiam Testamento sumatur exemplum, nemo Christianus è Catechetica Institutione nescit, Sacramentum Baptismi esse commemorationem mortis Christi, quæ tanquam pars præcipua ad Sacrificium Ejus in Cruce peractum refertur; non tamen concedit Bellarminus, neque etiam vi hypothesium suarum potest concedere, ut Sacramentum Baptismi dicatur Sacrificium aut actio Sacrificialis, nisi contra semetipsum statuere velit. Ut adeò non sequatur, Sacramentum Eucharistiæ ideò, quia est commemorativum Sacrificii Crucis, esse & dici debere Sacrificium, nisi numerum Sacrificiorum in utroque Testamento præter necessitatem multiplicare, eaque in eorum serie velimus collocare, quæ ex adversariæ partis concessione non nisi absurdissimè Sacrificia dicerentur, tanquam Sacrificia non Sacrificia. *Porrò* etiam non sequitur, si oblatio in Sacramento Eucharistiæ, quâ nimirùm fidelis communicans ex debitâ gratitudine commemorat Sacrificium Crucis, idque tanquam verè propitiatorium verâ fide Deo Patri obfert, non esset *oblatio nova, realis & vera*, id est, juxta mentem Bellarmini, sacrificialis, fore eam *irrisoriam*. Quamvis enim non sit sacrificialis, ita ut oblationis modus aliquam Sacrificii Rationem habeat, neque etiam sit *nova*, quia per eam Deo Patri obfertur Sacrificium Agni, qui *ab Origine Mundi* dicitur occisus; non est tamen irrisoria, sed *realis & vera*, ad quem modum oblatio dici posset, quando Debitor Creditori in memoriam revocat oblatum antehàc à Vade suo chirographum seu exhibitæ solutionis testimonium, etsi nihil ipse contulerit ad solutionem: Quod autem in Ecclesiis nostris circa administrationem Sacramenti Eucharistiæ hæc formula solennis hodiè non adhibetur, quam *Augustini* tempore adhibitam Bellarminus monet, ideò fit præprimis, quia, etsi tempore *Augustini* citra scandalum & minus genuini sensûs periculum adhiberi potuerit, ubi de Sacramento Eucharistiæ solùm, nihil autem de Sacrificio Missæ fidelibus notum fuit, nunc alia omninò sit temporum conditio, Ecclesiæ statu plurimùm mutato, quo quam-maximè necessarium post purioris Doctrinæ restitutionem cœlitùs illuminatis Reformatoribus fuit visum, sicut à pluribus aliis in se adiaphoris, ita etiam ab hujus formulæ usu circa administrationem Sacramenti Eucharistiæ dato quodam studio abstinere, ne aliquam oblationem *novam* eamque Sacrificialem in hoc opere Sancto statuere videantur, præsertim cùm non sit phrasis Biblica, nulloq; universalis Ecclesiæ decreto recepta, utut ad analogiam Fidei reducenda, & quæ à fidelibus in usu hujus Sacramenti devotione privatâ sine periculo potest adhiberi. Et hinc non respuunt, sed facilè recipiunt Evangelici suppeditatam à Bellarmino distinctionem inter *oblationem repræsentantem & repræsentatam*, quarum hanc dicit cruentam, illam verò incruentam, Augustini etiam testimonio confirmatam; ex quâ tamen non sequitur, utramque dici debere Sacrificialem, cùm de illâ id non nisi *objectivè* verum sit, hâc etiam *subjectivè* id admittente Elogium. Ac nostra possumus etiam facere verba Bellarmini, quibus non parùm se contra Evangelicos obtinere posse putavit, scribens: *Sicut participatio corporis Domini non desinit esse vera & realis participatio, licet sit commemorativa; ita etiam oblatio, quæ simul sit cum illâ participatione, non desinit esse vera & realis* (non tamen nova & sacrificialis, nisi in sensu, ut dixi, objectivo) *oblatio, licet sit alterius oblationis commemoratio*. Quod verò Patres, & inter eos Augustinus noster, huic Sacrificio addunt Epitheta, vocantes illud *summum, verissimum & singulare Sacrificium*, Evangelici quoque admittunt, *ineptè illa dici de solâ repræsentatione*, agnoscentes, referri ea debere ad illud Sacrificiũ, cujus repræsentatio & commemoratio, quin & oblatio fit, nimirùm in ipso usu & participatione Sacramenti Eucharistiæ, quorsum cum cæteris Ecclesiæ Patribus *Augustinum* respexisse, ex testimoniis hactenus laudatis plus, quàm satis notum est. Verùm nihil hoc ad Missæ Sacrificium, sed ad Sacrificiũ Crucis, cui Epitheta hæc adscripsit cum aliis *Augustinus*, ad indicandam Corporis & Sanguinis Christi in Sacramento Eucharistiæ propositi dignitatem & excellentiam, & ad significandum discrimen inter figuras, typos, adumbrationes V. T. in Sacramentis æquè ac Sacrificiis, ut & aliis rebus exhibitas, & inter Mysteria ac Sacramẽta N. T. ipsũ corpus remotis omninò umbris exhibentia; quin & ad ostendendum, omnẽ vim, virtutem & efficaciã Eucharistiæ Sacramentum ab hoc unico & singulari Crucis Sacrificio habere, quod inprimis hic respiciendũ venit. In eo autẽ nonnisi

vid. D. Dorsch. de Agno Pasch. §. 51. & 52.

nisi insignem prodit inscitiam vel incogitantiam Bellarminus, dum Latriæ cultum soli Deo debitum ad Sacrificia tantum propriè sic dicta restringit, alia quævis opera indè excludens; cùm, etiamsi *Augustinus* in loco proximè vindicato cultum Sacrificialem soli Deo, non item Sanctis Martyribus deberi statuat, ac Evangelici hoc etiam in puncto consentiant Augustino, nullo tamen modo sequatur, nullum alium cultum, quàm Sacrificialem ad Latriam Deo debitam pertinere, multis operibus aliis in Ecclesiâ etiam Papæâ usitatis, quæ præter Sacrificium Missæ ad cultum Latriæ DEO soli debitæ referuntur, ut infrà in Quæstione de *operibus bonis* ita dictis in specie uberius demonstrabitur. Et cur non possit oblatio Sacrificii Crucis in Sacramento Eucharistiæ memorativa & repræsentativa cultus Latriæ soli Deo debitus vocari, cùm ea nulli Sancto Martyri, nulli etiam Angelo possit aut debeat exhiberi, citra crimen Læsæ Majestatis Divinæ, & commissæ hinc gravioris Hagio- & Angelolatriæ, à cujus reatu quantum sibi caveant Evangelici, plus quam satis est notum? De vocabulo Altaris in *Augustini* Scriptis occurrente, quo Bellarminus Sacrificium Missæ insigniter putat demonstrari posse, in Vindiciis *Anti-Ottonianis* prolixè satis est actum, nec opus est ibi observata hic non sine tædio repetere, quia per adversarii ad epistomium adacti silentium adhuc stant inconcussa.

conf. D. Dorsch. Mysar. Missæ, c. 8 per tot. Tractavit quoque non ita pridem hoc argumentum enucleatissimè celebris Argentinensium Theologus, *Balthasar Bæbelius*, in de Aris & Mensis Veterum Eucharisticis peculiari Dissertatione, in quâ ad Spicilegium nihil ferè est relictum.

Super adhuc est vox Sacerdotis, de quâ sicut Bellarminus fatentem produxit *Chemnitium*, quod apud antiquos Ecclesiæ Scriptores, & hinc apud *Augustinum* quoque, Ministri Ecclesiæ dicantur Sacerdotes, & Ministerium eorum vocetur Sacerdotium; ita inficias ire non potuit, quamvis non apertè fassus, *in Scripturâ N. T. vocabulum ejusmodi in propriâ significatione non inveniri*, & quod exindè sequitur, neque apud Patres propriè illud intelligendum esse. Quod autem manifestè falli vel mentiri potius Calvinum dicit Bellarminus, cùm honorem Sacerdotii, nimirùm propriè sic dicti, & in Novo quidem Testamento, sic uni Christo vindicâsse Veteres Ecclesiæ Doctores scripsit, ut *Antichristi* vocem fore adfirmet Augustinus, *si quis Episcopum inter DEum & hominem faciat Intercessorem*; etsi hic in Calvini gratiam vindiciæ non scribantur, ob laudatam nihilo-minus *Augustini* authoritatem moneri debet, injuriam Calvino feciisse Bellarminum, ipsum non semel hactenus mendacii, & quidem manifesti Reum, id quod ipsa S. Patris verba, ad quæ Calvinus respexit, & quarum aliquam partem Bellarminus adposuit, facient manifestum. Egit verò contra Donatistas ibi Doctor augustus, inter quem & illos Controversiæ quis fuerit status, ignotum Ejus opera legentibus non est. Post dictum ex Evangelio Johannis desumtum, *quo Deus peccatores non audire legitur*, ad illud ejusdem Johannis

Cap. II. ex Epistolâ priori devenit Oraculum, quo Christus tanquam *Advocatus apud Patrem & propitiatio pro totius Mundi peccatis* commendatur, in cujus explicatione & ad Institutum adplicatione Augustinus contra adversarium, nempè Parmenianum, Donatistarum an-

„ tehàc Episcopum sequentia scripsit: *Si Johannes diceret*, Hoc scribo vobis, ut non pec-
„ cetis; & si quis peccaverit, Advocatum habetis (*non, habemus*) apud Patrem, Jesum
„ Christum, Justum, & Ipse est propitiatio pro peccatis (*non, nostris, sed*) vestris, semet-
„ ipsum à peccantibus quasi segregâsse videretur, ut jam non ei opus esset propitiatione,
„ quæ fit per Mediatorem ad dextram Patris sedentem, & interpellantem pro nobis,
„ quod utique non solum superbè, sed etiam falsò diceret. Si verò ita diceret, hoc scripsi
„ vobis, ut non peccatis, & si quis peccaverit, Mediatorem (me) habetis apud Patrem,
„ Ego exoro pro peccatis vestris, sicut Parmenianus quodam loco Mediatorem posuit
„ Episcopum (aliàs, se,) inter Deum & populum; quis bonorum atque fidelium Chri-
„ stianorum ferret eum, quis sicut Apostolum Christi, & non sicut ANTICHRISTUM in-

NB. „ tueretur? *Post aliqua:* Homines Christiani omnes invicem se commendant orationibus
„ suis; pro quo autem nullus interpellat, sed ipse pro omnibus, hic unus verusque Media-
„ tor est, cujus typus quoniam præfigurabatur in Sacerdote V. T. nullus illic invenitur
„ orâsse pro Sacerdote. *Paulus* autem Apostolus, quanquam sub capite præcipuum (ipse)
„ membrum, sed tamen, quia membrum est corporis Christi, & noverat, non per figu-
„ ram in Veli interiora ad Sancta Sanctorum, sed per expressam & firmam Veritatem in
„ Cœli Interiora ad Sanctitatem non imaginariam, sed æternam pro nobis intrâsse ma-
„ ximum & verissimum Ecclesiæ Sacerdotem, se orationibus fidelium & ipse commen-
„ dat; nec Mediatorem se facit inter Deum & populum, sed rogat, ut pro se orent invi-
„ cem omnia corporis Christi membra. *Et iterum post aliqua:* Nam si Paulus esset Media-

tor

"tor, essent utiq; & cæteri Ejus co Apostoli, atq; sic multi essent Mediatores, nec ipsi Pau-
"lo constaret ratio, quâ dixerat, *unus est Deus, & unus Mediator*, &c. Quis ex his August. verbis non videt, eâdem ratione, qua Christus est & dicitur unus Mediator, & ap. Deum Patrem pro hominibus Intercessor, eadem quoq; Eum esse & dici unũ in Novo (de quo agitur) Test. Sacerdotem, i.e. *propitiationem* juxta Johannem, vel juxta August. ex testimonio superiùs non semel laudato, *Sacrificium* verè propitiatorium *pro totius Mundi peccatis*; & quem ad modum Augustinus pro Mediatore inter Deum & hominem se venditantem optimo jure dixit *Antichristum*; ita etiam dici posse & debere *Antichristum*, quicunq; præter Christum in N. T. se dixerit esse Sacerdotem propriè sic dictum, postquam Christus Sacerdos Summus Sacerdotio V. T. utpote typico & umbratili imposuit finem, unico id complens Sacrificio, nimirum crucis? Et omninò contra manifestam veritatem scribit Bellarm. accusans Calvinum mendacii, quando August. hic loci *non de quocunq; Mediatore, sed de Mediatore per modum redemtionis* agere dixit, cùm integer verborum contextus evincat, sermonem esse S. Patri de Mediatore etiam *per modum intercessionis*, quem Johannes Paracletum sive Advocatum notanter dixit, i.e. ex augustiss. Doctoris Sententia, *unum verumq; Mediatorem*, quod Elogium præter Christum nulli hominum sit concedendum, ne honor is, qui singularis est tantum, præter debitum fiat etiam pluralis, & qui soli debetur Christo, homini pariter & Deo, puris etiam hominibus, non sine injuriâ Christi, Mediatoris unici, adtribuatur. Nec quidquam obtinet pro se Bellarm. loco Augustini classico, quo Episcopi & Presbyteri *propriè* in Ecclesia dicuntur Sacerdotes, modò Ejus mentem ex ipso hoc loco penitius intelligamus. Ubi enim Oraculum laudavit Apocalypticum, quo de fidelibus Christi adsectis dicitur, fore eos post primam resurrectionem, scilicet à morte peccatorum, *Sacerdotes DEI & Christi*, quomodo illud sit capiendum, sequentibus indicat verbis: *Non utiq; de solis Episcopis & Presbyteris id dictum est, qui propriè jam vocantur in Ecclesia Sacerdotes; sed sicut omnes Christianos dicimus propter mysticum chrisma, sic omnes (etiam) Sacerdotes, quoniam membra sunt unius Sacerdotis, de quibus Apost. Petrus inquit*: Plebs sancta, regale Sacerdotium. *Sanè, licet breviter atq; trãseuntèr, insinuavit, Deum esse Christum, dicendo Sacerdotes Dei & Christi*, h.e. *Patris & Filii*; *quamvis propter formam Servi sicut filius hominis, ita etiam Sacerdos sit effectus in æternum secundum ord. Melchisedech.* Tres Sacerdotum species vel genera potius in his verbis exhibet August. omnes nimirùm Christianos ex sensu Oraculi Johannæi & Petrini vocans Sacerdotes, nimirùm spirituales, impropriè sic dictos, Episcopos autem & Presbyteros magis propriè, non in ordine ad V. T. Sacerdotes verè sacrificantes, sed in ord. ad cæteros fideles, à quibus in eo distinguuntur, quod peculiari in Ecclesia funguntur munere, etsi non juxta exemplum V. T. Sacerdotum, verè & propriè sacrificandi, Sacra tamen per Verbi prædicationem & Sacramentorum à Christo institutorum administrationem ex officio faciendi, quod ordinariè & tantum legitimè vocatis competit, nisi casus aliquis ingruat necessitatis lege carens, de quo aliàs. Restat *tertium* genus, quo Christus omniũ propriissime dicitur Sacerdos in N. T. præter quem quicunq; hunc sibi jam adscribit honorem, næ is secund. Augustini pronuntiatum *Antichristi* dignus est elogio. Equidem Bellarminus hâc explicatione, quâ Ecclesiæ Ministros ob prædicationem Verbi & administrationem Sacramentorũ ab Augustino & aliis Sacerdotes vocari statuitur, contentus esse non vult, putans, inde sequi, *Græcos pariter & Latinos Patres vel ignorasse vim vocis hujus, vel de industriâ abuti illâ voluisse, neq; credendum esse, eos nomen Sacerdotis tribuisse iis, qui populos solùm docent & iis Sacramenta ministrant, nullum verò Sacrificium Deo obferentes, cùm illud, docere nimirùm & Sacramenta ministrare, Diaconis etiam competat, qui tamen ab Augustino & aliis non dicantur Sacerdotes.* Verùm hoc nihil ad rem esse, quilibet judicio præditus per se videt. Non enim sequitur, Augustinum & cæteros Ecclesiæ Patres vocabulo Sacerdotis uti sensu improprio & adcommodatitio, ideò ignorasse Eos vel vim Vocis, vel de industriâ abuti illa voluisse, ita ut ille abusus pro crimine sit habendus. Id certè si valeret, Scriptores Novi etiam Testamenti vel alicujus ignorantiæ vel abusus culpandi non semel possent accusari, phrasibus & formalis loquendi in Veteri Testamento usitatis per sensum merè adcommodatitium utentes, & de industriâ quidem, quod tamen vitio ipsis verti inter Christianos non memini. *Diaconos* Augustini tempore, de quo hic præsertim agitur, & docuisse in publico, & Sacramenta administrasse, Bellarminus ex Augustino debuit ostendere, si hac instantiâ *Chemnitii* explicationem voluit infringere. Breviter, & ut summatim quasi comprehendamus, quæ hactenus ex ingenio Bellarmini fuêre sub Examen vocata, tentavit is

cap. 20.

II. Epist. 2.

quidem pro viribus hinc indè ex *Augustino*, sicut ex cæteris quoque Patribus, colligere de vocibus *Sacrificii, Oblationis, Altarium*, &c. testimonia, quibus Missæ Sacrificium, cor nempè & animam Romani Papatus, aliquâ saltem ratione suffulciri posse existimavit, excogitatis etiam ex Ingenii promtuario responsis, quibus Augustini & cæterorum Ecclesiæ Patrum mentem ex locis ut plurimùm parallelis perspicuam obtenebrare & obscuram facere ad minimum studuit, ne Veritas Evangelica plenioribus radiis ad animum studiosi Lectoris admittatur; sed operam lusit, & frustranei Ejus fuerunt conatus, id quod brevis hæc ostendit deductio, *Picherello* etiam & *Cassandro*, Viris undiquaq; antehàc inter suos celeberrimis & insigni valentibus judicandi dexteritate, Evangelicis apertè & ingenuè suum præbentibus consensum, ac testantibus, non eam fuisse *Augustino* & cæteris Patribus orthodoxis mentem, quæ communiter eis ab hominibus non propriis, sed aliorum oculis, iisq; utplurimùm præjudicio oneratis, Patrum scripta legentibus adtribui, vel potius adfingi solet, aliter judicaturis, si majori Veritatis amore & studio agerentur.

CAPVT VIGESIMVM, & seqq.

De *Conjunctione Legis & Sacrificii,* Et de *Comparatione Legis Christianæ ad Mosaicam.*

IN antecedente quidem capite decimo & nono, in quo Bellarminus ex respectu eorum quoque Sacrificium Missæ conatus est probare, pro quibus illud obferri dicitur, tria Augustini testimonia adduxit, suo, ut putavit, Instituto inservientia; de quibus tamen cùm partim supra jam sit actum, ubi Quæstio de *utilitate Suffragiorum pro defunctis* fuit tractata, partim in secuturâ de *Missis privatis* tractatione agetur, ne eadem sæpius non absq; tædio occurrant, hic prætermittere non inconsultum videtur. Ea igitur nunc, quamvis itidem quasi per transennam videamus, quæ ad demonstrandam *Legis & Sacrificii conjunctionem*, ut & ad *comparationem Legis Christianæ ad Mosaicam* ostendendam, & ex utraq; confirmandum Missæ Sacrificium ex Augustino protulit Bellarminus, omnia singulari studio, ututnon pari judicio corradens, quæ ullâ ratione ad rem suam facere visa sunt. In prioris autem partis tractatione, postquàm sufficienter demonstrasse *conjunctionem Legis & Sacrificii* in genere, & thesi se putavit, dum in probandâ adsumtione & deductione theseos ad hypothesin in specie ostendere laboravit, *sublato Missæ Sacrificio nullam in Ecclesiâ Christi restare Sacrificium propriè dictum*, præter alia quædam argumenta tandem sequenti etiam ex Augustini authoritate est usus, scribens: *sacrificium Christianæ Religionis debet esse ritus quidam à DEO Christianis præceptus, ad illum pertinens cultum, qui Latria dicitur, ut rectè Augustinus adfirmat.* Videamus iteratò, quid Augustinus hac de re adfirmarit, quamvis itidem suprà id viderimus, ne remittendo tantum agamus, sed Bellarmini eadem sæpè inculcantis inhæreamus vestigiis. Ita autem ex sua & Ecclesiæ tùm orthodoxæ Sententia scribit Doctor augustus: *Colimus Martyres eo cultu dilectionis & Societatis, quo & in hâc vitâ coluntur Sancti homines DEI, quorum cor ad talem* l. 20. contra Faust. cap. 21. *pro Evangelicâ Veritate passionem sentimus esse paratum; sed illos tantò devotius, quantò securius post incerta omnia superata, quantò etiam fidentiore laude prædicamus jam in vitâ feliciore victores, quàm in istâ adhuc usq; pugnantes. At illo cultu, quæ Latria Græcè dicitur, & Latinè uno verbo dici non potest, cum sit quædam Divinitati propriè debita servitus, nec colimus, nec colendum docemus, nisi unum Deum. Cùm autem ad hunc cultum pertineat oblatio Sacrificii, undè Idololatria dicitur eorum, qui hoc Idolis etiam exhibent, nullo modo tale aliquid obferimus aut obferendum præcipimus vel cuiquam Martyri, vel Animæ cuiquam Sanctæ, vel cuiquam Angelo; & quisquis in hunc delabitur errorem, per sanam corripitur Doctrinam, sive ut corrigatur, sive ut caveatur.* Et post quædam: *Frequentissimè sacrificamus DEO in memoriis Martyrum, illo duntaxat ritu, quo sibi manifestatione Novi Test. præcepit sacrificari, quod ad illum pertinet cultum, quæ Latria dicitur & uni debetur Deo. Sed quid agam, & quando tantæ istorum hæreticorum cæcitati demonstrabo, quam habeat vim, quod in* Psal. 50. *Psalmis canitur:* Sacrificium laudis glorificabit me, & illic via est, ubi ostendam illi salutare meum? *Hujus Sacrificii caro & sanguis ante adventum Christi per victimas similitudinum promittebatur, in passione Christi per ipsam veritatem reddebatur, post adscensum Christi per Sacram. memoriæ celebratur.* Non jam sub Examen vocabo, an Bellarminus in probandâ thesi sufficienter necessariam *Legis & Sacrificii conjunctionem* ostenderit, & num in ostendendâ hypothesi evicerit, *sublato Missæ Sacrificio nullum* omninò *in Ecclesiâ CHRISTI restare Sacrificium propriè dictum*, quod posterius directè Augustino esse oppositum

oppositum, suprà in vindicandâ definitione Sacrificii Augustiniana, Pauli inprimis, Petri insuper, & Johannis authoritatibus nixâ est ostensum, nisi Bellarm. hic quoq; velit excipere, *Apostolos veli nor âsse vim harum vocum, Sacrificii & Sacerdotis, vel de industriâ abuti illis voluisse*; verùm illud nunc ante alia venit ponderandum, an quæ Augustinus hic loci de *oblatione Sacrificii*, tanquam parte aliquâ cultûs Latriæ soli DEO debitæ habet, ad Papæum Missæ Sacrificium pertineant, talemq; oblationem propriè sacrificialem designent, quæ nova dici possit, & in se habeat vim Sacrificii verè propitiatorii. Id certè hic demonstrandum erit, si illatio Bellarmini valere debebit. Atqui optimus hic iterùm interpres suorum est verborum *Augustinus*, ut antè etiam non semel vidimus, hanc Sacrificii oblationem, quidquid dicat & contradicat Bellarminus, expressissimè de *Sacrificio Passionis* explicans, in V. Test. *per victimas similitudinum promisso*, nunc per Sacramentum memoriæ, gratæ nimirum & debitæ gratiarum actionis celebrando, ex cujus respectu notanter per adcommodationem Oraculi Psaltis Divini *Sacrificium laudis* dixit, quo nihil manifestius pro Evangelicorum Sententiâ, ad Sacram. Eucharistiæ, verè Eucharisticum respiciente, contra Sacrificium Missæ propitiatorium dici aut scribi ab *Augustino* potuit. Grati etiam suscipimus, quod Bellarminus de *Sacrificiis Christianæ Religionis* ad mentem Sancti Patris optimè, sed contra semetipsum scripsit, *esse debere ea ritus à Deo Christianis præceptos*. Sicut enim Evangelici in usu Sacramenti Eucharistiæ ad Institutoris DEI mandatum se componere laborant, ut nimirùm oblatio Sacrificii Crucis memorativa, in ipsâ participatione corporis & sanguinis Dominici, sub pane & vino fiat ex animo & corde devoto, ad laudes Mediatori & Summo Sacerdoti optimè merito ex debito dicendas & publicè in Ecclesiâ celebrandas, id quod post Christum Paulus etiam diligenter & graviter inculcavit; ita in cæteris Christianismi & Virtutum indè dependentium exercitiis, quæ Paulus loco nemini Evangelicorum de jure incognito *Sacrificia Deo grata*, & λογικὴν λατρείαν, i. e. *cultum rationalem* vel rationabilem, multâ cum significatione vocat, non opus esse putant operibus, quæ supererogatoria falsò dicuntur, sed satis amplum sibi à Deo in Verbo esse propositum existimant theatrum, in quo piè viventes decurrant, DEO ad revelatæ voluntatis normam, quantum hujus vitæ status permittit, pro viribus, Sancti Spiritus auxilio confirmati inservientes, Papæis è contrario ab hâc regulâ non uno tantùm modo aberrantibus, dum & in ipsa Eucharistiæ celebratione directè Testatoris optimi instituto contracunt, & in cæteris actionibus magis hominum traditiones, quam DEI præcepta observant, Ecclesiæ authoritatem prætendentes, cœlestis è contrario Ecclesiarchæ vocem postponentes, id quod ipse Christus antehàc Pharisæis quoque & eorum Sectatoribus objecit, graviterq; exprobravit.

Ad *secundam* nunc ut transeamus demonstrationis Bellarminianæ pro Sacrificio Missæ ex Scripturarum pariter & Patrum lectione uberius confirmando partem, exhibet ea *comparationem Legis Christianæ ad Mosaicam*, hanc rationem proponens: *In populo Judaico fuerunt Sacrificia propriè dicta*, Ergò *& in populo Christiano esse debent*. Et quia antecedens *extra controversiam* esse dicit, consequentiam indè præprimis probat: *Christus non omninò sustulit ea, quæ Deus instituerat in Veteri Lege; nec enim contrarius erat Patri suo, aut sibimetipsi, sed aut perfecit, aut in meliora mutavit, ut patet in præceptis & Sacramentis. Nam præcepta non sustulit, sed explicavit, & Consilia addidit, quæ ad perfectam præceptorum observationem conducunt. Pari ratione Sacramenta Circumcisionis, Agni Paschalis & similia non sustulit, sed mutavit in alia verè & propriè dicta Sacramenta*, sed ut Augustinus dicit; *pauciora, faciliora & præstantiora*. Ergò *eodem modo Sacrificia non debuit omnino tollere de medio, sed mutare*. Post ubi alias quoq; rationes ad consequentiæ hujus demonstrationem adduxit, objectioni cuidam ex Augustino obviam ire sequentibus laboravit verbis: *Neq; satisfaciunt, qui dicunt, cultum internum externo esse nobiliorem, Christianos autem DEO internum præstare cultum. Nam etsi internus cultus externo nobilior sit, utriq; tamen præstat internus cum externo conjunctus, sive internus cum externâ illius protestatione. Est autem signum & protestatio summi cultûs interni ipsum Sacrificium*, ut sæpè docet Augustinus decimo de Civitate Dei libro. Et hic non opus est prolixius examinare consequentiam demonstrationis Bellarminianæ, an nimirum à Judæor. Scholâ sacrificiali ad necessitatem Sacrificiorum Novi inter Christianos Test. quæ æquè propriè sacrificia, ac Judæor. antehàc fuerunt, dici possint, ritè & legitimè concludatur, de cujus valore *August.* suprà dixit sententiam, ubi definitio Sacrificiorûm ex Eo desumta contra Bellarminum fuit vindicata. Neq; etiam hic cum tædio repeti debent, quæ antehàc *de Consiliis*, qualia hic Christum Legi Decalogicæ, tanquam ad perfectam Præceptorum observationem conducentia addidisse scripsit Bellarminus, itidem ex Augustino fuerunt notata. Id tantum hic

Epist. 118. ad Januar.

venit ponderandum, an, dum Augustinus de Sacramentis dixit, *Christum Sacramenta Veteris Testamenti in alia itidem verè & propriè dicta Sacramenta, & quidem pauciora, faciliora & præstantiora mutâsse*, sequatur, idem de Sacrificiis etiam statui debere, ita ut in locum tot Sacrificiorum V.T. venerit Sacrificium Missæ, singulis diebus, imò singulis etiam horis atque momentis iterandum & repetendum, non sufficiente Sacrificio Crucis perfectissimo, quod per illa typicè præsignificatum & præfiguratum fuisse, *Augustinus* non semel in præcedentibus agnovit, hic etiam, si unquam alibi, apertissimus Veritatis Evangelicæ contra Missificos Papistas, & luculentissimus testis, nullâ omninò ratione ad partes adversarias trahendus. Quod autem Bellarminus ex *Augustino* vocem Sacrificii opponit ei Evangelicorum objectioni, quâ cultum animi internum externo esse nobiliorem dicitur, quia externus multum hypocriticæ simulationis post se utplurimùm solet trahere, DEO ob id sæpiùs in V.T. contra Judæos externis tantùm ceremoniis & quotidianis Sacrificiorum oblationibus inhærentes, de cætero pessimè & scandalosissimè viventes, graviter conquerente; parum aut omninò nihil juvat rem suam. Si enim in citato *Augustini* libro laudatissimi operis de *Civitate DEI* mentem ejus debitâ indagemus diligentia, eam Sacrificii definitionem invenimus, quæ objectioni Evangelicorum adeò non obest, ut potius eam confirmet, id quod suprà in ejus vindicatione contra Bellarminum sufficienter est ostensum.

Nunc *Luthero* vindiciæ debentur, ex occasione cujusdam ex *Augustino* dicti, quod in recentiorum Pontificum Decretis Juri Canonico insertis legitur. Postquam enim ad duo Megalandri argumenta contra Missæ Sacrificium hactenus variis rationibus, sed valdè infirmiter confirmatum respondere studuit Bellarminus, insignem Ei objecit impostruram, scribens: *Præter hæc argumenta insignem habet idem Lutherus impostruram in principio libri de abrogandâ Missâ privatâ, ubi dicit*, Papam ingressurum in Epistolas Decretales pro fundamento illa citare Pauli verba: *Translato Sacerdotio necesse est, ut Legis translatio fiat*; & inde deducere, post Adscensionem Christi Sacerdotium à Christo translatum fuisse in Petrum, deindè à Petro in Papam, & à Papâ in Successores suos. *Quam Lutheri impostruram repetit iterùm Illyricus in Apologia Confessionis Antverpianæ, capite de Missâ, ubi etiam addit*, Papam loqui de Sacerdotio secundum ordinem Melchisedech. *Sed hic tria sunt mendacia*, inquit Bellarminus; *Primum*, quod Papa dicat ista ingressurus in Epistolas Decretales, & ea jaciat pro fundamento. Nam ille Canon, Translato Sacerdotio, non in primo habetur titulo, sed in secundo, nec in principio illius; nam duo alii Canones præcedunt. *Secundum est*, quod ista dicat Papa; nam in toto Canone illo non est nomen Christi, nec Petri, nec Papæ, sed ponuntur ipsa Pauli verba cum quadam S. Augustini adnotatiuncula, quæ solùm continet, Legem & Sacerdotium esse omninò connexa. *Tertium est*, quod in eo Canone agatur de Sacerdotio Christi vel Melchisedeci; nam expressè de Sacerdotio agitur Levitico, ut Glossa bis notat. *Itaq; mera sunt Lutheri somnia, translatum esse Sacerdotium à Christo in Petrum, vel à Petro in Papam.* Ita Bellarminus per summam omni ex parte injuriam Luthero innocenti & nunquam non candido objiciens impostruram, ipse, si verum dicere licet & scribere, impositor maximus, hactenus non semel in foro, quod ajunt, deprehensus. Hinc triplex illud mendacium, quo Viri de Ecclesia meritissimi sinceritatem facere voluit suspectam, ad Eum redeunt inq; Ejus sinum, à quo primam trahunt originem. In *primi* autem fictione quærit in scirpo nodum, inanesq; agit nugas, dum malè vel impertinenter, imò mendaciter Lutherum scripsisse dicit, *Papam in Epistolas Decretales ingressurum ista pronuntiasse*, cùm tamen neque in primo habeantur earum titulo, neq; in secundi etiam tituli primo, sed tertio demum capite. Quasi verò tam insigne foret mendacium, interq; insignes numerandum imposturas, si quis diceret, Bellarm. *Disputationes de Controversiis Fidei Christianæ* adgressurum hoc vel illud scripsisse, etiamsi non in primo statim, sed secundo demum capite, neq; in primo, sed tertio ejus versu vel paragrapho legeretur. Si nullæ in Bellarmini Controversiarum libris impostutæ majores, nullaq; grandiora occurrerent mendacia, næ is maximam in orbe Polemico obtinuisset hoc labore suo gloriam. In *secundo* ipse manifestiss. committit mendacium, Luthero per injuriam impingens. Dicit, *in toto Canone illo non esse nomen Christi, nec Petri, nec Papæ.* At quamvis verba Canonis primùm sint Pauli & Augustini, compilator tamen Decretalium Gregorius Pontifex ea fecit sua, suoq; nomine præscripto Ecclesiæ tanquam sua præscripsit; & ideò sine impostura, sine mendacio tanquam Papæ verba à Luthero citantur, nec quisquam præter Bellarminũ Ejusq; complices erit, qui hanc ob causam Luthero tanquam mendaci vel impositori graviorẽ scribat dicam, utpotè omnimodo indebitam. In *tertio*, quod

quod impudenter & nequiter finxit, mendacio iterùm pro more solenni, immemor sui & à se paulò ante scriptorum deprehenditur. Dicit, *in Canone hoc non agi de Sacerdotio Christi vel Melchisedeci, sed de Sacerdotio potius Levitico, juxta Glossam.* Sed aliter adeòq; contra semetipsum scripsit in ultimo illius capitis paragrapho, ubi *conjunctionem Legis & Sacrificii* sumsit demonstrandam, ad objectionem ex hoc Apostoli loco, quem *Augustinus* in citato Canone Decretali explicasse dicitur, respondere conatus, hunc in modum: *Dices, cur ergò B. Paulus, cùm dicit,* Translato Sacerdotio debere etiam transferri Legem, *non dicit, translatum esse Sacerdotium Leviticum ab Aarone & Successoribus in S. Petrum & Successores, sed solùm in Christum?* Respondeo, *Apostolus non dicit, translatum esse Sacerdotium Leviticum ab Aarone in Christum, sed translatum esse Sacerdotium Leviticum in Sacerdotium secundum ordinem Melchisedech, quod Sacerdotium æternum esse, & in Ecclesiâ perpetuò vigere debet. Undè cum postea nominat Christum Sacerdotem secundum ordinem Melchisedech, non ipsum considerat, ut præcisè obtulit Sacrificium Crucis, sed ut per Ministros suos perpetuò sacrificat seipsum in Eucharistiâ; hoc solo enim modo perpetuum habet Sacerdotium.* Non deessent quidem in his verbis, quæ Examen paterentur rigorosius. Verùm id nunc tantum observâsse sufficiat, Bellarminum sibimetipsi in faciem contradixisse & scripsisse, & quod impegit Luthero mendacium & impostruram, ei jure potiori esse adscribendum, à semetipso apertissimè convicto & deprehenso. Accedit notatio lemmatis huic Canoni vel capiti in Decretalibus præscripti, & Abbati Siculo adscripti: *Potestas legem condendi & mutandi est penes Vicarium Christi; & quod de uno connexorum statuitur, ad aliud connexum extenditur.* Sed pro Lutheri innocentiâ contra Bellarmini injuriam satis. Unum adhuc saltem in hac restat tractatione, non omnimodo prætermittendum silentio. Bellarminus enim ad ultimam responsurus objectionem, quam non solùm hæreticis ad oppugnandum Missæ Sacrificium, sed etiam Catholicis quibusdam ad rem melius explicandam adscribit, & ostensurus, *in quâ parte Missæ propriè consistat essentia Sacrificii*, tertiam hanc facit Propositionem: *Panis & corpus Domini, vinum & sanguis Domini, non sunt duo Sacrificia, sed unum.* Et postquam ex mente suâ eam explicavit, ad ejus demonstrationem subjunxit: *Hùc faciunt omnia Patrum loca, qui docent, unicum esse Ecclesiæ Sacrificium, quod toti veterum Sacrificiorum multitudini successerit*, nominatim Augustini, quinque diversis ex diversis ejus Scriptis Lectori significatis. Neq; hîc de ipsa Propositione, ejus formatione & ad propositum applicatione sumus solliciti, non paucis ad Examen trahendis, si id ratio instituti requireret. Augustini tantùm authoritas à Bellarmino objecta observationem meretur, cujus loca, ad quæ Bellarminus provocat, & quæ non semel antehàc occurrerunt, adeò non faciunt ad demonstrationem Propositionis & theseos Bellarminianæ, ut potius eam funditùs evertant. Augustinus enim cum cæteris Ecclesiæ Patribus constanter & orthodoxè, quod Evangelici ambabus, quod ajunt, manibus amplectuntur, docens, *unicum esse Sacrificium Ecclesiæ*, videlicet propitiatorium, *quod toti veterum Sacrificiorum multitudini successerit*, non nisi Crucis Sacrificium intellexit, quod hactenus expressissimis Augustini verbis non semel fuit ostensum; eoquemet ipso Missæ Sacrificium quasi nullum & non-Sacrificium ante, quàm in Ecclesiâ esset natum, prædamnavit, ut ulteriori & iteratâ demonstratione post tot declarationes repetitas opus omninò non sit. Ebr. 7.

LIBRI SECVNDI
De
SACRIFICIO MISSÆ,
CAPVT SECVNDVM ET TERTIVM,

de Quæstione,

An Sacrificium Missæ sit propitiatorium?

An item sit impetratorium?

SI & in hujus Quæst. tractatione Bellarm. pro more, eâdem oberrare chordâ dixerim, nulla ei inferetur injuria. Id ne frustra de Eo videatur dici, in rem & hic præsentè veniamus oportet. Ut enim demonstret, *Missæ Sacrif. esse propitiatorium*, sequentia quatuor

Augustini testimonia Lectori commendat, è quorum numero & serie primum hoc est:

Quæst. 57. in Levit. — *multis Sacrificiis, quæ pro peccatis obferebantur, unum hoc nostrum significatur Sacrificium, in quo vera sit remissio peccatorum.* In secundo scribere Eum dicit Bellarm. *Sacrificium pro peccato obferri in Ecclesia usq; ad diem Judicii, sed non ulterius, quia post eum diem non sint, quibus remitti possint peccata.* In tertio Eum scribit Eucharistiæ Sacrificium vocare *unicum pro Salute nostra sacrificium.* In quarto tandem de eo extare, *Ibi pro peccatoribus Christi sanguinem effundi.* Atqui singula hæc testimonia de ipso crucis Dominicæ Sacrificio verè propitiatorio esse intelligenda, sicut & antecedentia pleraq;, accuratior & magis sincera eorum inspectio faciet manifestum.

lib. 20. de Civ. DEI, cap. 25.

lib. 1. cont. Cresc. c. 25.

Serm. 11. de Sanctis.

Primum quidem testimonium suprà jam fuit vindicatum in Examine locorum de *capite sexto Johannis*; Sed quia hic circa aliam recurrit Controversiam, iteratò vindicandum est. Sensus autem ejus ut eò magis fiat perspicuus, integro iterùm textu ex debito & pro more adducendum venit, additâ observatione, qua Sanctus Doctor occasione id exhibuerit. Nimirùm hanc sibi proposuit ex Levitici libro Quæstionem: *Quid est, quod prohibens Deus edendum sanguinem dicit, Anima omnis carnis est sanguis ejus.* Post multa ad illustrandam hanc Quæstionem pertinere visa, eam uberius tandem ita exhibuit, Veteris Testamenti statum & conditionem cum Novo

Joh. 6. comparans: *Cùm Dominus dicat, Nisi manducaveritis carnem meam, & biberitis meum Sanguinem, non habebitis vitam in vobis; quid sibi vult, quod à sanguine Sacrificiorum, quæ pro peccatis obferebantur, populus tantoperè prohibetur, si illis Sacrificiis unum hoc Sacrificium significabatur, in quo vera sit remissio peccatorum, à cujus tamen Sacrificii sanguine in alimentum sumendo non solùm nemo prohibetur, sed* ad bibendum *omnes potius exhortantur, qui volunt habere vitam?* Non repetitâ vice hic urgeo insigne contra Communionem sub

NB. una specie in his Augustini verbis testimonium, *bibitionis* expressam faciens mentionem; id tantum noto, augustissimum Doctorem in paulò ante præcedentibus verbis indicare, quid per hoc Sacrificium in V.T. præsignificatum voluerit intellectum, videlicet, non fictitium illud Missæ Sacrificium, pro cujus valore tanquam pro Aris & focis hactenus cum suis pugnavit Bellarminus, sed Christum ipsummet, quem dixit *Mediatorem, illis omnibus sacrificiis, quæ pro peccatis obferebantur, præfiguratum.* Hæc verba si Bellarminus in Augustino legit, nimis impudentem esse Eum oportuit, quod contra Scriptoris mentem tam clarè expressam ea in alienum planè ausus est detorquere sensum. De *secundo* Augustini testimonio, cujus authoritate Bellarminus hic pro Missæ Sacrificio utitur, itidem suprà in Examine locorum V.T. pro Igne Purgatorio ex Augustino fuit actum, & tamen hic aliquid restat addendum, ob insignem Bellarmini fraudem hic commissam, Missæ Sacrificium hic obtrudentis, cujus ne verbulo facta est mentio in toto Augustini textu, neque etiam fieri potuit, utpotè Augustini Seculo, ut non semel hactenus observatum, ignotissimi. Explicavit autem Sanctus Pater ibi ea oraculi Malachiani

cap. III. verba, quibus *emundatio filiorum Levi* à Christo & *acceptatio Sacrificii Judæ & Jerusalem* fuit præsignificata & promissa, ita de utraque scribens: *Filios Levi, & Juda ac Jerusalem*

1. Joh. 1. *ipsam Dei Ecclesiam accipere debemus, non ex Ebræis tantùm, sed ex aliis etiam gentibus congregatam, nec talem, qualis nunc est, ubi, si dixerimus, quia peccatum non habemus, nosmetipsos seducimus, & veritas in nobis non est; sed qualis tunc erit velut area per ventilationem, ita per Judicium purgata novissimum, eis etiam igne mundatis, quibus mundatio talis necessaria est, ita ut nullus sit omninò, qui obferat Sacrificium pro suis peccatis. Omnes enim, qui sic* (sortè legendum, hic) *obferunt, profectò sunt in peccatis, pro quibus dimittendis obferunt, ut cum obtulerint, acceptum q; Deo fuerit, tunc dimittantur.* Quo torculari usus sit Bellarminus, ut ex his Augustini verbis Missæ Sacrificium, & quidem propitiatorium exprimere se posse fuerit confisus, eam Doctori augusto adscribens Sententiam, quæ in mentem ei venit nunquam, prorsus ignoro. Etsi enim Sacrificii pro peccatis fiat mentio, non ita tamen intelligendum venit, quasi novo, & quidem quotidiano vel quotidiè & singulis ferè momentis, numero planè innumero in Ecclesiâ repetito opus esset ad expiandum peccata Sacrificio, quia unicum, id est, ipsummet Christum, Sacerdotem pariter & Sacrificium, V. Test. Sacrificiis à Deo mandatis successisse, in antecedente Testimonio & alibi hactenus non semel testatus est Augustinus, ideò Sacrificium hoc pro peccatis hodiè adhuc & in hoc Seculo obferri Deo, eidemq; acceptum esse scribens, dum illud semel pro totius Mundi peccatis in Ara Crucis à Summo Sacerdote oblatum, per veram Fidem & grata commemoratione, in ipso Sacramenti Eucharistiæ usu, à devotis communicantibus DEO Patri obfertur quasi, cujusq; vis & efficacia ad confirmationem perceptæ remissionis peccatorum gratuitæ adplicatur, Missæ Sacrificio planè hic inutili, & ne

quid

quid gravius dicam, superfluo. *Tertium* de Eucharistiæ Sacramento, non autem de Missæ Sacrificio agere præter Bellarmini confessionem manifestum ex verbis iterùm est, quæ ibi leguntur sequentia: *Quid de ipso corpore & Sanguine Domini, unico pro salute nostrâ Sacrificio, quamvis ipse Dominus dicat, Nisi quis manducaverit Carnem meam, & biberit Sanguinem meum, non habebit in se Vitam? Nonne docet Apostolus, etiam hoc pernitiosum malè utentibus fieri? Ait enim, Quicunque manducaverit panem & biberit Calicem Domini indignè, reus erit corporis & Sanguinis Domini.* Pertinere hoc testimonium ad ea, qualia de Sensu capitis sexti in Evangelio Johannis fuêre producta, contextus ostendit. Quamvis autem corpus & sanguinem Domini Augustinus dicat *unicum pro salute nostra Sacrificium*, non tamen id eo facit sensu, ac si corpus & sanguis Domini in Eucharistiæ Sacramento ad modum Sacrificii obferatur, sed quia id, quod cum Pane & Vino, vi Institutionis primæ, communicantibus ad edendum & bibendum præbetur, in Arâ Crucis *unicum pro Salute nostrâ Sacrificium* Deo Patri fuit à Filio, Sacerdote summo & Mediatore unico oblatum, nisi quid edere & bibere pro actibus verè & propriè sacrificialibus habere velit, ipsosque etiam communicantes edendo & bibendo verè & propriè dicat sacrificare. *Quartum* nunc, quod super adhuc est, testimonium exinde est desumtum, unde supra etiam non multùm dissimile habuimus. Laudavit ibi Doctor augustus oraculum Apocalypticum de clamore Martyrum sub Arâ Dei vindictam Sanguinis sui conta Persecutores postulantium, adplicans illud ad consuetudinem suo tempore receptam, quâ Martyrum corpora sub Altaribus fuerunt recondita. Inde notanter scripsit: *Rectè sub Altari justorum animæ requiescunt, quia super Altare Corpus Domini obfertur; nec immeritò illic Justi vindictam Sanguinis postulant, ubi etiam pro peccatoribus Christi Sanguis effunditur.* Verùm si antecedentia Augustini testimonia, quæ non parcè hactenus adducta fuêre, attentè ponderemus, & cum hoc diligenter conferamus, sine multo labore docebimur, Sanctum Patrem per *oblationem corporis & effusionem Sanguinis Dominici super Altare pro peccatoribus* non aliquem actum verè & propriè Sacrificialem, sed oblationem & effusionem distributivam & activè communicativam intellexisse, quâ sub specie Panis consecrati corpus obfertur, & sub specie Vini Sanguis Domini in ora fidelium effunditur, unde actum dicere Sacrificialem velle præter mentem Augustini esset.

1. Cor. 11.

cap. 6.

Eodem planè modo peregrinam Ei adscribit mentem Bellarminus, ut demonstret, Missæ Sacrificium non solum esse propitiatorium, sed simul etiam *impetratorium*, omnis nimirum generis Beneficiorum, id quod partim ipsis Scripturæ, partim quoque Patrum, & inter eos Augustini testimoniis probare intendit. Scripturæ testimonia quod attinet, ex utroque Testamento illud obtinere se posse sperat. Ex Veteri quidem provocat ad hostias non unius generis & speciei, nominatim ad *votivas pro Beneficio aliquo impetrando*, addens: *Si verum est, quod præter Chrysostomum & Leonem Magnum scribit Augustinus, omnes veterum hostiarum differentias unâ Eucharistiæ oblatione contineri, necessum est, ut Eucharistia obferri etiam possit pro impetrandis ejusmodi Beneficiis.* Ex novo autem Testamento monet, Apostoli mandatum de faciendis in Ecclesiâ obsecrationibus, orationibus, postulationibus & gratiarum actionibus &c. Sanctos Patres, & inter eos Augustinum quoque, *de publicis precibus, quæ in Missa fiunt*, exposuisse, & voluisse, *quod Apostolus præceperit, ut Sacrificium obferretur etiam pro temporali Pace & tranquillitate Ecclesiæ.* E veterum Ecclesiæ Doctorum Scriptis ad illud præsertim Augustini ex laudatissimo opere de *Civitate Dei* testimonium remittit, quo Sacrificii Eucharistiæ *ad purgandam à Dæmonum vexatione domum* oblati mentio legitur. Ante quàm respondeatur, notandum venit, pauca vel planè nulla Bellarminum in secundo hoc libro de Missæ Sacrificio ex Augustini Scriptis habere testimonia, quorum non in primo etiam libro fecerit mentionem, & quibus non jam in examine eorum satis ex debito fuerit factum. Possent hinc omninò sine ulteriori responso prætermitti, laborque compendiosius contrahi, nisi fraus in eorum citatione utplurimùm impertinentissima amplius esset detegenda, & ne adversarii habeant, de quo conquerantur, vel potius triumphent, ingeminantes, responderi ad ea non potuisse. Et ut ad *primum* deveniamus, quo Bellarminus pro virtute Sacrificii Missatici *impetratoriâ* ex eo argumentatur, quia secundum Augustini & aliorum Ecclesiæ Doctorum Sententiam, *omnes veterum hostiarum differentiæ unâ Eucharistiæ oblatione contineantur*; si citatum Sancti Patris locum evolvamus, de quo suprà etiam circa Examen Vaticiniorum è Scriptis Prophetarum ad Augustini Sententiam ex occasione est dictum, hoc antecedens, quod augustissimo Doctori tam audacter adscribit Bellarminus,

L. I. contra adverſ. cap. 20.

1. Tim. 2.

Epist 59. ad Paulin.

L. 22. c. 8.

minus, non inveniemus, adeòque consequens exindè deductum per se cadit. Ut patet, non in turbido, ut Bellarminus solet, piscabimur, sed ipsa Augustini verba iteratò adscribemus: *Ecclesia, quæ ab Apostolorum temporibus, per Episcoporum successiones certissimas, usque ad nostra & deinceps tempora perseverat, immolat Deo in corpore Christi Sacrificium laudis, ex quo Deus Deorum locutus vocavit terram à Solis ortu usq; ad occasum. Hæc quippè est Israel secundùm Spiritum, à quo distinguitur Israel ille secundùm carnem, qui serviebat in umbris Sacrificiorum, quibus significatur singulare Sacrificium, quod nunc offert Israel secundùm Spiritum.* Tædet ferè sæpius eadem repetere, & tamen subterfugere non licet. Agnoscit nimirùm Sanctus Pater, & agnoscunt cum Eo Augustinianæ Veritatis confessores, in uno Christi Sacrificio, quod in Cruce obtulit Deo Patri, & cujus gratam devoti communicantes in usu Sacramenti Eucharistiæ celebrant memoriam, Deo pro Redemtionis opere Sacrificium Laudis ex debito obferentes, impletum esse id omne, quod tot Sacrificiorum variis generis & speciei umbris in V. T. ex instituto Dei fuit præfiguratum. Et hoc dicit Augustinus hic loci, aliudq; nihil. Quid verò illud, quæso, ad Sacrificium Missæ, cujus ne umbra quidem in hoc testimonio adparet? *Secundum* quoq; & repetitâ quidem vice est prolixius excussum, ubi de vocibus *Sacrificii, oblationis, Altarium* &c. ex Augustino egimus. Nunc id solùm restat observandum, quamvis illa quatuor orationum genera vel species à Paulo memoratas ostendat Augustinus in celebratione Sacramentorum (ita enim de Eucharistiâ ibi loquitur,) suo tempore frequentatas fuisse, de totâ actione Sacrâ quoad omnes circumstantias tùm usitatas locutus; nullam fieri tamen, ne verbo quidem, Missæ Sacrificii mentionem; estque illud merum Bellarminiani cerebri figmentum, Apostolum ibi ex Augustini Sententiâ præcepisse, *ut Sacrificium obferatur etiam pro temporali Pace & tranquillitate Ecclesiæ*, cùm Sanctus Doctor id tantùm significet, inter cæteras preces, quæ ante, in & post Consecrationem, tamà Sacramenti administratoribus, quàm à devotis fiebant communicantibus, hocquoque Orationis genus vel speciem habuisse locum, quâ Deus pro conservatione Ecclesiæ & Pace temporali etiam fuit invocatus. Quid verò hoc iterum ad Missæ Sacrificium? *Tertium* ex libro de Civitate Dei testimonium, quia in proximè sequenti de *Missis privatis* tractatione à Bellarmino iterum atq; iterum ad partes vocabitur, ac propriè etiam ad illud pertinet argumentum, eorsum quoq; reservabitur. In sequenti Controversiâ, quâ *de propriâ Sacrificii Missæ efficientiâ* agitur, an nimirum habeat vim solùm aut potissimùm ex opere operantis, *an verò etiam ex opere operato*, & si ex opere etiam operato, *an habeat vim hanc ad modum Sacramentorum*? & an valor ejus sit finitus vel infinitus? dum Bellarminus sicut nullius antiqui Ecclesiæ Doctoris, ita etiam neq; Augustini authoritate potuit ad Sententiæ, quam defendit, confirmationem uti, eomet ipso ostendit, fuisse hanc Quæstionem antiquis Ecclesiæ Doctoribus, adeòq; etiam Augustino incognitam, id est, ut verbo dicam, esse eam omni ex parte novam, & quod ex collatione Doctorum recentium, qui de Scholâ non Ecclesiâ nomen habent, patet, pro & contra, ab his & illis, ultrò citròque agitatam & discussam, & hinc, quod inde non improbabiliter pro eorum more sequi videtur, inter Quæstiones de Fide non recensendam; quâ id autem cum consequentiâ ad invalidandum ipsum Missæ Sacrificium, aliorum esto de eo judicium.

CAPUT SEXTUM,
De
Sacrificii Missæ usu pro viventibus.

BInâ vice in hoc capite Augustini mentio occurrit. Semel, ubi in antecessum monet Bellarminus, *pro iis, qui in Gehennâ sunt certum esse, Sacrificium obferri non posse, neque id ullum aut hæreticum, aut Catholicum negare, idque ideò, quia eorum & culpæ & pœnæ sint irremissibiles*, pro confirmatione addens, *Augustinum ex professo docere*, Sacrificium obferri non posse pro defunctis sine Baptismo parvulis, & dicere, *damnatis, etiamsi pro eis offertur, nihil prodesse Sacrificium*, hâc cum notatione, se hanc Quæstionem pluribus tractâsse, ubi de *Purgatorio Igne* est actum, responsione etiam ibi quærendâ. Alterâ autem vice Augustini meminit Bellarminus, *de iis, qui extra Ecclesiam sunt* agens, de quibus dubitari non posse censet, *quin absolutè liceat pro iis obferre Sacrificium.* Quia verò aliquod Augustini testimonium videtur obstare, ad illud respondere conatur, scribens: *Neque hic repugnat, quod Augustinus ait*: Quis obferat Sacrificium corporis Christi, nisi pro iis, qui sunt membra Christi? *Nam, ut rectè respondit ad hanc objectionem Thomas, intelligi id debet de iis, qui sunt membra Christi actu vel potentia; tunc enim obfertur etiam pro membris Christi,*

Lib. I. de orig. Animæ, c. 9.

sti, quando obfertur pro aliquibus, ut fiant membra Christi. Adde, quod Augustinus eo in loco non loquitur, nisi de defunctis; & quia defuncti aut sunt membra Christi actu, aut nullo planè modo, ideò dicere potuit absolutè, non posse obferri pro defunctis, nisi sint membra Christi. Anteiterum, quàm de hâc Augustini Sententia quid statuendum sit, videamus, placet *Vasquezium* super eâ, & *Thomæ* & Bellarmini glossas eludentem audire: *Sacrificium Missæ* „ *pro Catechumenis* vivis suâpte natura & institutione obferri non posse, probatur Augu- „ stini testimonio, ubi, cùm Vincentius Pelagianus, contra quem disputabat, dixisset, pro „ parvulis ante susceptum Baptisma ex hâc vitâ decedentibus oblationes adsiduas & „ Sacrificia Sacerdotum esse obferenda, Augustinus ipse in hunc modum objicit: *Ecce* „ *aliud, undè nunquam est exiturus, nisi Eum dixisse pœniteat. Quis enim obferat corpus Chri-* „ *sti, nisi pro eis, qui sunt membra Christi?* Explicans autem, quæ sint membra Christi, „ subjungit: *Ex quo autem ab Illo dictum est*, Nisi renatus fuerit ex Aquâ & Spiritu Sancto „ non potest intrare in Regnum Dei: *Et alio in loco*, Qui perdiderit animam suam pro- „ pter me, inveniet eam; *nemo sit membrum Christi, nisi aut Baptismate in Christo, aut morte* „ *pro Christo.* Sensit igitur Augustinus, pro non baptizato non posse obferri hoc Sacrifi- „ cium, eò quod non sit membrum Christi per Baptismum. Quamvis igitur quis esset „ membrum Christi per Fidem & Charitatem, si tamen non esset per Baptismum, ex „ Augustini Sententiâ Sacrificium pro illo obferri non posset. Sanctus quidem *Thomas* „ ita intelligit hunc Augustini locum, ut hoc Sacrificium non obferatur, nisi pro his, qui „ actu sunt membra Christi, vel pro his, qui nondum sunt, ut fiant; intelligit autem de „ membris per Charitatem conjunctis, illius enim argumentum contendebat solùm, pro „ iis, qui sunt in mortali peccato, Sacrificium hoc obferri non posse. Ita etiam *Sotus. Verum* „ hæc oppositio menti Augustini non quadrat, cùm Ipse dixerit apertè, hominem per „ Baptismum aut Martyrium fieri membrum Christi, ut ita probet, pro non baptizatis „ hoc Sacrificium obferri non posse; nam de impedimento peccati mortalis, ut illius „ ratione pro aliquo hoc Sacrificium obferri nequeat, eo in loco non disputat Augusti- „ nus, ut ex verbis patet citatis, neq; ad Illius institutum ullo id modo spectabat. *Recentio-* „ *res* verò, qui oppositam sequuntur Sententiam, respondent, Augustinum ibi solùm lo- „ qui de oblatione hujus Sacrificii pro defunctis non baptizatis, pro quibus manifestum „ est obferri non posse, quia extra statum Salutis omninò sunt. *Verum* quamvis Augusti- „ nus contra illum contendat hæreticum, pro pueris non baptizatis hoc Sacrificium ob- „ ferri non posse, tamen ut hoc probaret, non rectè adsumeret, illos esse extra statum Sa- „ lutis, sic enim id adsumeret, de quo controversia cum illo erat hæretico; ille enim con- „ tendebat, pueros defunctos sine Baptismo, hujus Sacrificii virtute salvari posse. Ut au- „ tem hoc impugnet Augustinus, aliam adsumit propositionem, nempè, hoc Sacrificium „ obferri non posse, nisi pro iis, qui sunt membra Christi; membrum Christi autem fieri „ hominem per Baptismum. Neque verò Augustinus illo solum *nono* capite negavit, „ hoc Sacrificium pro parvulis non baptizatis, qui verè sunt extra statum Salutis, obferri „ posse; sed capite etiam *undecimo* addidit, pro adultis etiam non baptizatis non obferri „ posse. Atqui non omnes adulti non baptizati sunt extra statum Salutis. Nam qui cum „ desiderio Baptismi sunt mortui, in vera charitate mori potuerunt, & hujus indicia no- „ bis maxima relinquere. Quocirca sicut pro Catechumenis viventibus, ita etiam pro „ his defunctis posset obferri, quod tamen Augustinus de adultis omnibus defunctis *apertè negat.* Hæc Vasquez, quæ tamen Cardinali de *Lugo* non ita fecerunt satis, ut non aliqua statuerit opponenda, ubi prius ea Augustini verba adduxit, quibus alteram Re- sponsi partem contra Bellarminum & adsecias niti putavit nimirum, *quod salvâ Fide Catholicâ, & Ecclesiastica regula, nulla ratione concedatur, ut pro non baptizatis cujuslibet ætatis hominibus obferatur Sacrificium Corporis & Sanguinis Christi, tanquam per hujusmodi pietatem suorum, ad Regnum Cœlorum, quo perveniant, adjuventur.* Respondet autem *Lugo*, Augustinum *in utroque loco agere solùm de effectu expiationis & purgationis à peccato ex opere operato & immediato, quem non possint ab hoc Sacrificio participare, qui baptizati non sunt.* Addit, *Nam ille, contra quem Augustinus ibi agit, non negabat in parvulis peccatum originale, ut Pelagiani, ut constat ex fine capitis illius* non *is, sed dicebat, posse Sacrificiis ab eo purgari post mortem; contra quem rectè Augustinus docet, non posse ad eum illis prodesse effectum, cum non sint membra Christi per Baptismum. Et in eodem sensu eandem doctrinam extendit ibi & capite* undecimo *ad adultos non baptizatos, scilicet, ut à peccato purgentur & ingrediantur Regnum Cœlorum, prout illa significant verba*, tanquam per hujusmodi pietatem suorum ad regnum Cœlorum, quò perveniant, adjuventur; *quod verissimum est, nam effectus ille imme-*

in 3. part. Tom III. Disp. 227. c. 3. §. 13.

de Sacram Euchar. Disp. 19. Sect. 10. §. 182.

immediatus non provenit alicui absque Baptismo. De impetratione autem, quâ illis adhuc in vitâ existentibus aliquid possumus impetrare, nihil dixit Augustinus. Adde, hunc impetrationis effectum dari magis petenti, quàm illi, cui postulamus; atque adeò Sacrificium tunc non tam obferri immediatè pro illo, quàm pro ipso petente, cui immediatè & directè fructus impetrationis concedi debet. Nostri nunc officii & muneris non est, has inter Cadmæos fratres super Augustini Sententiâ lites, quibus Doctorem Sanctum in partes scindunt, componere. Sufficiat hactenus demonstrâsse, Patri augustissimo ignotum fuisse ipsum Missæ Sacrificium, id quod hic etiam de effectu ejus verum esse debet, cum non-entis nullæ sint adfectiones. Quidquid verò in citatis Augustini verbis de *oblatione Sacrificii corporis & & Sanguinis Dominici* legitur, de oblatione precum & intercessionis intelligi debet, quam in usu Sacramenti Eucharistiæ olim fuisse usitatam, dictum est.

CAPVT SEPTIMVM,

De

Sacrificii Missæ usu pro defunctis in Purgatorio degentibus.

MUltus hic in commendandâ Augustini authoritate est Bellarminus, nullibi non, ubi obferre se videtur occasio, ejus faciens mentionem. Ita usus testimonio ex secundo Maccabæorum libro, de Judâ Sacrificium pro peccatis mortuorum obferri jubente, ad Augustinum provocat, ex hoc loco *defunctis prodesse Sacrificia pro eis oblata* demonstrantem. *Deinde* thesin suam ex consuetudine Ecclesiæ universæ & Catholicæ probaturus Augustinum laudat docentem, *Ecclesiam universam in Sacrificio Missæ pro defunctis orare.* Addit, idem probari ex Augustini regulâ, quæ sit, *ut id certissimè credatur ex Apostolicâ traditione descendere, quod in omni servatur Ecclesiâ, nec in aliquo constitutum Concilio, sed servatum semper & retentum est.* Talem esse autem, inquit Bellarminus, hunc ritum, negari non potest; *nam in omni Ecclesiâ servari, suprà jam ostendimus, in nullo autem Concilio esse institutum, sed semper fuisse servatum, patet ex antiquissimis eorum Patrum testimoniis, qui omnia præcesserunt Concilia, ubi mentio fit Sacrificiorum pro defunctis.* Porrò, ubi Bellarminus ex hæresi Aeriana, videlicet, *non esse Sacrificium pro mortuis obferendum,* in Ecclesia publicè damnata, argumentatus est, adserens, quod Ecclesia, quæ adversariorum quoque testimonio vera fuerit Ecclesia, hanc Aerii hæresin damnans, *simul omnes Lutheranos damnaverit*; & Philippus Melanchthon in Augustanæ Confessionis Apologia scripsit, *AErium non ob id ab Ecclesiâ fuisse damnatum*; Bellarminus, ut id probet, Augustinum adducit testem, in de hæresibus libro inter Aerii dogmata primo numerantem loco, *orare vel obferre pro mortuis oblationem non oportere.* Inprimis autem ubi ex antiquorum Ecclesiæ Patrum authoritate præscriptum Lemma demonstrare conatus est Bellarminus, ex omnibus Augustini Tomis, octavo tantùm excepto, quod mirum, certa quædam citavit loca, in quibus Sacrificii Missæ pro defunctis in Purgatorio degentibus obferendi mentionem fieri, voluit Lectori persuasum; addens ex superabundanti testimonium Possidii, in Vita Augustini scribentis, *pro Ejus morte Sacrificium Deo fuisse oblatum.* Et quia non nescivit Bellarminus, quid ad hæc Augustini & aliorum Ecclesiæ Doctorum testimonia ex parte Evangelicorum soleat responderi, nimirum *loqui Patres non de Sacrificio Missæ sed de Sacrificio precum & Eleemosynarum*; ideò ad ea provocavit Augustini loca, quibus non tantum distinguit tria, quæ pro defunctis obferuntur, *Eleemosynas* videlicet, *preces & Sacrificia*, quæ omnia prodesse dicit; sed in specie etiam dicit *obferri pro mortuis Sacrificium pretii nostri, Sacrificium corporis & Sanguinis Domini, Sacrificium Mediatoris, Sacrificium Altaris.* Quia autem porrò *Chemnitius* in Examine Anti-Tridentino monuit, in celebratione Sacramenti Eucharistiæ consuetum fuisse quidem mortuos commemorari, sed non eum in finem, *ut oblatio Eucharistiæ esset propitiatio pro peccatis mortuorum, verùm ut eo tempore adhiberetur confessio & testificatio illius Articuli,* quo Ecclesiam credendo dicimus esse Communionem Sanctorum, ut nimirum profiteamur, *ad Corpus Christi & Ecclesiæ tum viventes tum mortuos pertinere*; ideò Bellarminus de ulteriori responso sollicitus, merum hoc esse figmentum dicit, ipse fictor impudentissimus. Nam, inquit, præter alios Augustinus clarè dicit, *Sacrificium Eucharistiæ multum prodesse animabus defunctorum ad refrigerium*, nominatim utens voce *Propitiationis*, & semper, ubicunque de hac re agit, Sanctos, præcipuè Martyres, ab aliis fidelibus defunctis distinguens ac docens, *utrosque in Sacrificio Altaris commemorari, Sanctos quidem, ut illi pro nobis orent, alios autem, ut nos pro illis oremus.* At, ita infert Bellarminus, *sic ea commemoratio solùm esset testificatio communionis & Societatis, eodem modo omnes commemorarentur.*

lib. IV. de Bapt. c. 24

cap. 53.

rentur. Si bona cum adversariæ partis venia liceret brevitatem amplecti, responso generali ad hæc omnia possemus esse contenti, suppeditando per ea, quæ antehàc in discussione Quæstionis de *Igne purgatorio* circa Examen locorum & testimoniorum Augustini de *oblationibus pro defunctis* in Purgatorio, & paulò ante de voce *Sacrificii, oblationis* &c. ex mente & Sententia Augustini, *Picherello & Cassandro* consentientibus, fuêre observata. Verùm ne generalitas hæc esse videatur effugium, omninò ad speciem nobis erit deveniendum, ac singula breviter loca penitius debebunt ponderari, eo ordine observato, qui Bellarmino placuit, ut juxta seriem Tomorum ea Examini subjiciamus.

Et ex *primo* quidem Tomo sistit Bellarminus illud Augustini testimonium, quo, quid post Matris Monicæ mortem circa Ejus sepulturam vel à se, vel ab aliis sit factum, in libris Confessionum prolixè satis & pluribus cum circumstantiis memorat, interque plura hæc in specie habet: *Cum corpus est elatum, imus & redimus sine lacrymis. Nam neque in eis precibus, quas Tibi fudimus, cum offerretur pro eâ Sacrificium pretii nostri, jam juxta Sepulchrum posito cadavere, priusquam deponeretur, sicut fieri illic solet, nec in eis, inquam, precibus Ego flevi* &c. Et post aliqua: *Illa*, Monica nempe, *imminente die Resolutionis suæ non cogitavit suum corpus sumtuosè contegi aut condiri aromatibus, aut electum contupivit monumentum, aut patrium curavit Sepulchrum; non ista mandavit nobis, sed tantummodò memoriam sui ad Altare tuum fieri desideravit, cui nullius diei prætermissione servierat, undè sciret Sanctam dispensari victimam* &c. Et notandum est, in Editione Parisina operum Augustini, qua utor, ad priorem locum in margine scribi, *Missa pro defunctis*; ad posteriorem verò, *Oratio pro defunctis ad Altare.* Videnturque ad ea omninò pertinere, quæ Augustinus porrò in sequentibus adnectit, has ad Deum fundens preces: *Inspira Domine, Deus meus, inspira servis tuis, fratribus meis, filiis tuis, Dominis meis, quibus & voce & corde & literis servio, ut quotquot hæc legerint, meminerint ad Altare tuum Monicæ, famulæ tuæ, cum Patricio quondam Ejus conjuge, per quorum carnem introduxisti me in hanc Vitam, quem ad modum, nescio; meminerint cum adfectu pio Parentum meorum in hac luce transitoriâ, & fratrum meorum sub Te Patre in Matre Catholicâ, & civium meorum in æternâ Ierusalem, cui suspirat peregrinatio populi tui ab exitu usque ad reditum, ut quod à me Illa popposcit extremum, uberius Ei præstetur in multorum Orationibus, tam per confessiones, quàm Orationes meas.* Sed & ea non sunt plane prætermittenda, quibus in paulò antecedentibus pro peccatis Monicæ Matris Deo supplex factus est Augustinus, utpotè quorum usus in responso erit; *Ego, Laus mea, & vita mea, Deus cordis mei, sepositis paulisper Ejus bonis actibus, pro quibus Tibi gaudens ago gratias, nunc pro peccatis meæ Matris deprecor Te; exaudi me per Medicinam vulnerum nostrorum, quæ pependit in ligno, & sedens ad dextram Tuam interpellat pro nobis. Scio misericorditer operatam, & ex corde dimisisse debita debitoribus suis; dimitte & Tu illi debita sua, si quæ etiam contraxit per tot Annos post Aquam Salutis. Dimitte, dimitte obsecro, Domine, ne intres cum eâ in Iudicium. Superexultet Misericordia Iudicium, quoniam Tua eloquia sunt vera, & promisisti Misericordiam misericordibus; quod ut essent, Tu dedisti eis, qui misereberis, cui misertus eris, & Tuam præstabis Misericordiam, cui misericors fueris.* Addit autem Sanctus Pater multâ cum observatione: *Et credo, quod feceris, quod Te rogo; sed voluntaria oris mei adproba, Domine.* Mox sub initium hujus suæ narrationis de ipsâ Matris morte hæc notatu dignissima scripsit: *Illa nec miserè moriebatur, nec omninò moriebatur; hoc & documentis morum Ejus, & Fide non fictâ, rationibusque certis tenebamus.* Hæc omnia ibi Augustinus, quæ si rectâ Judicii adhuc integri, & nullo occupati præjudicio, gnari insuper consuetudinum illo tempore in Ecclesiâ receptarum, lance ponderentur, adque Fidei orthodoxæ analogiam alibi ab augusto Patre explicatam redigantur, non adeò difficulter ad Sensum orthodoxum perduci possunt, ut nihil Missæ Sacrificio conferre videantur. Illud autem ante omnia venit attendendum, Doctorem Sanctum de Matris suæ post obitum statu beato non dubitâsse, sed omninò certum fuisse. Indicat id satis apertè, dum & Fidem Ejus *non fictam* commendat, & semetipsum credere scribit, *quod Deus Matri peccata jam remiserit ante, quam Ipse id loco Matris à Deo rogaret, monitus à Matre.* Patet indè, non existimâsse Eum, Matris animam in Igne Purgatorio hærere, & pro liberatione ex eo opus eam habere Sacrificio Missæ, cum neque hujus, neque illius fiat mentio in his verbis, adeòque Lemma Bellarmini præscriptum hâc authoritate niti non possit. Certè, preces Augustini privatæ illud non juvant, neq; etiam communes & publicæ, quas in publicâ funeris deductione ad locum sepulturæ inter celebrationis Eucharisticæ solemnia cum aliis ad Deum, Matris piè defunctæ memor devotus fudit. Sicut enim ad Martyrum & aliorum fidelium Sepulchra

L. 9. c. 12. & c. 13.

anti-

antiquos olim baptizâsse, probabiliter ex quibusdam Antiquitatis piæ documentis non planè nullis videtur; ità si ex hoc & aliis Patrum & Scriptorum Ecclesiasticorum locis dicatur, ad eadem Sepulchra celebratum antehàc fuisse Sacramentum Eucharistiæ, &, qui præsertim funeribus suorum ex necessitudine partim, partim ex Christianâ, ut dicitur, charitate interfuerunt, suæ etiam mortalitatis non immemores, ex oblationibus voluntate defunctorum ad id destinatis, & à Sacerdote ad usum Eucharisticum consecratis, participes fuisse factos, memoriam defunctorum in precibus ad Deum celebrantes, quæ omnia superiùs ad oculum ex pluribus, Augustini etiam testimoniis, hic ut plurimùm recurrentibus, fuêre demonstrata; quid iterùm quæso ad Missæ Sacrificium pro defunctis in Purgatorio, ubi Matrem non esse, Augustinus fuit omninò certus? Et quamvis dicatur, Sacrificium *pro eâ* fuisse oblatum, non tamen id debet intelligi, quasi pro Salute ejus fuerit oblatum, sed pro eâ, quia adhuc viva desideravit illud post mortem fieri loco & vice sui ab aliis, ut ex more illius Seculi, de quo itidem suprà, nominis etiam sui aliqua accederet memoratio, Deoque agerentur gratiæ pro beato ex hàc mortali vitâ discessu, omnibusque aliis per totum Vitæ cursum concessis gratiosè Beneficiis. Non verò fuisse illud Missæ Sacrificium, quod oblatum dicit Augustinus ad Sepulchrum Matris, sed Sacramentum Eucharistiæ, inde etiam patet, quia expressè meminit Altaris, *undè Sancta dispensatur victima*; per verbum *dispensatur* ipsam Sacramenti Eucharistiæ, id est, Corporis & Sanguinis Dominici, quæ Sacrificium rectè dicuntur, distributionem & activam communicationem significans. De cætero, quid de hoc more, qui Augustini tempore fuit usitatus, nimirùm ad Sepulchra fidelium Eucharistiæ Sacramentum celebrandi, interque preces memoriam eorum commendandi, quin & aliàs in precibus pro peccatorum remissione mortuis impetrandâ apud Deum intercedendi, sit statuendum, an cum Institutione Dominicâ conveniat, & num preces hæ sint in Sacris literis præceptæ, imò, an ad utrumque hodienùm fideles Christiani ob Ecclesiæ satis antiquæ consuetudinem sint obligati, ac intermittentes pro superciliosis contemtoribus sint habendi, præter ea, quæ suprà jam sunt adducta, uberius id deducere, præsentis Instituti ratio à nobis jam non desiderat. Sufficiat, illos etiam, qui hæc & talia Evangelicis objiciunt, in non paucis vestigia Antiquitatis Ecclesiasticæ quoad similes ceremonias relinquere, & quod caput rei est, ex præsenti testimonio nullum planè pro Missæ Sacrificio subsidium habere, id quod erat demonstrandum.

Epist. 64. ad Aurel.

Ex *secundo* Augustini Tomo commendat Bellarminus Lectori pro Missæ Sacrificio in gratiam defunctorum celebrando Epistolam, quâ secundum Lemma Epistolæ præscriptum agit Sanctus Doctor *de Conviviis solemnibus in honorem Martyrum multis cum contentionibus & dolis apud Afros tùm fieri solitis*, ostendens, *quibus modis possis illis mederi*, his post alia multa verbis: *Quoniam istæ in Coemeteriis ebrietates & convivia luxuriosa non solùm honores Martyrum à carnali & imperitâ plebe credi solent, sed etiam solatia mortuorum, mihi videtur, facilius dissuaderi illis posse istam fœditatem ac turpitudinem, si & de Scripturis prohibeatur, ne oblationes pro spiritibus dormientium,* (ad marginem legitur, NB. Sacrificia pro mortuis:) *quæ verè aliquid adjuvare credendum est, super ipsas memorias non sint sumptuosæ, atque omnibus abstentibus sine typho & cum alacritate præbeantur, neque vendantur. Sed si quis pro religione aliquid pecuniæ voluerit obferre, in præsenti pauperibus erogetur; ita nec deserere videbuntur memorias suorum, quod potest gignere non levem cordis dolorem, & id celebrabitur in Ecclesiâ, quod piè honestèque celebratur.* Tuam iterum Fidem imploro, Lector Veritatis studiose, tuam in judicando dexteritatem, an ritè & consequenter Bellarminus ex hoc Augustini testimonio Missæ Sacrificium pro defunctis in Purgatorio degentibus probaverit, cujus lemmatis nulla planè in Textu Legitur mentio? Quid enim, quæso iterùm iterùmque, Conviviis ad Sepulchra demortuorum ex oblationibus, quas vel ipsi, dum adhuc in vivis erant, ad hunc destinabant finem, vel quæ ab Amicis in memoriam suorum conferebantur, & ab iis, qui in funerum deductionibus ultimum charitatis documentum mortuis exhibuerunt, vel qui paupertatis respectu ex mortuorum prævià voluntate invitati fuerunt, inter mutuos de mortui virtutibus; & inprimis Beneficentiâ discursus, quin & accedentes ad Deum preces, & pro favore eis concesso gratiarum actiones, consumebantur; quid inquam adhuc semel, his oblationibus & indè Conviviis negotii vel commercii est, vel esse potest aut potuit cum Missæ Sacrificio pro defunctis in Purgatorio? Sit ita, crediderit Augustinus juxta genium Seculi, quo vixit, re non accuratiori perpendens trutinâ, has pro animabus demortuorum oblationes Eleemosynarias, & quæ exindè sequebantur, Precum, in quibus memoria defunctorum facta

facta est, *verè aliquid juvare mortuos*; at quænam exinde consequentia ad Sacrificium Missæ, pro defunctis, & peccatorum ab eis perpetratorum expiatione celebrandum?

Et hunc in modum explicati debet testimonium, quod Bellarminus ex *tertio* operum Augustini Tomo citavit, ad eandem videlicet sui temporis consuetudinem & receptam probabiliter opinionem respicientis, ac sequentem in modum scribentis: *Negandum non est, defunctorum animas pietate suorum viventium relevari cùm pro illis Sacrificium Mediatoris obfertur, vel in Ecclesiâ fiunt Eleemosynæ. Sed eis hæc prosunt, qui, cum viverent, ut hæc sibi postea prodesse possent, meruerunt. Est enim viventi quidam modus nec tam bonus, ut non requirat ista post mortem, nec tam malus, ut ei non prosint ista post mortem. Est verò talis in bono, ut ista non requirat; & est rursus talis in malo, ut nec his valeat, cùm hæc vita transierit, adjuvari. Quocirca hic omne meritum comparatur, quo possit post hanc Vitam relevari quispiam vel gravari. Nemo autem speret, se, quod hic neglexit, apud Deum, cùm obierit, promereri. Non igitur ista, quæ pro defunctis commendandis frequentat Ecclesia, illi Apostolicæ sunt adversa Sententiæ, quâ dictum est:* omnes adstabimus ante tribunal Christi, ut referat unusquisq; secundum ea, quæ per corpus gessit, sive bonum, sive malum; *quia etiam hoc meritū sibi quisque, cum in corpore viveret, comparavit, ut ei possent ista prodesse, non enim omnibus prosunt. Et quare non omnibus prosunt, nisi propter differentiam vitæ, quam quisque gessit in corpore? Cum ergò Sacrificia sive Altaris, sive quarumcunq; Eleemosynarum pro defunctis omnibus baptizatis obferuntur, pro valdè bonis gratiarum actiones, pro non valdè malis propitiationes, pro valdè malis etsi nulla mortuorum adjumenta, qualescunq; vivorum consolationes sunt; quibus autem prosunt, aut ad hoc prosunt, ut sit plena remissio, aut certè tolerabilior fiat ipsa damnatio.* Præter alia autem hoc inprimis venit notantum, ne Sanctus Pater sibimet ipsi contradixisse vel scripsisse videatur, explicari hæc debere secundum ea, quæ in proximè & immediatè antecedentibus quasi pro fundamento Sententiæ sequentis substravit: *Tempus quod inter hominis mortem & ultimam resurrectionem est interpositum, animas abditis continet receptaculis, sicut unaquæq; digna est vel requie vel ærumna, pro eo, quod sortita est, in carne cum viveret.* Ad cujus testimonii sensum ex Augustini mente intelligendum Bellarminus suprà, ubi de Sanctorum beatitudine actuali egit, Augustinum cum aliis Ecclesiæ Doctoribus testem laudans, monuit, *Eum aliquandò quidem dubitasse, quamvis non de ipsa visione Dei & Beatitudine, sed de loco, ubi sint animæ beatorum, & tamen postea re diligenter considerata adseruisse, abdita hæc receptacula non esse limbum in Inferno, sed Secretum Patris in Cælo, & animas beatorum videre Deum, sed non ita perfectè, ut post resurrectionem, propterea quod naturale desiderium recipiendi corpus non sinat animas toto conatu ferri in Deum; & hoc esse discrimen inter Angelos & homines, quod Angeli, cum nihil amplius expectent, totis ferantur in Deum, animæ Sanctorum partim ad Deum, partim ad corpus respiciant,* de qua Bellarmini explicatione dicendi locus non est. Illud tamen exinde patet, augustum Doctorem hic loci, sicut & alibi pluries, non nisi duo animarum post mortem, ante etiam Judicii extremi diem, agnovisse receptacula, eoquemet ipso & Ignem Purgatorium, qui in culinis Missificum ardet, extinxisse, & Sacrificium Missæ pro defunctis in hoc Igne Purgatorio degentibus ante, quam esset institutum, tanquam rem minùs necessariam & omninò inutilem aboleviſse. Quod verò Sacrificium Mediatoris obferri scripsit *pro illis*, eum videlicet in finem, *ut pietate suorum adhuc viventium releventur*, ex antecedentibus testimoniis non ita obscurum esse potest, nimirum *pro illis* tantum valere, quantum *vice illorum*, id est, quia ipsi fideles post mortem in usu Sacramenti Eucharistiæ & oblatione Sacrificii in Cruce peracti memorativa Deo gratias agere non possunt, suamq; erga pauperes Benevolentiam per Eleemosynas, quasi fructum Fidei demonstrare, fieri hoc ex voluntate eorum ab Amicis & propinquis, hac spe, Pietatem hanc Deo non fore ingratam, & si, in quorum gratiam hæ oblationes fiunt, ob infidelitatem sint damnati, respectu aliorum tamen non in extremo malitiæ gradu positi, eatenus fore utilem, *ut tolerabilior fiat ipsa damnatio*, sicut ipse Christus tolerabilius fore quibusdam præ aliis Judicium notanter significavit. Verba autem hæc Augustini, *ut tolerabilior fiat ipsa damnatio*, de iis, qui in igne Purgatorio sunt, intelligi debere, ut præter alios *Ægidius de Coninck*, inter Thomistas hodie non postremus, contra Juris Canonici Glossam statuit, contra mentem Augustini dicitur, quem nullum talem Purgatorium Ignem inter tempus mortis & resurrectionis medium docuisse, suprà in loco fuit ex Eo demonstratum. Adde, Sanctum Doctorem in hujus etiam testimonii textu insinuâsse id, quod huc pertinere quam-maximè videtur, nimirum, *omne in hâc vitâ comparari meritum, quo possit post hanc vitam relevari quispiam, vel*

Enchir. ad Laurent. cap 109. & 110.

2. Cor. 5.

de Sacram Quæst. 83. Art. 1. Dub. 9. n. 147.

gravari

gravari; respectu videlicet aliorum, & gradibus damnationis ex proportione observatis.

Idem fere dici debebit de eo Augustini testimonio, quod ex *quarto* Ejus Tomo Bellarminus Lectori commendat, librum de cura pro mortuis ita finientis: *Non existimemus, ad mortuos, pro quibus curam gerimus, pervenire, nisi quod pro eis sive ⁂ Altaris, sive orationum, sive Eleemosynarum Sacrificiis solenniter supplicamus, quamvis non pro quibus sunt, omnibus prosint, sed iis tantùm, quibus, dum vivunt, comparatur, ut prosint. Sed quia non discernimus, qui sint, oportet ea pro regeneratis omnibus facere, ut nullus eorum prætermittatur, ad quos hæc Beneficia possint & debeant pervenire; melius enim supererunt ita eis, quibus nec obsunt, nec prosunt, quam eis deerunt, quibus prosunt. Diligentius tamen facit hæc quisque pro necessariis suis, quod pro illo fiat similiter à suis.* Plura his similia ex eodem libro supra habuimus, ubi Doctoris Sancti testimonia, quæ Bellarminus ad Ignis Purgatorii demonstrationem commendavit, Examen sustinuêre, Lectore ex iis informato, nihil ea conferre ad hunc Ignem, adeòq; consequenter etiam nihil ad Sacrificium Missæ pro defunctis in Purgatorio, quidquid etiam dicat Sanctus Doctor de *Sacrificio Altaris pro defunctis*, sive de Sacramento Eucharistiæ & oblationibus ad illud celebrandum factis, interque preces & gratiarum actiones, *pro illis*, id est, ut non semel hactenus dictum, *loco illorum* consumendis, id quod Augustini tempore gratum Deo fore existimatum fuit, ut ulteriori observatione hic opus non esse videatur. Videamus ergò, quid ex *quinto* operum Ejus Tomo producat Bellarminus, & an inde aliquid ad hoc Missæ Sacrificium pro defunctis in Purgatorio demonstrandum liceat dicere. Ita autem juxta Bellarmini citationem ibi scripsit Pater augustus: *Piorum animæ mortuorum non separantur ab Ecclesiâ, quæ nunc etiam est Christi regnum, alioqui nec ad Altare Dei fieret eorum memoria in communione* (aliàs, communicatione) *Corporis Christi, nec aliquid prodesset, ad Ejus Baptismum in periculis currere, ne sine illo finiatur hæc vita, nec ad reconciliationem, si fortè per Pœnitentiam malamque Conscientiam quisque* (rectiùs, aliquis) *ab eodem corpore separatus est. Cur enim fiunt ista, nisi quia fideles etiam defuncti membra Ejus sunt?* Verùm nihil in hoc testimonio præter memoriam in communione Eucharistica ad Altare indicatur, quam tempore Augustini usitatam fuisse non semel hactenus est concessum, indè tamen sequi, Sacrificium Missæ pro defunctis in Purgatorio propitiatorium ab Augustino creditum fuisse, omninò negatur. Hujus etiam solius facit mentionem locus, quem ex *sexto* Augustini Tomo citat Bellarminus, sequentia Lectori exhibens: *Perhibet præclarissimum testimonium Ecclesiastica authoritas, in quâ fidelibus notum est, quo loco Martyres, & quo defunctæ Sanctimoniales ad ⁂ Altaris Sacramenta recitentur.* Atqui ex hypothesi Bellarminiana neq; Martyres, neq; etiam Sanctimoniales, ipso nomine singularem præferente Sanctitatem, in Purgatorio locum habebunt, & hinc neque Sacrificio Missæ propitiatorio ipsis erit opus. Ut taceam, Augustinum notanter in hujus consuetudinis descriptione non ad S. Scripturæ, sed ad Ecclesiasticam modò authoritatem provocare, non id facturum, si ex Institutione Dominica mos hic suum duxisset ortum, sicut omninò debuit. De loco, quem ex *septimo* Patris Sancti Tomo huic rei inservire putavit Bellarminus, ad caput proxime antecedens ex *Vasquezio & Lugone* est actum, nec quid amplius ad ejus illustrationem requiritur. Ex *octavo* Tomo quia nullum habuit Bellarminus subsidium, nobis etiâ concessit ex eo ferias. Ex *nono* ad sequentia digitum intendit: *⁂ Ait Petrus, Christus pro nobis est passus, relinquens nobis exemplum, ut sequamur Ejus vestigia. Hoc beati Martyres ardenti dilectione fecerunt; quorum si non inaniter memorias celebramus, atque in Convivio, quo & ipsi sunt saturati, ad mensam Domini accedimus, oportet, ut quemadmodum ipsi, & nos talia præparemus: Ideòqui [illegible] ad ipsam Mensam non sic eos commemoramus, quemadmodum alios, qui in Pace requiescu[illegible]t etiam pro eis oremus; sed magis, ut orent ipsi pro nobis, ut Eorum vestigiis adhæreamus, qui talia impleverunt ipsi charitatem, quâ Dominus Dixit esse non posse majorem; talia enim suis fratribus exhibuerunt, qualia de Domini Mensâ pariter acceperunt.* Iterùm commemorationis solùm meminit augustus Doctor, & Martyres & alios fideles respicientis, hac quamvis cum differentia, ut per hanc commemorationem ex una parte desideraverint fideles Martyrum intercessiones, quas in genere suprà ex augustino concessimus; ex altera autem parte pro cæteris fidelibus jam demortuis, & ut scribit Augustinus, *in Pace quiescentibus* oraverint, non tamen dubitantes de eorum Beatitudine, ut paulò ante Sanctum Patrem pro Matre orantem vidimus. Et hinc nihil iterùm ad Missæ Sacrificium pro defunctis in Purgatorio degentibus ex hoc testimonio esse potest subsidii, in quo præter Martyres non nisi de iis agitur, *qui in Pace quiescunt*, quod de iis, qui in Purgatorio degunt, dici omninò non potest.

De Civit. Dei, L. 20. cap. 9.

de S. Virgin. c. 45.

Tract. 84. in Joh.

Duo

Duo nunc super adhuc loca sunt, quæ ex *decimo & ultimo* operum augustissimi Doctoris Tomo observari voluit Bellarminus: Et prior quidem proximè antecedenti omninò est parallelus, qui sic habet : *Habet Ecclesiastica Disciplina, quod fideles noverunt, cùm Martyres eo recitantur loco ad Altare Dei, ubi non pro ipsis oretur, pro cæteris autem defunctis commemoratis oretur. Injuria est enim pro Martyre orare, cujus nos debemus orationibus commendari.* Serm. 17. de Verb. Apost. Nihil addo ad hunc locum, quia iis, quæ jam observata sunt, nihil amplius potest addi. Adscribo saltem locum ex ultimo Augustini Tomo posteriorem, & omninò postremum, ad quem Bellarminus nos remisit, sequentia exhibentem : *Orationibus Sanctæ Ecclesiæ, & Sacrificio salutari, & Eleemosynis, quæ pro mortuorum spiritibus erogantur, non est dubitandum, eos adjuvari, ut cum eis à Domino misericordius agatur, quàm peccata eorum meruerunt. Hoc enim à Patribus traditum universa observat Ecclesia, ut pro eis, qui in corporis & Sanguinis Christi communione sunt defuncti, cùm ad ipsum locum suo Sacrificium commemorantur, oretur, ac pro illis quoque id obferri commemoretur. Cum verò eorum commendandorum causâ Misericordiæ opera celebrantur, quis dubitet eis suffragari, pro quibus orationes Deo non inaniter allegantur? Non omninò ambigendum est, ista defunctis prodesse, sed talibus, qui ita vixerint ante Mortem, ut possint eis hæc utilia esse post mortem. Nam qui sine Fide, quæ per dilectionem operatur, ejusque Sacramentis de corporibus exierunt, fruſtrà illis à suis hujusmodi Pietatis impenduntur officia, cujus, dum hic essent, pignore caruerunt, vel non suscipientes, vel in vacuum suscipientes Dei gratiam, & sibi non Misericordiam thesaurizantes, sed Iram. Non ergò mortuis nova comparantur merita, cùm pro eis boni aliquid impendunt sui, sed eorum præcedentibus ista redduntur consequentia: non enim dictum est, nisi cùm hic viverent, ut eos hæc aliquid adjuvarent, cùm hic vivere destitissent. Et idcò istam finiens quisque vitam, nisi quod meruit in ipsâ, non poterit habere post ipsam.* Serm. 34. ibid. Benè est, quod & hic Augustinus agnoscit, Ecclesiam hunc morem pro defunctis orandi & obferendi non è Scripturâ & Institutione Dominicâ, sed traditione Patrum accepisse, fassus ingenuè, esse rem inventionis humanæ, adeoque non omnimodè obligabilem. Cætera, quæ observationem mereri videntur, cùm in antecedentibus jam fuerint notata, uberiorem non exposcunt enucleationem. Formulam loquendi enim, *pro illis*, Augustinus ipse satis clarè hic explicat, intelligi eam debere de operibus Misericordiæ, quæ eorum commendandorum causa ab aliis celebrantur, vel potius exhibentur, & juxta phrasin huc quam-maximè pertinentem obferuntur, ut nihil iterum exindè ad Missæ Sacrificium pro defunctis in Purgatorio propriè propitiatorium habeat respectum, ut quidem Bellarmino est visum, qui in aliis etiam, quæ in hâc demonstratione ex Augustino hinc indè laudavit & suis argumentationibus interspersit, operam lusit, nihilque omninò ad rem protulit. De authoritate utriusque libri Maccabæorum, undè Augustinum probare, *defunctis Sacrificia pro eis oblata prodesse*, scribit Bellarminus, mox ab initio hujus operis ex Augustino fuit actum. Quæ de consuetudine Ecclesiasticâ ex eodem habet, proximè acceperunt responsum. Equidem scripsit contra Donatistas expressè Sanctus Pater, *quod universa tenet Ecclesia, nec Conciliis institutum, sed semper retentum est, non-nisi authoritate Apostolicâ traditum rectissimè credi*; & quia in ultimo, quod habuimus, testimonio, universam tenere Ecclesiam adseruit, *pro defunctis utiliter preces ad Deum in communione corporis & Sanguinis Dominici ad Altare fieri*, hinc Bellarmino videtur esse manifestum, hunc orandi pro defunctis ritum ad authoritatem Apostolicam referri debere, ut potè omnibus Conciliis anteriorem. Sed, quid in genere ad hanc Augustini Regulam observare sit necessum, suprà in tractatione Quæstionis de Traditionibus indicatum est. Hic præter id, quod sæpe hactenus fuit inculcatum, à precibus pro defunctis olim in Ecclesiâ non unâ de causâ receptis nullam omninò esse consequentiam, videlicet legitimam, ad Ignem Purgatorium exsufflandum, & hinc etiam multò minus ad Altare pro Sacrificio Missæ defunctis in eo degentibus propitiatorio exstruendum; id saltem notetur, ipsummet Augustinum hujus Regulæ, ut Bellarminus vult, authorem, ejus authoritate, & ipso quidem in loco, ubi eam tradit, contra Donatistas in Controversiâ, quam habuit cum illis, de Baptismi Infantum valore, non usum esse, sed ad Sacras utriusque Testamenti literas provocâsse, hoc ipso testatum, majoris omninò esse ponderis argumenta, quæ exinde, quam quæ ex authoritate solùm Ecclesiasticâ deducuntur, id quod alibi etiam non semel monuit & suo insuper exemplo docuit augustus Doctor, cujus si hodienum vestigiis inhærerent, qui non nisi Antiquitatem Ecclesiasticam crepant, melius omninò facerent & consultius, faciliori studio, quàm per tot Seculorum ambages non rarò suspectas, Veritatem indagaturi & per Dei gratiam inventuri. Quod autem Augustinus inter

dogmata *Aerii*, tanquam hæretici reposuit, *orare vel obferre pro mortuis non oportere*, hocque dogma in Aerio ab Ecclesiâ fuisse damnatum scribit Bellarminus, de eo aliquid dicendum restat, ut & hic Bellarmini argumentum ad probandum Missæ Sacrificium pro defunctis in Purgatorio inconsequens esse ostendatur. Retulit quidem Augustinus hoc inter dogmata Aerii, *orare vel obferre pro mortuis non oportere*, sed non tanquam propriè hæreticum, multò minus dicit, Eum ideò ab Ecclesiâ tanquam hæreticum fuisse damnatum, quod tamen Bellarminus audacter contra Philippum Melanchthonem pronunciat. Sed etiamsi, quod tamen nullibi factum legitur, *Aerius* ab aliquo generali Concilio ob hoc Dogma tanquam hæreticus fuisset damnatus, ac publico contra Eum canone decretum, *orare vel obferre pro mortuis oportere*, hasque orationes & oblationes pro mortuis utiles esse, nihil tamen exindè per consequentiam legitimam deduci ad probandum Missæ Sacrificium pro defunctis in Purgatorio posset. De cætero, non omnia, quæ vel Augustinus, vel *Epiphanius*, aliique de dogmatibus hæreticorum scripserunt, pro hæreticis dogmatibus & doctrinis haberi debere, aliàs ex occasione monetur; & quod Augustinus hic nominatim memorat de Aerio, verbo *fertur* indicat, sine dubio relationem Epiphanii de eo respiciens, quem se in plerisq; secutũ fassus est, qui etiã dũ in præfatione operis ad Eccl. Carthaginensis Diaconum sibi familiarem & antehàc Collegam, *Quodvult Deum*, monuit, Epiphanium in suis libris de hæresibus *historicâ narratione commemorâsse omnia, nullâ disputatione adversus falsitatem pro Veritate decertantem, brevesque eos esse libellos, & si in unum redigantur, nec suis, nec aliorum quibusdam libris longitudine comparandum*, ostendit, Lamberto Danæo in Notis id observante, vel non habuisse tunc in manibus Augustinum illud magnum Epiphanii volumen, quod *Panarium* inscripsit, in quo omnes prolixè hæreses, de quibus agit, refutare est conatus, vel nondum illud Epiphanii opus ex Græco in Latinum Sermonem fuisse conversum, sed illa tantum Paratitla & capita hæresεων nota, & Latinâ Linguâ tum donata, quæ cujusque libri Tomo & Sectioni solent præfigi, id quod incidenter hic notandum duxi, ut, undè Augustinus dogmata hæreticorum desumserit, quantumque huic recensioni sit tribuendum, Lectori non ita accuratè in his versato possit constare. In reliquis, quæ porrò Bellarminus ex Augstino adjecit, discutiendis opera non prolixa requiritur. *Possidius*, vel ut aliàs & aliis dicitur, *Possidonius* in vitâ Augustini non scripsit, *pro morte Ejus*, ut Bellarminus habet, *Sed pro Ejus commendandâ corporis depositione* Sacrificium Deo oblatum fuisse, quod intellectum ad Augustiniani temporis morem, de quo ipsum paulò ante in descriptione funeris Monicæ matris testem habuimus, nihil omninò ad Sacrificium Missæ pro mortuis in Purgatorio degentibus facit, nisi Augustinum Ignis purgatorii flammis velimus adjudicare, quem tamen ultimis ante Mortem diebus singularis Pœnitentiæ exemplum præbuisse, idem Possidonius testis est. Responsum Chemnitii de confirmatione Articuli ex Symbolo, quo Ecclesiam credendo dicimus esse *Communionem Sanctorum*, Bellarminus non infringit vel annihilat, distinguendo inter commemorationem Martyrum & cæterorum fidelium. Quasi verò sola commemoratio Martyrum & non cæterorum quoque fidelium ad communionem Sanctorum ex mente antiquorum pertinuisset?

conf. Rainold. dell. Apocr. Tom. II. pag. 520.

Vid. Dallæj. de usu Patrum, pag. 240.

Conf. Picher. opusc. pag. 149. & seqq.

CAPVT OCTAVUM,

De Sacrificio Missæ pro Sanctis.

EX hujus capitis, & eorum, quæ in eo ex Augustini Scriptis à Bellarmino collecta leguntur, Examine patebit, eam respondendi methodum, quâ hactenus plerique ex Augustino pro Sacrificio Missæ mortuis in Purgatorio degentibus propitiatorio testimoniis satis est factum, à quocunque etiam Bellarmini defensore rejici non posse, utpote ab ipsomet Bellarmino adhibitam. Ut enim nunc demonstret, Sacrificium Missæ rectè etiam celebrari *pro Sanctis*, similem ferè in modum Augustini testimonia tractat, quamvis non eundem in finem, adeòque nec eodem cum effectu, quia nec eâdem bonitate causæ. Tripliciter autem Lemma præscriptum explicat, *primò*, Ecclesiæ Sententiam indicare, *deindè* eam per certas Propositiones quasdam demonstrare, *& demùm* à Chemnitii objectionibus eam vindicare conatus. Quoad *primum*, præter id, quod agnoscere cogitur, *Sacrificia non Prodesse Sanctis ad culpæ vel pœnæ remissionem, nec ad Gratiæ vel Gloriæ essentialis augmentum, deque eo nullam cum hæreticis esse dicit contentionem*; illud quasi controversum ex Augustino ostendere satagit, *Sacrificium*, videlicet Missæ, de cujus effectu quæstio est, *non obferri quidem Sanctis, & proindè neque Templa, neque Altaria iis erigi, licet in memoriam eorum omnia hæc fieri possint*, provocans præter Synodi Tridentinæ ad Augustini inprimis authoritatem, expressè quoad priorem Sententiæ

tentiæ partem ex mente sui temporis fidelium & nomine eorum scribentis: *Nos Martyribus non constituimus Templa, Sacerdotia, Sacra & Sacrificia.* Et quia Chemnitius occasione horum verborum in Examine Anti-Tridentino subsumsit: *At qui hoc in Papatu & factum est, & adhuc defenditur*; impudens illud mendacium esse dixit Bellarminus, addens, Chemnitium eodem modo in Augustinum mentiri ac dicere potuisse: *At qui hoc tempore Augustini fiebat, & ab ipso defendebatur.* Nam in quo sensu negat Augustinus, Altaria, Templa &c. Sanctis constitui, & nos pariter negamus, *inquit Bellarminus*; & tamen in alio sensu cum eodem Augustino Templa, Altaria &c. Sanctis adtribuimus. Negat Augustinus, *ita porrò Bellarminus*, & nos cum illo Sacrificia obferri Sanctis, ac proinde Templa & Altaria erigi, ut in iis sacrificetur Sanctis; at concedit, & nos cum Eo pariter concedimus, Sacrificia obferri, & proindè Templa & Altaria erigi in memoriam Sanctorum, unde etiam Templa & Altaria, in quibus soli Deo sacrificatur, passim ab Augustino vocantur *Memoriæ Sanctorum.* Et postquam ea in hanc rem ex Augustino laudavit testimonia, quæ suprà jam non semel ex citato opere de *Civitate Dei*, exque libris contra Faustum Manichæum habuimus, & in sequentibus iteratò occurrent, ita pergit Bellarminus: *Templa dedicari Sanctis eo in sensu, quem diximus*, patet ex eodem Augustino, de iis inter alia sic loquente: *Testantur hoc Martyrum loca & Apostolorum Basilicæ.* Quoad secundum ita primam format Propositionem: *Non repugnat Institutioni Cœnæ Domini, ut in eâ nominentur & honorentur Sancti.* Eam inde etiam probari posse existimat, quia Augustinus frequenter in scriptis suis dicit, *Sanctos nominari in Sacrificio.* Addit, probari eam quoq; ex utilitate hujus Instituti. Prodest enim *primò* ad protestandam Communionem Sanctorum. Nam Sacrificium Corporis Christi veri nomine totius corporis mystici obfertur & obferri debet. *Proindè* sicut viventes nominantur Pontifices, Reges & alii, ita etiam mortui debent nominari, sive in Purgatorio sint, sive in Cœlo; omnes enim ad idem corpus pertinent. *Accedit*, quod, ut Augustinus scribit, in Sacrificio Altaris significatur Sacrificium generale, *quo universum corpus Christi mysticum, id est, tota Civitas redempta Deo obfertur per Christum Sacerdotem Magnum*; & quia ad compagem hujus corporis pertinent etiam Sancti qui sunt in Cœlo, ideò illi etiam suo ordine in Sacrificio Altaris sunt nominandi. *Alia deindè utilitas est* excitatio sanctæ æmulationis, quam Augustinus attingit, rationem reddens, cur in memoriam & apud memorias Sanctorum dicantur sacra, *ut eâ celebritate & Deo vero de illorum victoriis agamus gratias, & nos ad imitationem talium coronarum atque Palmarum eodem in auxilium invocato, ex eorum memoriæ renovatione adhortemur.* Secunda Propositio hæc est: *Non repugnat Institutioni Cœnæ Domini, ut in eâ invocentur Sancti eo modo, quo ab Ecclesiâ Catholicâ invocari solent.* Hanc Propositionem ubi tribus explicavit modis, post aliorum Patrum hoc etiam Augustini testimonio confirmare tentavit: *Ideò ad ipsam Mensam non sic Martyres commemoramus, quemadmodum alios, qui in Pace requiescunt, ut etiam pro eis oremus, sed magis, ut orent ipsi pro nobis.* Et postquam ratione etiam probare hanc Propositionem est conatus, tanquam omninò certum præsupponens, de quo etiam adversarii non multùm contendant, *Sanctos in Cœlo pro nobis orare*, ad demonstrationem hujus antecedentis duo Augustini testimonia laudavit, quorum uno *Martyrum orationibus propitiari Deum populi sui peccatis*, altero autem *Sanctorum meritis relevari nos posse apud Deum, quando mala merita nostra nos gravant*, scripsit. Quoad tertium, duas Chemnitii ex Augustino objectiones proponit, ad quas respondere laborat Bellarminus. In *priori* id Augustini testimonium attenditur, quo in administratione Cœnæ Dominicæ Sanctos à Sacerdote nominari quidem, *nullo autem modo invocari* scripsit. In posteriori scripsisse Chemnitium perhibet Bellarminus, *Augustini tempore ortas esse opiniones peregrinas & vitiosas de singulari bus Martyrum intercessionibus, meritis & operationibus pro suis cultoribus, quas etsi Augustinus tanquam nec veteres nec certas reliquerit in medio, paulatim eis tamen aliquid tribuere cœperit*, Hieronymo, Basilio, Nazianzeno in hâc Quæstione audacioribus; *& sic postremis temporibus fabricatum esse Fidei articulum de patrociniis & meritis Sanctorum, & quod horribilius est, ipsam Cœnæ Domini actionem eò detorqueri coeptam.* Utrobique fraudulenter & mendaciter egisse Chemnitium conqueritur Bellarminus. Ad priorem in specie objectionem dicit, *si Chemnitius Augustini verba citasset, fraudem suam omnibus patefecisset.* Hanc ut faciat manifestam, sequentia ex Eo adscribit: *Vni Deo & Martyrum & nostro Sacrificium immolamus, ad quod Sacrificium sicut homines DEI, qui Mundus in Ejus confessione vicerunt, suo ordine & loco nominantur, non tamen à Sacerdote, qui sacrificat, invocantur; Deo quippe, non ipsis sacrificat, quamvis in memoriam sacrificet illorum,*

Lib. 8. de Civ. Dei, cap. 27.

Lib. 1. de Civ. Dei, cap. 1.

Lib. 10. de Civ. Dei, cap. 6.

Lib. 8 de Civ. Dei, cap. 27.

Tract. 84. in Joh.

Quæst. 108. & 149. in Exod.

lib. 22. de Civit Dei, cap. 10.

rum, quia Dei Sacerdos est, non illorum. Vides hic primò, inquit Bellarminus, *Augustinum non dicere, in administratione Cœnæ Domini*, sed, in Sacrificio, quod immolamus, & bis terve repetere, Sacerdotem sacrificare Deo Sacrificium, non Cœnam administrare. Vides *secundò*, apertissimè Augustimum dicere, *Sacrificium fieri in memoriam Sanctorum*, & Sanctos in eo nominari, quod non solùm est contra horum Sectariorum novitates, qui in suâ Cœnâ nullam Sanctorum faciunt mentionem, sed est etiam expressè contra Chemnitium, qui paulò ante disputabat, Christum dixisse, Hoc facite non in Sanctorum commemorationem. Vides *tertiò*, Augustinum, cùm negat, Sanctos invocari, loqui de invocatione per Sacrificium, id est, *de oblatione, quæ efficacissima est invocatio*, nam formaliter loquitur, cum ait: *Non tamen à Sacerdote, qui sacrificat, invocantur*, ut patet ex verbis sequentibus: *Deo quippe, non ipsis sacrificat, quia Dei Sacerdos est, non illorum.* Quod autem non neget Augustinus, posse ac debere Sanctos invocari in Missâ, eo videlicet modo, quo facit Ecclesia Catholica, patet ex testimonio supra citato, ubi dicit, *Sanctos ad Domini Mensam commemorari, non ut nos pro eis oremus, sed ut ipsi orent pro nobis.* Ad posterior-

Tract. 84. in Joh. rem, quæ sequitur, Chemnitii objectionem quoad Augustini authoritatem respondet Bellarminus, *eam sibimet ipsi esse contrariam & semetipsam refellere.* Nam si, inquit, Basilius, Nazianzenus & Hieronymus eas sequuntur de intercessionibus & meritis Sanctorum opiniones, non igitur cœperunt illæ Augustini ætate, nam ætas Augustini posterior est ætate Basilii & Nazianzeni: *Addit*, hanc objectionem Chemnitii manifestum insuper continere mendacium & impostaram. Nam Augustinus, inquit, in locis à Chemnitio citatis non relinquit in medio tanquam rem incertam, an Sancti nos juvent, sintque intercessores nostri & Advocati, *& ut tales à nobis invocandi?* sed solùm, quomodo nos juvent, quando Miracula apud eorum Sepulchra fiunt; ambigit enim, an id fiat operâ Angelorum, an per ipsos Martyrum Spiritus, an alio modo? atque hoc relicto in medio adserit, rem esse indubitatam, *quod à Sanctis juventur, qui illos invocant*, nam probat hoc ipsum innumerabilibus fermè Exemplis, quæ certissima esse adfirmat. Cætera, quæ

lib. 22. de Civ. Dei, cap 8. Bellarminus porrò subjungit, utpote minoris momenti, & quæ in antecedentibus jam continentur, non addo, ad responsum breve nunc me adcingens, remissione factâ, ubi opus videbitur, ad ea, quæ superius suum habuerunt locum.

Ita quæ in primâ Tractationis parte ex Augustino de *Templis Sanctorum* habet Bellarminus, suprà in loco quasi proprio fuerunt expensa, undè patet, non esse impudens Chemnitii mendacium, scribentis, *In Papatu Martyribus constitui Templa &c. & defendi*, cum id ex publicis & nemini non obviis manifestum sit documentis; neque eodem modo in Augustinum dicere id Chemnitium potuisse. Et quamvis multum laborârit Bellarminus, ut cum Augustino pariter sentire videatur, certum est tamen, facta verbis non parùm esse contraria, & qui propriis rem adspiciunt oculis, Bellarmini fuco contentos esse non posse. Certè, quod Augustinus de suo scripsit tempore, *apud memorias Martyrum*, id est, ad Sepulchra eorum, & super iis Altaribus, sub quibus ex more Seculi eorum corpora condebantur, *Sacrificia* (ita tùm ex usu loquendi varia oblationum genera & species vocabantur,) *Deo obferri*; hodiè dici non potest, ubi Martyrum (hoc Elogio dignorum) corpora non adeò sunt multiplicata post id temporis, ut tot Templis & Altaribus sufficere possent, quidquid sit de memoriali denominatione, quam Evangelici non omninò repudiant, modò ne quid honori Divino detrahatur. Quæ in primæ Propositionis Explicatione de *Communione Sanctorum* & æmulationis Sanctæ studio per Martyrum commemorationem excitando habet Bellarminus, ea confirmant, quæ de eâdem *Communione Sanctorum* ad caput antecedens ex mente Augustini fuêre observata, ac responsum Bellarmino datum egregiè stabiliunt, adeòque Evangelicis hoc nomine contraria non sunt. In secundæ autem Propositionis ratione ex Augustino demonstranda manifestè deficit. Ubi enim probare Eum oportuit, invocationem Sanctorum, quæ fit in Sacrificio Missæ, non repugnare Institutioni Cœnæ Domini, nihil aliud ex Augustino potuit, quàm, *commemorari Martyres ad Mensam Domini*, eo usus testimonio, quod itidem ad caput antecedens sub examen venit, alia duo ex Eodem addens de *Martyrum Sanctorum orationibus & meritis*, quæ tamen per nullam evincere consequentiam, teneri nos ad Martyrum invocationem, ut de circumstantia temporis & loci non dicam, quæ hic tamen omninò debent attendi, suprà in tractatione Quæstionis de *Sacramentorum Cultu* est indicatum. Nunc objectiones *Chemnitii* desiderant ab iniquis Bellarmini impositionibus vindicias, quibus & Augustini Sententia restitui debet. Scripsit in objectione *priori* Chemnitius & rectè

ad

ad mentem Sancti Patris, in administratione Cœnæ Dominicæ Sanctos à Sacerdote nominari quidem, *nullo autem modo invocari*, id de tempore, quo Doctor augustus vixit, intelligens. Bellarminus fraudulenter *Chemnitium* egisse arguit, id ipsis Augustini verbis ostendere conatus, ex quibus tria contra Chemnitium dicere laboravit. *Primum* est, Augustinum non dicere, in administratione Cœnæ Dominicæ, *sed in Sacrificio, quod immolatur, Sacerdotem Deo sacrificare Sacrificium*, non Cœnam administrare. At non semel hactenus est ostensum, *Picherello* Sorboniſtâ consentiente, vocabula Sacrificii, Sacerdotis, Immolationis, quibus cum aliis usus est suo tempore Augustinus, non Missæ Sacrificium, quod dicitur propitiatorium, sed ipsam Cœnæ Dominicæ administrationem, tanquam actionem Sacrificii in cruce peracti memorativam, exhibere, pluribus testimoniis ex Augustino eam in rem adductis. *Secundum*, apertissimè Augustinum dicere, *Sacrificium fieri in memoriam Sanctorum*, &c. At quam Chemnitio fraudem adscripsit Bellarminus, Ipse hic satis impudenter commisit, cùm id, quod Augustinus scripsit fieri *in memoriâ Sanctorum*, loci circumstantias innuens, Altare nimirum, super quo sacrificabatur, (ut cum Eo loquamur,) mutavit *in memoriam Sanctorum*, quasi Augustinus finalem sacrificandi respectum voluerit indigitare, contra mentem Ejus, qui in proximè antecedentibus expressam hujus rei fecit mentionem, scribens: *Nos Martyribus nostris non Templa, sicut Diis, sed* Memorias, *sicut hominibus mortuis, quorum spiritus apud Deum vivunt, fabricamus.* Cur autem ad imitationem Seculi illius, quo vixit Augustinus, hodiè Evangelici in usu Sacramenti Eucharistiæ non faciant mentionem Sanctorum Martyrum, causa superius est indicata. Rectè de cætero & per omnia Chemnitius scripsit, Christum non dixisse, *Hoc facite in Sanctorum commemorationem. Tertium*, quo aliquem verbis Augustini vult inducere colorem Bellarminus, ut id de Sanctorum Invocatione in Sacrificio Missæ videatur docuisse, quod nunquam Ei venit in mentem, eo etiam abusus testimonio, quod capite antecedenti est excussum, ostendit causæ malitiam, nemini judicare docto non obviam. In *posteriori* objectione Chemnitium sibimetipsi non scripsisse contraria, multò minus manifestum, quod Bellarminus per injuriam Ei objicit, commisisse *mendacium & impostu*ram, ipsa Ejus verba, utut aliquantò prolixiora, in Veritatis gratiam nihilominus adscribenda, docebunt. Ita autem Examinator Anti-Tridentinus: *Non nego, progressu temporis, Augustini* præsertim *ætate, peregrinas & vitiosas opiniones cœpisse memoriis Martyrum adfingi. Quia enim ad memorias Martyrum miracula quædam edebantur, quæ sine dubio ipse* Deus *edebat, non alio certè consilio, quàm ad sepulchrum Elisæ, ut scilicet testaretur, Doctrinam illam, in cujus confessione Martyres vitam profudissent, veram esse & Divinam, utq; Miraculis illis homines ad amplectendam & confitendam Doctrinam illam invitarentur & confirmarentur; homines hoc non considerantes cœperunt de singularibus Martyrum intercessionibus pro suis cultoribus, de meritis & operationibus eorum disputare, ut quidam epulas ad monumenta Martyrum deferebant*, & credebant, eas ibi sanctificari per merita Martyrum. *Sed hoc Augustinus dicit* à melioribus Christianis non fieri, & in infirmioribus tolerari. *Cœptum verò etiam fuit Augustini tempore disputari de orationibus, meritis, operationibus & adjumentis Martyrum mortuorum propter miracula, quæ fiebant ad memorias Martyrum. Sed illa tunc in medio fuerunt relicta, tanquam opinio nec vetus, nec certa. Unde Augustinus inquit*: Faciunt hæc Martyres, vel potius ipse Deus, vel orantibus vel cooperantibus illis, ut Fides confirmetur, quâ eos, non Deos esse nostros, sed unum habere Deum credamus nobiscum. *Et iterum*: Sive Deus ipse per seipsum hæc operetur, sive per suos Ministros, sive quædam faciat etiam per spiritus Martyrum, sive omnia per Angelos operetur, ut, quæ per Martyres fieri dicuntur, eis orantibus tantùm & impetrantibus, non etiam operantibus fiant, sive alia fiant istis, alia illis modis, qui nullo modo comprehendi à mortalibus possunt, &c. *Idem alibi*: An Martyres ipsi sint præsentes, quando ad memorias ipsorum fiunt miracula, an verò Deus per ministeria Angelorum opituletur, & Martyres generaliter orantes audiat, res hæc altior est, quàm ut à me possit attingi, & abstrusior, quàm ut à me valeat perscrutari. *Ita Origenes*: An Sancti, qui cum Christo sunt, aliquid pro nobis agant & laborent ad similitudinem Angelorum, qui Salutis nostræ ministeria procurant; habeatur hoc quoq; inter occulta DEI nec committenda chartulæ Mysteria. *Ita primùm sine adseverationibus disputari cœperunt illæ opiniones.* Hieronymus *verò in contentione adversus Vigilantium audacius aliquid de hac Quæstione, sed sine veris Scripturæ & Antiquitatis* (ante se) *testimoniis adseveravit.* Basilius *autem &* Nazianzenus *declamatoriis suis apostrophis non exiguam fecerunt inclinationem. Augustinus etiam opinionibus illis, licet*

lib. 22. de Civ. DEI, cap. 13.

II. Reg. 13

lib. 8. de Civ. DEI, cap. 27.

l. 22. c. 10.

ib. cap. 19.

de curâ pro mort. cap. 16.

in cap. II. Epist. ad Rom.

eas in dubio relinqueret, aliquid tamen tribuere cœpit: *Hinc dicit*, Martyres talia posse à Domino impetrare, & pro patientiâ etiam habere potentiam. *Et alibi*: Populus Christianus memorias Martyrum religiosâ solemnitate concelebrat ad excitandam imitationem, & ut meritis Eorum consocietur, atque orationibus adjuvetur. *Quod de imitatione dicit, illud ex sententiâ veterum dicit.* Alterum *de consociatione meritorum, non est illud, quod Pontificii tradunt, Sanctorum merita aliis adplicari; sed merita Patres vocant ipsa bona opera & virtutes Sanctorum, quibus præmia reddit Deus: Ut igitur in similibus virtutibus & in Virtutum coronis socii Sanctorum efficiamur, ad hoc dicit prodesse celebrationem certaminum & victoriarum, sed invocato in auxilium & adjuvante DEO, qui ipsos fecit Martyres, ut sunt Augustini verba. Et qualem intelligat consociationem, indè colligi potest, quod alibi dicit*, Deum Martyres Angelis honore cœlesti sociâsse; *sicut hoc etiam loco*, nos Martyrum meritis, hoc est, Virtutibus esse consociandos. *Postremum verò apud Augustinum* de adjumento orationum *ex illâ ortum est opinione, quam Augustinus reliquit in dubio, sicut jam dictum est. Postremis autem temporibus fabricatus est indè Fidei articulus de patrocinis, meritis, intercessionibus, auxiliis, adjumentis & beneficiis Sanctorum, de quo si quis vel parum ambigat saltem, statim anathemati subjicitur, & quidem, quod horrendum est, ipsa actio Cœnæ Dominicæ eò detorquetur. Sed ex Scripturâ offendi non potest, Cœnam Dominicam in hunc usum à Christo esse institutum; Imò profanatio est, cum Institutione Cœnæ pugnans.* Tria in his verbis habet Chemnitius observatu contra Bellarmini responsiones digna. *Primò* dicit, Augustini *præsertim* (nota benè) ætate peregrinas opiniones Martyrum memoriis adfingi cœpisse. Non igitur ætatem Ante-Augustinianam omninò excludit, neq; sibimetipsi contradicit, ut quidem Bellarminus cavillatur. Et quidquid de *Basilio*, *Nazianzeno*, *Hieronymo* in hâc Quæstione audacioribus notat, ad privatas potius Eorum opiniones, & partim ad declamatorias Eorum apostrophas, partim ad nimium contra adversarium in disputando fervorem (ubi non ita difficilem esse ab uno extremo ad aliud lapsum, multùmq; vel in defectu vel in excessu peccari constat:) hic referendum est, donec postmodùm temporis progressu & Augustini *præsertim* ætate res hæc incrementa sumsit, ac nimia superstitio in Martyres Sanctos plus ultrà & justo amplius se extendit, & quod non omninò negari potest, aliquâ ex parte Augustinum quoq; ad se pertraxit. Observat quidem *secundò* Chemnitius & rectè, cœptum fuisse Augustini tempore, *nimirum amplius, quam antehàc*, id quod voce *præsertim* voluit intelligi, de orationibus, meritis, operationibus & adjumentis Martyrum disputari propter Miracula, quæ ad eorum memorias fiebant, verùm in medio tunc relictam fuisse opinionem vulgi, *tanquam nec veterem, nec certam*, id quod manifestum in se mendacium & impostaram continere scribit Bellarminus, ipse mendacissimus impositor non semel hactenus publicè & quasi in Foro deprehensus, hic etiam aperrè Augustino peregrinam adscribens Sententiam, quasi is tanquam rem certam & indubitatam adseruerit, non solùm Sanctos juvare nos, esseq; nostros intercessores & advocatos, *sed etiam eos ut tales esse invocandos*, cujus tamen in laudatis ex Augustino testimoniis nulla planè mentio est facta, Sancto Patre Martyribus preces non nisi *generales* adscribente. Verùm addit insuper Chemnitius & agnoscit *tertiò*, Augustinum, utut de hâc re ambiguum & incertum, nihilominus vulgatis jam & vulgò receptis opinionibus tribuere aliquid cœpisse, ita tamen, ut pleraq; Ejus dicta ad Fidei orthodoxæ analogiam reducere sit conatus, ne id docuisse videatur, quod hodiè in Papatu & doceri publicè, & exerceri videmus. Id omninò certum est, Bellarminum nimis liberalem in explicandâ contra Chemnitium Augustini Sententiâ fuisse, scribendo, rem esse Augustino indubitatam, *quod à Sanctis juventur, qui illos tanquam Intercessores & Advocatos invocant*, Exemplis, quæ ibi Doctor augustus prolixâ seriè recenset, id non demonstrantibus, nullamque omninò hujus rei, id est, religiosæ Sanctorum Martyrum invocationis mentionem facientibus.

lib. 22. de Civ. DEI, cap. 9.

l. 20. contra Faust. cap. 21.

l. 8. de Civ. Dei, c. 27.

CAPUT NONUM.

De

Missis privatis.

Distinctè de iis videri voluit agere Augustinus, statuens eas dici privatas *primò* ratione loci, quæ celebrentur in privato aliquo Oratorio seu Sacello, & ita dici in comparatione ad eas, quæ in publico celebrentur Templo, adque eas pertinere exemplum, cujus

cujus meminerit Augustinus, scribens, *quendam à suis Presbyteris in rusticâ domo Sacrificium corporis & sanguinis Domini obtulisse*; Secundò *ratione temporis*, in comparatione ad eas, quæ diebus Festis celebrẽtur, Augustino de sui temporis consuetudine testimonium perhibente, *Christum semel in cruce immolatum omni die in Sacramento populis immolari.* Tertiò, *ratione finis*, in comparatione ad eas, quæ nulli adplicentur in particulari, adducto in exemplum Augustini testimonio duplici, quorum prius de Sepulturâ Monicæ matris, posterius autem de eo agit Sacrificio, quod proximè ad circumstantiam loci declarandam ex opere de *Civitate DEI* fuit commendatum; id quod etiam repetit Bellarminus, ubi *quartò* agit de iis Missis, quæ privatæ etiam dicantur ratione eorum, qui intersunt, in comparatione ad eas, quæ fiant coram populo. *Quintò* ratione loci specialis vel Altarium minorum, in comparatione ad eas, quæ fiant in Altari summo, & solennes dicantur, Augustino ad demonstrationem hujus circumstantiæ nihil omninò conferente, etsi suprà Eum non uno in loco Altarium feciſſe mentionem Bellarminus scripserit, debito ibidem exceptus responso. *Sextò* tandem & ultimò ratione communicantis, solius nempè Sacerdotis Missifici, in comparatione ad eas, in quibus etiam populus ad communionem admittitur, agnoscente Bellarmino, de hâc præsertim esse controversiam, quam ubi etiam ex consuetudine Veterum pro more conatus est demonstrare, nil tamen nisi conjecturas potuit adferre, ingenuè agnoscens, *nusquam expresè legi oblatum à veteribus Sacrificium sine communione alicujus vel aliquorum, præter ipsum Sacerdotem*; & inter conjecturas ex Augustino nihil habuit in promtu præter ea duo testimonia, quorum ad tertiam quoq; circumstantiam fecit mentionem. Gratulamur autem nobis impensè, quod Bellarminus, tam gloriosus aliàs Antiquitatis orthodoxæ, & perpetui inprimis cum Augustino consensus jactator, in hâc Controversiâ, quæ inter primas suo habetur merito, & quæ illud exhibet Sacrificium, quod cor hactenus & palladium est Romani Papatûs, (pro cujus defensione, ut suprà non semel dixi, Missifices tanquam pro aris & focis, quanquam si res intimius consideretur, magis pro his, quàm pro illis, & ideò pro illis, quia quam maximè pro his, solent pugnare:) ut jam de Sacrâ non dicam Scripturâ, quæ omni suâ hoc Missæ, inprimis privatæ Sacrificium destituit authoritate, ê Scriptis Patrum & antiquorum Ecclesiæ Doctorum, qui nimirùm hoc nomine & Elogio digni sunt, *Augustini* inprimis, de cujus Sententiâ hic agimus, nullum potuerit laudare testimonium, quod expressam Missæ hujus privatæ, in quâ solus Sacerdos Missificus est communicans, faceret mentionem, sed potius vi Veritatis coactus agnoscere debuerit, *nusquam*, vel apud Augustinum vel alios veteres Ecclesiæ Doctores, *oblatum legi Sacrificium sine communione alicujus vel aliquorum, præter ipsum Sacerdotem*, pro quâ confessione ingenuâ, aureis exarandâ literis iisq; majoribus, Evangelici Bellarmino maximas debent gratias, nunquam sufficienter persolvendas. Nimirùm multo se sentiunt labore sublevatos respondendi ad loca Patrum, quæ aliàs Bellarminus & aliis in Quæstionibus non parcè, quamvis ut plurimùm sine delectu solitus est corradere, hic suam ingenuè agnoscens paupertatem, ubi quam maximè locuples esse debuit. Et notatu omninò dignissimum est, in eâ Quæstione controversâ agi tantùm conjecturis, non autem apertis Authorum testimoniis, in quâ tamen ob dissensum Evangelici tanto ubivis hic & ibi exponuntur odio, tanquam supercilioſi hujus Sacrificii contemtores, digni, qui & ipsi fiant Sacrificium, in oculis eorum, qui sanguinem sitiunt innocentem, non nisi acceptissimum. Accedit, has etiam conjecturas, quibus Missæ hujus privatæ Sacrificium niti vult Bellarminus, ita comparatas esse, ut & hoc nomen non mereantur, idque omninò ex illis non possit conjici, quod conjiciendum erat, ut jam ex iteratò citatis Augustini testimoniis breviter erit demonstrandum, ubi simul fuerit ostensum, cæteras etiam quinque circumstantias, quarum respectu Missas dici posse privatas putavit Bellarminus, nihil aut perparùm ad eam Missæ denominationem conducere, de quâ inter nos est Controversia, imò plerasq; eam evertere, etiam ad sensum Bellarmini intellectas. *Prima* sistit locum, videlicet privatum, cujus respectu Missa dicatur privata, provocans ad illud Augustini testimonium, quo aliquis Presbyterorum è suis in domo rusticâ Sacrificium corporis & sanguinis Domini obtulisse memoratur. Non repeto prolixius, quod suprà non semel *Ludovico Vive*, Viro undiquaque Eruditissimo, observante notavi, in hoc capite, ex quo testimonium hoc est desumtum, *multa esse addita velut declarandi gratiâ ab iis, qui omnia magnorum Authorum Scripta spurcis manibus suis contaminabant*; (quæ optimi Commentatoris verba neque à Censoribus Hispanis in Indice prohibitorum & expurgandorum, neq; à *Velosillo* in Advertentiis, neq; à

lib 22. de Civ. DEI, cap 8.

Epist. 23. ad

Possevino

Possevino in adparatu, præcipuis in hoc genere Scriptoribus, & qui aliàs non pauca in his Commentariis corrigenda & emendanda censuerunt, correcta & emendata non fuisse, præjudicio est, Eos hanc observationem non pro nihilo duxisse, atque hoc caput de impertinenti augmento suspectum habuisse:) non hoc, inquam, præprimis jam urgeo, sed hoc tamen noto, non expressè demonstrari ex eo Augustini, si Ejus est, testimonio, oblationem Sacrificii, corporis nimirùm & sanguinis Dominici, in domo quâdam rusticâ factam à Presbytero, absente tamen Augustino, adeòque nec consentiente, fuisse ita privatam, & quod aliàs dicitur, solitariam, ut non simul præter Presbyterum observentem alii etiam præsentes fuerint participes facti hujus Sacrificii corporis & sanguinis Dominici. Atque id eò audentius urgeo, quia Bellarminum proximè habuimus ingenuè confitentem, *nusquam expressè legi oblatum à Veteribus Sacrificium sine communione alicujus vel aliquorum, præter ipsum sacerdotem*, quod ex penna adversarii testimonium tam diu valet, quam diu adfirmanti probationem incumbere, inter artis disputatoriæ peritos receptum manet. Hoc insuper addo, si celebratio Sacramenti Eucharistiæ ideò Missa dicatur privata, quia in loco fit non publico & solemni, sed privato, recepto hoc Augustini testimonio, tanquam genuino, Evangelicis id non esse adversum, utpotè quibus ignotum non est, & Sacramentum Agni Paschalis, Sacramenti Eucharistiæ typum, in Veteri olim Testamento, non ad loca solemnia, vel Tabernaculum, vel quod sequebatur, Templum, sed domos cujusq; Patris familiæ privatas fuisse destinatum; & Christum hoc quoq;, videlicet Sacramentum Eucharistiæ in ejus locum non in Templo aut alio quodam loco solemniori, sed in domo privatâ instituisse, Apostolis etiam hoc, & postmodùm Christianis, pro illorum temporum statu, propter gravissimas trium Seculorum persecutiones, observantibus, hocque Sacramentum in locis utplurimùm occultis & adversariæ tyrannidi incognitis ex necessitate celebrantibus, certis nimirùm & indubiis, DEI cultum nulli loco ita esse adligatum, ut non ubivis possit à mente devotâ præstari. Et hactenus prima loci circumstantia Evangelicis contraria non est. Sed & neq; *secunda* quidquam in se habet, quod aliquam facere posset in hac Quæstione moram, cùm eadem ferè temporis, quæ loci ratio sit, & de utroq; idem ferè hic judicari debeat. Quem enim ad modum DEUS sui cultus exhibitionem nulli loco vult prohibitam, ita etiam tempus nullum vult ab eâ exclusum, ut non quovis tempore eam sibi gratam & acceptam esse velit, modo à mente, ut dixi, devota profectam; quamvis aliàs in utroq; Testamento, magis tamen in Veteri, quàm Novo, ad singularem & magis solemnem cultum Sancto Nomini suo debitum, & certum quendam locum, & certum quoq; tempus, additis etiam ex singulari favore, & ad excitandam majorem hujus suæ Voluntatis observationem, promissionibus, destinârit, Gratiæ tamen regno semper Potentiæ regnum præsupponente, cæterisq; paribus hic non inattentis. Hinc sicut Augustinus de suo tempore scripsit, *Christum semel in Cruce immolatum omni die in Sacramento populis immolari*, vocabulo immolationis de distributione & communicatione activâ hic, ut aliàs etiam intellecto; ita in Ecclesiis Evangelicorum populosioribus ad usum Sacramenti Eucharistiæ non dies solùm Festos, sed & profestos adhiberi, notius est, quàm ut prolixius demonstrari sit opus. *Tertia*, quæ sequitur, circumstantia, finem privatum & singularem respiciens, in hujus Sacramenti usu, (quod Sacrificium propriè dictum non esse, suprà fuit demonstratum,) locum habere neque potest, neq; debet, nisi eo sensu, quo quisque fidelis communicans in ipso usu Sacrificii in Cruce exhibiti fructum sibimetipsi in specie, vel individuo potius adplicat, acceptam in Evangelicæ Absolutionis verbo peccatorum remissionem eometipso obsignans & confirmans. Exempla duo, quæ Bellarminus ad demonstrandam hujus circumstantiæ rationem ex Augustino adduxit, huc non pertinent, id quod patet per ea, quæ ad utrumque in antecedentibus jam sunt observata; nominatim de funere Matris *Monicæ* actum est paulò ante in capite de *Sacrificio Missæ pro defunctis in Purgatorio degentibus*; de loco autem ex opere de *Civitate DEI*, proximè ad primam loci circumstantiam. Succedit igitur *quarta*, numerum ipsorum communicantium considerans, ad cujus illustrationem Bellarminus eodem testimonio ex opere de *Civitate DEI*, quod hactenus sæpè occurrit, & porrò etiam ulterius occurret, est usus, quod tamen nobis Evangelicis adeò non adversari, quod præsentem attinet controversiam, jam est ostensum. Insuper, si ob paucitatem communicantium Eucharistiæ Sacramentum Missa dicatur privata, Evangelici de hâc denominatione non movebunt controversiam, à Christo nimirùm docti, etiam duorum vel trium fidelium, etsi *Laicorum*, conventum gratiosâ Ejus præsentiâ beari,

beari, ac veram esse *Tertulliani* judicio Ecclesiam. *Quinta*, quæ Altarium magnitudinem vel parvitatem attendit, omninò nihil ad rem facit, cùm hic quidem quantitatis nulla sit efficacia, ac Deus ad hæc talia planè non soleat respicere, æquè acceptum habens Sacrificium in Altari montano ab Eliâ, quàm in Templo Salomonis splendidissimo à Sacerdote summo oblatum, id quod etiam de similibus exemplis judicandum. Super adhuc est *sexta*, huc quam-maximè pertinens circumstantia, de communicatione nimirùm solius Sacerdotis Missifici, ob quam Missa dicitur non tantùm privata, etsi publicè fiat, sed etiam *solitaria*, cujus expressam apud Veteres Ecclesiæ Doctores & sic Augustinum quoq; non fieri mentionem, ipse Bellarminus ante, ac satis expressè agnovit, testis Ecclesiæ Veritatis, si unquam, hic rectè luculentissimus; cui non possum non addere è Seculo antecedente *Georgium Rocielium*, sequens testimonium in Viâ, quam dixit, Regiâ exhibentem: *Particulares Missulæ non congruunt cum Institutione Cœnæ, nec cum traditione Paulinâ, nec merentur Liturgiæ nomen, nec habent robur ex Evangelio, nec ex Ecclesiâ testimonium aut exemplum, nec Sanctorum Patrum (de antiquis loquor) consensionem firmam, nec beatorum Martyrum aut Homologetarum* (confessorum) *adstipulationem, nec denique Conciliorum veterum œcumenicorum adprobationem ullam; sed nuperis Seculis adinvenit has vana hominum superstitio & hypocrisis, ignorantia & Φιλαρχυρία.* Plura huic simili a *D. Gerhardus* noster in *Confessione Catholica*, opere nunquam satis laudato, & hactenus per DEI gratiam ab adversariæ partis impugnationibus libero, quia verè inexpugnabili, collegit numero satis magno, quibus in *Vindiciis Evangelico-Thomisticis* non ita pridem adnumeratus fuit nuperus Editor Concilii Illiberitani *Gonzales*, & recens Gallorum Historicus *Benjamin Priulus*, ea de novitate & inutilitate Missarum, quæ dicuntur, privatarum exhibentes, quæ Evangelicis non nisi gratissima esse possunt.

de exhort. castit. op. p. 507.

P. 306. Edit. Conring. poster.

CAPUT UNDECIMUM ET DUODECIMUM,

De Linguæ & Vocis genere in Missâ.

DE illâ quidem ex Augustino nihil habet Bellarminus; qui verò, dum in hujus Quæstionis breviori tractatione provocat ad ea, quæ de hoc argumento partim in Controversiâ de *Editionibus Bibliorum vulgatis*, partim in Controversiâ de *Ceremoniis Sacramentalibus* scripsit, nos etiam eodem donat Privilegio ad ea provocandi, quæ utrobique sunt, quantum ad Augustini authoritatem, reposita. Hic tantùm ea juvat repetere Augustini verba, quæ ex libro Ejus de *catechizandis rudibus* Juri Canonico inseruit Gratianus, iis etiam additis, quæ recentior Scholiastes ex antecedentibus tanquam illuc pertinentia adscripsit: *Sunt quidam de Scholis usitatissimis Grammaticorum oratorumq; venientes, quos neque inter Idiotas numerare audeas, neque etiam inter illos doctissimos, quorum mens magnarum rerum quæstionibus est exercitata. His ergò, qui arte loquendi cæteris hominibus excellere videntur, cum veniunt, ut Christiani fiant, hoc amplius, quàm illis illiteratis impartire debemus, quod sedulò admonendi sunt, ut humilitate induti Christianâ discant non contemnere, quos cognoverint morum vitia, quàm verborum amplius devitare, & cordi casto linguam exercitatam nec conferre audeant, quam præferre etiam consueverant.* Et infrà: *His etiam magis utile est nosse, ita præponendas esse verbis sententias, ut animus corpori præponitur. Ex quo fit, ut ita malle debeant veriores, quàm disertiores audire Sermones, sicut malè debent prudentiores, quàm formosiores amicos habere. Noverint etiam, non esse vocem ad aures DEI, nisi affectum animi. Ita enim non irridebunt, si aliquos Antistites & Ecclesiæ Ministros fortè animadverterint vel cum barbarismis & solœcismis Deum invocare, vel eadem verba, quæ pronuntiant, non intelligere, perturbatèq; distinguere; non quia hæc minimè sunt corrigenda, ut populus ad id, quod intelligit planè, Amen dicat, sed quia piè sunt ab iis toleranda, qui didicerunt, ut sono in Foro, sic voto in Ecclesiâ benedici. Itaq; forensis illa nonnunquam bona fortè dictio, nunquam tamen benedictio dici potest.* Inter plura, de quo testimonium hoc Augustini monere nos potest, illud ad præsens Institutum ante omnia pertinet, quod de populo *Amen* dicente observat, nimirùm ad id *Amen* dici debere, *quod planè intelligitur*, id quod ad usum Sacram. Eucharistiæ etiam referri posse & debere, est indubium. Hinc ingenua iterùm Bellarmini confessio hic notanda venit, ibi exhibita, ubi quam-maximè contra vulgatas Bibliorum Versiones & Editiones militavit: *Meritò S. Paulus mavult, quinq; verba in Sensu suo ad institutionem loqui, quàm decem millia verborum in lingua*, scil. peregrina & incognita; *quia melior est cohortatio, quæ ab omnibus intelligitur, licet brevissima sit, quàm ea, quæ non intelligitur, etiamsi sit longissima.* Adplicatio etiam hic fieri potest eorum, quæ idem Bellarminus de Ceremoniis Sacramentorum in genere agens, in specie de Matrimonii Sacram. monuit, *id singulariter excipi debere statuens,*

c. Sedulo, dist. 38.

cum

cùm de linguâ agitur, quâ Sacramenta debeant administrari. Quia enim, inquit, *Matrimonium consistit in consensu mutuo, necessariò requiruntur verba vel nutus, qui ab utrâq; parte intelligantur.* Addit, *similiter Confessio peccatorum fieri debet linguâ utrique notâ, licet Confessio non tàm sit Sacramentum, quàm Sacramenti materia.* Sed annon per devotum Sacramenti Eucharistiæ usum mystica unio (quam cum Matrimoniali conjunctione Apostolum suo quodam modo comparare, inferius suo videbimus loco:) animæ fidelis cum Christo, & adnuntiata in Verbo Absolutionis peccatorum remissio confirmatur & obsignatur? Necessum igitur est quam-maximè, ut hoc negotium eâ peragatur lingua, quæ ei inprimis non sit incognita, cui hoc Beneficium confertur, ut cognita ejus magnitudine ad debitam gratiarum actionem eò magis invitetur, atq; insuper discat, qualia exindè hauriri possint solatia, atque ad Christianismi profectum & ædificationem incitamenta. Jam de *vocis genere in Missâ*, ut aliquid de submissione ejus in Canonis Missatici recitatione addamus, bis *Augustini* mentio apud Bellarm. in hujus Controversiæ tractatione occurrit. Et *primò* quidem, ubi ad primam Chemnitii objectionem respondere tentat. Objecit Is institutionem Christi, qui *in Cœnâ sui memoriam non per silentium, sed ut Paulus explicat, per adnuntiationem jussit fieri.* Addit ex insolitâ liberalitate Bellarminus, *posset argumentum confirmari ipsius Christi exemplo, qui verba Consecrationis altâ voce pronuntiavit, ut omnes, qui aderant, audire potuerint*; Respondet autem: *Christi memoriam & adnuntiationem non tam verbis, quàm re ipsâ fieri debere, si*, *Augustino* scribente, Christiani jam peracti Sacrificii memoriam celebrant Sacro-Sanctâ oblatione & participatione corporis Christi, &c. *Neq; posset alio impleri modo, quod Paulus præcipit, ut omnes mortem Domini adnuntient. Qualis enim fieret confusio, si omnis populus in Ecclesiâ mortem Domini verbis adnuntiare deberet? Quod verò Christi attinet exemplum, est sciendum, Christum non solùm ea pronuntiasse verba, ut consecraret, sed etiam, ut Apostolos ritum consecrandi doceret. Quocirca oportuit Eum ita loqui, ut audiretur ab Apostolis; quod etiam hoc tempore servant Episcopi, cùm inter Missarum solemnia Sacerdotes ordinant. Sic enim pronuntiant Consecrationis verba, ut omnes illi Sacerdotes novi possint audire. Alia autem ratio est eorum, qui ad populum Missas celebrant.* Deindè, ubi Chemnitius in objectione quartâ ad antiquam provocat Ecclesiæ consuetudinem, *quâ iis, qui non poterant* (ex more enimirum recepto) *Mysteriis interesse, dimissis, altâ voce preces, gratiarum actiones, & ipsa etiam Consecrationis verba pronuntiabantur*, addito ritu antiquo, Amen ad verba Consecrationis respondendi, de eo inter alios Scriptores antiquos pro teste Augustinum ex libro ad *Orosium* sistens; Bellarminus ita respondit: *librum hunc non esse Augustini, nec testimonium ex eo ad rem facere. Non enim loqui Authorem illum de Consecratione, sed de Sacramenti dispensatione, idque solùm dicere, eos Amen respondere solitos, qui sanguinem Domini acceperint, dicente videl. Sacerdote: Sanguis Domini nostri Jesu Christi.* Ad utrumq; ut paucis aliquid dicatur, de responso Bellarmini ex Augustino ad primam Chemnitii objectionem est sciendum, Eum verba Augustini non ad mentem Ejus explicare. Non enim loquitur in eis Sanctus Pater de oblatione sacrificiali, quæ fit per Sacerdotem, qualis Augustino secundum ea, quæ superiùs ex Eo fuerunt adducta, planè fuit incognita; sed vel de oblatione per Sacerdotem ministeriali, in quem sensum ad caput antecedens *Christum in Sacramento populis immolari* Doctor augustus notanter scripsit; vel de oblatione memorativa, quæ fit à populo communicante, DEO Patri in precibus devotis Sacrificium Filii in Cruce exhibitum per Fiducialem meriti ex eo profluentis adprehensionem obferente, quod & verbotenus & simul realiter præstatur, communicantibus id, quod ex verbis Dominicæ Institutionis clarè à Sacerdote expressis percipiunt, pervoculam *Amen* se credere confirmantibus, & subjunctâ gratiarum actione Domini mortem ex Christi ipsius & Pauli mandato memorantibus. Nec aliqua timeri debet hic confusio, dum omnis in Ecclesia populus, præsertim communicans, mortem Domini verbis etiam adnuntiat, nisi confusionem Apostolos eorumq; in Ecclesiâ Successores admisisse velimus dicere, quorum tempore populus ad Sacerdotis preces *Amen* in fine earum addidit, suam de exauditione precum certitudinem eometipso testatus. Quod autem Christus in prima Sacramenti hujus Institutione verba Consecrationis clarius dicitur pronuntiasse, *non solùm, ut consecrare, sed etiam, ut Apostolos ritum consecrandi doceret*, rem Bellarmini pro submissione vocis in Missæ Sacrificio pugnantis non juvat, sed potius evertit. Si enim Christus ideò verba Consecrationis clarè pronuntiavit, ut Apostolos ritum consecrandi doceret, sequitur, Apostolos etiam, eorumq; in Ecclesiâ Ministerio, nominatim in hujus Sacram. administratione Successores, hæc Christi verba, quæ Conse-

1. 20. contra Faust. cap. 18.

Quæst. 49.

Consecrationis dicuntur, clarè pronuntiare debere, ut nimirùm populus ex iis de toto hoc Mysterio informetur, & quid in hâc celebratione agatur, discere possit, quod nisi fiat exiguo cum fructu populi communicantis negotium hoc peragetur. De authoritate libri ad *Orosium*, cujus sub Augustini nomine in objectione quarta mentio est facta, quidquid sit; loquatur etiam, quod Bellarminus vult, *non de Consecratione, sed de Sacramenti dispensatione*, non tamen nihil, sed satis ad rem facit, de quâ agimus. Quia enim ipso teste Bellarmino habemus, Missarum, quas dicit, privatarum & solitariarum apud Veteres Ecclesiæ Doctores expressam non legi mentionem, ideò quod præter alios is etiam sub Augustini nomine Scriptor *Quæstionum sexaginta quinque ad Orosium*, quem *Hieronymus Torrensis in Confessione Augustinianâ* aliàs ad suas trahere partes est conatus, de hoc more respondendi *Amen* in ipso Sacramenti Eucharistiæ usu memorat, omninò præsupponit, eodem genere & linguæ & vocis Sacerdotes in hujus Sacramenti administratione, id est, lingua communi sive cognitâ & voce alta, tam circa ipsam Consecrationem, quàm ipsius Sacramenti dispensationem usos fuisse, cùm, nisi hoc fuisset, Apostolo teste, populus *Amen* quasi ad rem incognitam respondere non potuisset. Et dum hujus *Amen* respondendi ritûs *Ambrosium* quoque Bellarminus scribit meminisse, eodem videlicet cum Augustino viventem Seculo, res est eò clarior, nihilq; ad uberiorem ejus deductionem nunc quidem potest vel debet requiri.

CAPVT DECIMVM ET QVARTVM, & seqq.

De

Ceremoniis in Sacrificio Missæ.

PRæter ea, quæ de Ceremoniis Sacramentalibus in genere superiùs ex Augustino sunt adducta, pauca hic in specie restant excutienda, inprimis cùm pleraque, quæ de Ceremoniis Missaticis coacervavit Bellarminus, vel Augustini authoritate tanquam recentiores destituantur, vel nullam habeant omninò difficultatem, adiaphoræ nimirùm, & sub nullam in se cadentes controversiam, nisi quatenus pars adversaria res etiam adiaphoras, & in se liberas statuit necessarias, jugo intolerabili Evangelicam libertatem, quantum in se est, premens. Unus tamen & alter ex Augustino locus vindicari debet, ne in hoc etiam argumento Bellarminus quidquam contra Evangelicos obtinuisse videatur. Præteritis igitur, quæ Bellarminus habet de *Vestibus Sacris* ex Canone quodam Synodi Carthaginensis, tempore Augustini celebratæ, de usu *Vestis albæ* in Sacro Ministerio, ut & de *Veste Dalmaticâ* ex Authore *Quæstionum* V. & N. T. utpotè re, ut dixi, adiaphorâ, âque Christo & Apostolis expressè non præscripta; Item quæ de *consecratione Templorum & Altarium* ex Augustini non omninò indubiis *de Tempore* Sermonibus laudat, cùm non de ipsa consecratione vel dedicatione, sed modo & ratione ejus inter nos sit controversia; quorsum quoque pertinet tractatio de *Vasis Sacris & consecratis*, quia id, quod Augustinus verbis à Bellarmino laudatis, de *Instrumentis & Vasis ex Auro, & argento in usum Sacramentorum* scripsit, non de singulari quâdam consecratione pluribus ceremoniis peragendâ voluit intellectum, sed de ipso eorum sacro in celebratione Sacramentorum usu, dicens, *quæ ipso Ministerio consecrata dicuntur sancta*, quo ipso nihil clarius dici & scribi potuit. His inquam prætermissis, neque eo etiam attento, quod ex Augustino de tempore in genere vel die celebrandi Eucharistiæ Sacramentum monet, *in quibusdam locis Sacrificium*, non Missaticum, sed Eucharisticum *omni die, alibi die solùm Dominicâ & Sabbatho, alibi die solùm Dominicâ obferri solitum* consuetum fuisse, nobis suprà jam de hâc circumstantiâ omnem controversiam submoventibus; is nunc ante alios ad aliquam considerationem trahi debet locus, qui de hora in specie, nimirùm ante- vel post meridiana, in usu hujus Sacramenti agit, utpotè circa cujus Sensum *Lutherus* contra Bellarmini gravem satis adcusationem debet vindicari. Eum his verbis exhibet Bellarm. *Liquidò adparet, quandò primùm acceperunt Discipuli corpus & sanguinem Christi, non eos accepisse jejunos. Numquid tamen propterea universæ calumniandũ est Ecclesiæ, quod à jejunis semper accipitur? Ex hoc enim placuit Sp. sancto, ut in tanti honorem Sacram. in os Christiani prius Dominicum corpus intraret, quàm cæteri cibi; nam ideò per universum orbem mos iste servatur. Neq; enim, quia Domino post cibos dedit, propterea pransi aut cœnati fratres ad Sacram. illud accipiendum convenire debent, aut, sicut faciebant, quos arguit Apost. & emendat, suis ista Mensis miscere. Namq; Salvator, quò vehementius commendaret Mysterii illius altitud. ultimùm hoc voluit infigere cordibus & memoriæ Discipulor. à quib. ad Passionẽ digressurus erat. Et ideò non præcepit, quo deinceps ord. sumeretur, ut Apostolis,*

in Ps. 113. vel potius, 115. Serm. II.

Epist. 118. ad Jan.

Ibid.

per quos Ecclesias erat dispositurus, hunc locum servaret. Ex hoc Augustini testimonio, inquit Bellarminus, multa habemus. *Primò*, Dominum nihil de hoc præcepisse. *Secundò*, Apostolos Spiritu Sancto inspiratos instituisse, ut à jejunis Eucharistia sumeretur. *Tertiò*, id servari in toto terrarum orbe ab omni Ecclesia Christi. *Quartò*, rationem hujus rei fuisse, ob honorem tanti Sacramenti, quam rationem posteros etiam Autho-
res attingere scribit. De Luthero autem, præter ea, quæ antecedenter ex non uno
Tom. II. Jen. Lat. p. 450. b. Ejus libro de hâc re citavit, id inprimis consequenter subjungit: *Lutherus, ut erat omnium hominum impudentissimus, tanti Doctoris testimonium irridet* in de abrogandâ Missâ libri parte secunda, his verbis: *Indignum est, inquiunt, ut in os Christiani aliud intret prius, quàm corpus Domini intraverit. O festiva ratio! Fortè nec nebulam, nec aerem prius intrare licet os Christiani, quàm corpus Domini intraverit, ut Sacerdotibus respiratione & vitâ interdicatur usq; post Missam & Communionem.* Addit cum gravissimâ exaggeratione Bellarminus: *Horrenda sanè & diabolica planè audacia, Ecclesiæ toti insultare, non aliquâ ratione solidâ, sed loco Augustini depravato. Non enim Augustinus ait, indignum esse, ut aliud prius intret in os Christiani, quàm Christi corpus; sed, ut alius cibus intret prius, quam sacratissimus carnis Dominicæ cibus. Non igitur prohibemus aerem inspirare, ut negatur Lutherus, sed cibum aliquem sumere.* Ita debacchatus contra Lutherum Bellarminus suo egregiè functus officio videri voluit, re quasi optimè gesta, & Luthero de
vid. D. Höpfn. de Cœnâ, Tract. pract. pag. 272. conf. Dallæj de obj. cultûs, p. 293. insigni blasphemiâ per demonstrationem apodicticam & omni ratione superiorem convicto, ita quidem, ut nihil planè pro Ejus innocentia sit super, quod accusationis nullitatem, & simul injuriam Lectori possit facere manifestam. Sed & hic salvare est, Luthero nihil Augustino Ejusque authoritati detrahente, aut apertè etiam contradicente, nisi Ecclesia hodie Apostolis detrahere vel sanctioni Eorum repugnare dicatur, quâ sub Spiritus Sancti authoritate abstinentiam à suffocato in specie noviter ad Christianissimum conversis mandaverunt. Ut autem Lutheri eò melius pateat Innocentia, de Augustini mente prius est dicendum; ad quam ritè intelligendam omninò pertinet, quod in sequentibus legitur verbis: *Nonnullos ratio quædam probabilis delectavit, ut uno die certo per Annum, quo ipsam Dominus dedit Cœnam, tanquam ad insigniorem commemorationem post cibos obferri & accipi liceat corpus & sanguinem Domini. Quapropter neminem cogimus Dominica illa Cœna* (aliàs, ante Dominicam illam Cœnam:) *prandere; sed nulli etiam contradicere audemus.* Vides Lector optime, Augustinum, etiamsi universam (quoad maximam videlicet partem) Ecclesiam observare, ut Eucharistiæ Sacramentum à jejunis accipiatur, idq; Spiritui Sancto placuisse scribat, quem ferè in modum Apostolos quoque suam de abstinentia à suffocato in specie sanctionem, non in perpetuum, sed ad aliquod saltem tempus ex certo quodam respectu duraturam, Spiritus Sancti beneplacito adscripsisse dixi; non tamen ita rigorosè hunc ritum ursisse, ut iis contradicere fuerit ausus, qui ad commemorationem Institutionis Dominicæ, ipso ejusdem die post cibos, & ratione quidem probabili, Sacramento hoc Eucharistiæ fuerunt usi, ante Cœnam illam Dominicam pransi, nimirùm Christi & Apostolorum exemplo ducti. Si hanc Augustini modestiam observarent, qui ceremonias in Ecclesia aliis præscribere solent, libertate in his & talibus salvâ, nulla jugi intolerabilis in colla Christianorum factâ per vim adplicatione, non habuisset Lutherus, de quo conquereretur. Nunc verò, dum omnia vi tractantur, ac Christianæ libertati hic & ibi insidiæ non adeò occultæ struuntur, in Evangelicis id ægrè ferendum non est, si eas etiam Ceremonias, quas in usu Sacramentorum adhibent, adeòque & hanc temporis matutini in celebratione Sacramenti Eucharistiæ circumstantiam, de quo ipsa Praxis docere potest, non ex traditionis humanæ, quæ dicitur Ecclesiastica, obligatione, sed ex libertate Christiana servare & observare se profitentur. Notanter Glossa
c. Liquid. de Conf. dist. II. Juris Canonici ad hoc Augustini testimonium observat, hinc colligi, *non esse jejunum de substantia*, addens pro ratione, *aliàs Dominus non confecisset.* Per summam igitur injuriam de Lutherò scripsit Bellarminus, Eum omnium hominum impudentissimum hoc Augustini testimonium irrisisse, & horrenda ac Diabolica planè audacia Ecclesiæ toti insultasse, & quidem non aliqua ratione solidâ, sed loco Augustini depravato ductum. Atqui non Ecclesiæ, nimirùm orthodoxæ & verè Catholicæ insultasse, neq; etiam Augustini testimonium irrisisse, multò minus id depravâsse Lutherum, verba Ejus docebunt, hic omninò legenda: *Non probo, cujusvis arbitrio usitatam verborum Institutionis formam mutari; sed & temeritatem & audaciam impiorum detestor, qui in rebus à Deo non præceptis, nec necessariis novos condunt Infernos, & nova mortalia peccata suo cerebro cœco decernunt, ubi*

nulla

nulla peccata, nec pericula esse possunt, pavidas conscientias sine causâ excarnificantes, tantùm ut spiritu libertatis extincto, spiritum timoris & servitutis in cordibus nostris suscitent. Tale est, quod Jejunium naturæ effinxerunt, ut si quis Aquæ guttam vel imprudens glutiverit, eo die indignus sit Communione. O furorem furore furiosiorem! Indignum est, inquiunt, ut in os Christiani aliud intret, priusquam Domini corpus intraverit. O festiva ratio! Fortè nec nebulam, nec aerem prius intrare licet os Christiani, quàm Domini corpus intraverit, ut Sacerdotibus respiratione & vitâ interdicatur usque post Missam & Communionem; *cùm Christus & Apostoli post Cœnam communicaverint, ac ferè fiat, ut cibo moderatè sumto & os mundius, & caput purgatius, & halitus incorruptior, totumq; corpus dignius sit, quàm jejunis & à somno, nescio quid gravedinis & impuritatis referentibus unquam esse possit. Tales inquam Religiones arbitrarias, quæ ultra Christi institutionem per homines inventæ & adjectæ sunt, contemnimus; non quod nolimus servari eas, si qui volent, sed peccata statui per eas, & Conscientiis laqueos & scandala parari non patimur. Servet, qui volet, sed liberè, sciens, se non posse peccare in eo omittendo, quo videt Christum & Apostolos non peccâsse; in iis enim solis peccatur, quæ contra Christi fiunt statutum.* Manifestum satis est ex hisce, quæ mens Lutheri fuerit circa vindicandam libertatem in rebus adiaphoris Christianam contra tyrannidem Papisticam, nihil, ne verbulo quidem, contra Augustinum, Ejusque authoritatem scribentis, cujus etiam planè nullam fecit mentionem, nedum ut verba ejus depravaverit, solùm adversariæ partis Sententiam ex malè intellectis Augustini verbis referens, quam postmodùm more disputatoribus solenni per instantiam de nebula & aere, summamque jejunii necessitatem, quam ante usum Sacramenti Eucharistiæ vel Sacrificii Missæ requirunt Papæi, cometipso infringere voluit, nihil planè in eo peccans, quod horrendam ac diabolicam planè audaciam præ se ferat, ita, ut si Augustino reviviscere Divinitùs concederetur in his Lutheri verbis nihil esset omninò inventurus, per quod suam ab Eo Sententiam fuisse irrisam, aut Ecclesiæ Veræ aliquâ ratione insultatum, agnoscere, ac contra Lutherum gravamina urgere ansam haberet, Luthero hic quoque Elogium strenui pro Veritate Divinâ contra humanas traditiones athletæ concessurus. De cætero, quidquid Augustinus in laudato & vindicato hactenus testimonio de usu Sacramenti Eucharistiæ ante-meridiano ab Apostolicâ, ut Ipsi quidem videtur, ordinatione profectò & per tot Secula in Ecclesiâ recepto habet, Evangelicis non est contrarium, de quo ipsa, ut jam dixi, Praxis testatur, nisi quod ingenuè fatentur, fieri id à se non ex aliquâ necessitate vel obligatione, sed libertate Christianâ; & ita quidem, ut si conditio hujus vel illius communicandi requirat, neque de tempore antemeridiano sint adeò scrupulosi, neque jejunium rigorosius requirant, modò in aliis id ex debito observetur, quod ad hujus Sacræ actionis essentiam ex Institutoris dispositione pertinet quam-maximè. A circumstantiâ temporis ad alias jam ut deveniatur ceremonias, quas *in actione* Bellarminus dicit consistere, medium eas inter occupat locum *cantus in Missâ*, de quo etsi dicat, *non esse magnam hoc tempore controversiam, cùm ipsi etiam hæretici passim canant*; quia tamen & exemplo Christi & Augustini testimonio eum quasi necessarium demonstrare conatur, breviter aliquid de eo dicendum est. Quod enim Christi attinet exemplum, de quo & Apostolis apud Matthæum legitur, *quod hymno dicto in Oliveti Montem exierint*, illud ad cantum Missificis non pertinere, ex iis manifestum est, quæ præter alios *Cornelius à Lapide* ad hunc Matthæi locum est commentatus: *Putant nonnulli ex libris Ebræorum ritualibus, usitatum hunc Judæis in Paschate fuisse hymnum in gratiarum actione post Cœnam Agni, nimirùm, ut notat Paulus Burgensis, & ex Eo Franciscus Lucas, Baronius & alii, hymnum hunc fuisse septem Psalmos ex Hallelujâ conflatos. Undè colligit Sanctus Chrysostomus, neminem è Missâ ante gratiarum actionem, quæ fit in Collectis post communionem, discedere debere. Idem colligas de communi prandio & Cœnâ, scilicet ab eo non abeundum, nisi prius actis DEO gratiis. Hinc & Concilium Toletanum adserit, nos ex hoc Christi hymno habere exemplum canandi hymnos. Hic ergò hymnizandi ritus in Agni Cœnâ priscorum fuit Ebræorum, quem secuti postea sunt Christiani, ut post Eucharistiam & Agapen, id est, Convivium charitatis omnibus commune fidelibus, DEO in gratiarum actionem psallerent. Colligitur id ex Paulo, idque docet diserte Tertullianus & Cyprianus. Sic & gentiles post Epulas libabant Baccho aut alteri cuipiam DEO, & in illorum honorem communi voce Pæana sive hymnum aliquem canebant, & deindè accepto quisque Myrti aut Lauri ramo propriam canere Cantionem, atque Lyram, quæ per Convivas circumferebatur, pulsare, Plutarcho & Clemente Alexandrino testibus, cogebatur.*

cap. 26.

conf. Casaub. Exerc. 16. n. 62. & 63. pag. 519. seqq.

Exhibent hæc Cornelii observata Ebræorum, Christianorum, Gentilium circa gratiarum actiones post Convivia sive Sacra, sive profana, sive publica, sive privata hymnis decantandas consuetudinem, quæ tamen omnia nihil ad Missificis cantum faciunt, Christo etiam non solo, sed cum Apostolis, nec ante, nec in ipsâ Sacramenti vel Eucharistiæ, vel antecedentis Agni Paschalis, sed post utrumque, hymnum non tam juxta antiquam consuetudinem, quàm ad propriam devotionem demonstrandam, ex Psalmis, ut credere par est, Davidicis decantante, DEOq; Patri gratias agente. Nec quidquam juvat Augustini, à Bellarmino jactata authoritas, nihil aliud ibi, undè ea est desumta, docentis, quàm *de ratione hymni esse cantum, ita ut, nisi cantetur, hymnus dici non possit.* Quid enim hoc ad cantum Missificis? Nihil omninò, nisi ut imprudens Lector per hoc credat, Cantum Missificis Augustinum exemplo Christi adprobasse, etsi fortè verborum Institutionis & orationis Dominicæ recitationem ad notas, ut vocant, Musicales in modum hymni alicujus vel Cantici factam, modò liberam & non omni ex parte necessariam, neque Augustinus adeò improbâsset, neque etiam hodiè Evangelici improbent vel omninò reprobent, quod ex praxi iterùm constare potest. Ad ultimam nunc ut ex iis, quas ad actionem refert Bellarminus, ceremoniam veniamus, exhibet ea *Crucis Signum*, quo nimirùm Sacerdos Missifex non tantum juxta descriptionem Bellarmini signat seipsum, sed librum quoque, ex quo Canon Missæ decantatur, Altare, in quo celebrari dicitur Missæ Sacrificium, res item obferendas & jam oblatas ad hoc Sacrificium pertinentes, ac populum denique præsentem, etsi non communicantem vel communicatum. Ut hanc ceremoniam in Missæ Sacrificio antiquissimam esse demonstret Bellarminus, inprimis ad Augustini etiam provocat testimonium, cum Chrysostomo dicentis & docentis, *omnia Sacramenta & ipsum Sacrificium Divinum Crucis Signo perfici.* Verba Doctoris augusti, ad quæ Bellarminus respicit, hæc sunt: *Quid est, quod omnes noverunt Signum Christi, nisi crux Christi? Quod signum nisi adhibeatur sive frontibus credentium, sive ipsi Aquæ, quâ regenerantur, sive oleo, quo chrismate unguntur, sive Sacrificio, quo aluntur, nihil eorum ritè perficitur.* Et post pauca: *Per crucem Christi, quam fecerunt mali, in celebratione Sacramentorum Ejus, omne bonum nobis signatur.* Præter ea, quæ suprà in loco ad hoc Patris Sancti testimonium fuêre dicta, ubi simul indicatum fuit, cur Evangelici hodiè à libero aliàs & adiaphoro Signi Crucis usu, quem in se & ritè adhibitum non damnant, nihilo tamen minus ut plurimùm abstineant: id hic inprimis observandum est, Augustinum loqui quidem in his verbis de usu Signi Crucis, præsertim in celebratione Sacramentorum, ad morem suo tempore in Ecclesiâ non malè receptum, quo Christiani à Gentilibus, inter quos adhuc vivere cogebantur, communiter fuerunt distincti, sed tamen nihil Eum habere de multificâ per Crucem signatione libri Missalis, Altaris & aliorum, hodiè in administratione Sacrificii Missæ usitatâ, & verè abusivâ atque superfluâ, quidquid etiam Bellarmino videatur, quem in aliis quoque Augustini testimoniis plura, quàm alios non minus oculatos, si non multò oculatiores vidisse, pluribus documentis hactenus est ostensum. In cæteris, quæ de *Missâ Catechumenorum* inprimis habet Bellarminus, ut & in sequentibus, occurrit quidem hinc inde mentio Augustini, non ita tamen, ut ad structuram Missæ conducere quidquam possit, si ea probè attendantur, quæ in antecedentibus de ipsâ Missæ substantia, si quæ est, ex Augustino fuerunt observata, ceremoniis tanquam accidentibus per se non habentibus locum, ubi nullum, cui adhæreant & inserviant, corpus habent.

in tit. Psal. 72. vel 73.

Tract. 118 in Johan.

CAPUT DECIMUM OCTAVUM, & seqq.

De *Canone Missatico.*

BEnè est, quod post alios plures Bellarminus ad Missarum liturgias, quæ communiter *Basilio, Chrysostomo, Ambrosio, Gregorio, Isidoro* adscribuntur, provocans, easq; pro viribus defendens, nullam sub Augustini nomine commendavit, neq; etiam ostendere potuit, quâ Auguſt. suo tempore in Ecclesiâ circa administrationem Sacram. Eucharistiæ usus. De *Gregorii & Isidori*, utpotè posterioribus, res clara est. De *Ambrosii*, quod dicâ, non habeo, cùm neq; in operib. extet, neq; in recensione eorũ aliquam ejus faciat mentionem Bellarm. & qui observat. nuper in Eum scripsit *Labbeus*, præter duas precationes *ad Missam præparantes*, de quibus tamen monet, *Raynaudum* non Ambrosii esse, sed *Anselmi* contendere. De *Basilii* autem & *Chrysostomi* liturgiis, quibus præter alios Scriptores Papæos

Papæos Bellarm. etiam aliàs sæpe in his Controversiarum Tomis pro authoritate utitur, quarum Examen justum *D. Dorscheus* in *Mysariâ Missæ* superius laudatâ instituit, illud insuper venit attendendum, tot eas differentiis & varietatibus laborare, quas Euchologii Græcorum recentissimus Editor, *Jacobus Goar*, Parisinus, Missionarius antehàc in Orientem ex Ordine Prædicatorum, ut audit, Apostolicus, ex variis Manuscriptis orbi eruditò partim exhibuit, ut si nihil aliud, hoc certè sufficiens esset, undè in suppositionis suspicionem possent venire. Id quod incidenter etiam, quamvis non adeò impertinenter, moneri debet, de eâ duplici Missâ vel Liturgia, quam non ita pridem secundo Annalium Franciæ Ecclesiasticorum Tomo inseruit, *Carolus le Cointe*, Congregationis Oratorii Presbyter, Ephemeridum Gallicarum Authore instituti hujus rationem sequentibus verbis exprimente: *Hoc in libro libellus* etiam Missaticus habetur, qui rationem docet, quo pacto Missa in Gallia septimo durante Seculo sit celebrata, quæ res sanè rarissima est & digna, ut hisce Annalibus insereretur. *Matthias* enim *Flacius*, qui communiter *Illyricus* dicitur, Theologus apud Lutheranos celeberrimus, Authorque Centuriarum Magdeburgensium præcipuus, libellum ipsum Missaticum An. 1557. typis excudi curavit, insignia indè commoda contra Catholicos peti posse persuasus. Verùm, qui ipsius addicti fuerunt parti, cognoverunt, tantum abesse, ut liber ille Doctrinam ipsorum confirmet, ut potius labefactet eandem, & Pontificiis argumenta tam valida, quàm ab ipsis produci possent adversariis, suppeditet. Igitur omnia, quæ haberi quidem poterant, Exemplaria iterùm sunt conquisita, eoq; in scopo, quem habebant, omnia supprimendi, eum experti sunt felicem successum, ut ullum invenire jam ferè sit impossibile, ita ut periculum esset, ne planè liber interiret, nisi Clarissimus Vir, *Antonius de Vion, Dominus d' Herovval*, cujus ipse Conditor Annalium facit mentionem, tandem invenisset medium, quò Exemplar aliquod erueret, quod etiam Pater le Cointe integrum suis inseruit Annalibus, ut rem Ecclesiæ tam proficuam posset servare. Et certè est, cur mirari subeat, quod tantus Ecclesiæ Pontificiæ hostis, qualis fuit *Illyricus*, istum ediderit libellum; continet enim argumenta, eorum omnium, quæ refutant adversarii, veritatem evincentia. Verùm satis patet exindè, DEUM, quò sua succedant proposita, adhibere iisdem sæpè exequendis, id quod maximè videtur contrarium, & suos sæpè inimicos cogere, quo veritatis edant testimonium. *Hugo* quidem *Menardus*, Ordinis Benedicti, An. 1642. alium Missaticum Libellum, quem Flaciano antiquiorem venditabat, publici fecit juris; verùm Pater le Cointe contendit, illum Menardi libellum non nisi Epitomen Flaciani esse. Et ut utriusque comparatio fieri eò melius posset, utrumque etiam simul hoc in libro *typis edi curavit*, Hactenus Author Ephemeridum, in compendio rationem propositi Editoris Annalium, quoad hujus libelli Missatici utriusque repetitam publicationem Lectori exhibere volens, non pauca tamen omittens à laudato Annalium Editore observata, ad rem non planè nihil facientia, illud præsertim, quod ingenuè agnovit, *Gregorii Magni temporibus diversos celebrandæ Missæ ritus in Ecclesiâ Romanâ & in Ecclesiis Galliarum fuisse*, ad testimonium ipsius Gregorii & Bedæ Venerabilis provocans; *& quod demùm regnante Carolo Magno, aut potius Pipino, Caroli Magni Patre, Ecclesiæ Gallicanæ ritum susceperint Romanum*, quod hic omninò observandum est. Accedit notatio ipsius Bellarmini huic parallela, quam de antiquitate Canonis Missatici habet, scribens: *Illud constat, nostrum Canonem integrum, ut eum nunc habemus in Missalibus, fuisse in usu Ecclesiæ ante Annum Domini 800. Nam extat in ordine Romano, non procul ab initio, quem ordinem citant Alcuinus & Amalarius, qui tempore Caroli Magni vixerunt.* Deindè *Alcuinus in libro de officiis Ecclesiasticis, capite de celebratione Missæ, totum Canonem exponit verbatim, ac deinceps ab omnibus aliis posterioribus idem omninò Canon exponitur, ut ab Amalario, Hugone, Ruperto, Innocentio & cæteris.* Porrò, *Romanus ordo non instituit Canonem, sed refert, ut rem usitatam & in Ecclesia celebrem. Quare necessum est, Canonem esse adhuc antiquiorem, quàm sit ordo Romanus. Quamvis autem fortasse non extet alius liber ordine Romano antiquior, ubi totus habetur Canon, extant libri tamen antiquiores multò, ubi partes Canonis habentur, ex quibus conjectura fieri potest de reliquis.* Non vacat hæc Bellarmini prolixius excutere, ne ab instituti ratione digredi nimis videar; id saltem ex his patet, Bellarminum, & cum Eo alios plerosque, qui pro antiquitate Canonis Missatici militant, in ejus demonstratione non adeò multum ultra octavum adscendere Seculũ posse, ut ex indubiis eum ostendant documentis, atq; hinc procul eam adhuc ab August. Seculo abesse, ad quod tamẽ in hoc vindiciarum opere præprimis respicitur. Ut de suspicione & Annalium & Ephemeridum

cap. 7. §. 34. & 35.

pag. 100. & 108.

A. 601. n. 20. seqq.

Tom. II. p. 435.

Scriptoris breviter aliquid addam, quâ raritatem libelli illius Missatici à *Flacio* editi adscribunt Evangelicorum inquisitioni & studio eum supprimendi, ne in manus Pontificiorum veniat, ex suo alios judicare videntur Ingenio. Certè hoc Evangelicis usitatum fuisse nunquam, Experientia rerum magistra testatur. Quâ autem methodo Pontificii Inquisitores, præsertim Romani etiam à suis scriptos supprimant libros, indicare videtur superfluum esse, ipsis Scriptoribus Romanis cordatioribus hoc non omni ex parte adprobantibus. Nam ubi ante hoc Seculum ex Tridentinæ Synodi Decreto mos hic Romæ cœpit, primusque Index librorum, ut vocant, prohibitorum fuit publicatus, ita *Latinius*, Scriptor illo tempore inter suos æstimatissimus, Româ ad *Andream Masium*, Sacræ Scripturæ Interpretem tum quoq; celeberrimum, scripsit: *Prodiit nuper Index librorum, quos sub anathematis pœna haberi prohibemur; ii verò tot sunt, ut paucissimi nobis relinquantur, eorum præsertim, qui in Germania sunt excusi. Hoc ego librorum dicam naufragium, an incendium?* Lucubr. Tom. II. p. 63. cōf. pag. 203. seqq. Launoji super hac re gravamina aliàs exhibui, quæ ex posteribus Epistolarum Tomis non parvum capere possent augmentum, si id jam ageretur. Ego id nunc tantum addo, si raritas libelli illius Missatici, quem citati Authores dicunt edidisse *Flacium*, inquisitionis & suppressionis studium arguit in Evangelicis, ne videlicet Missæ antiquitas, quæ tamen Augustini ætatem non attingit, eos adcusaret suspectæ novitatis; quid dicendum erit atque judicandum de suppressione illius Poematis Italici, quo *Johannem Casam*, Archi-Episcopum antehàc Beneventanum, & Romani Pontificis ad Venetos Legatum, Sodomiæ laudes decantâsse, ex *Sleidano* hactenus & *Thuano*, Historicis omni exceptione & calumnia majoribus, non semel Sanctitati Romanæ fuit objectum, ob cujus raritatem *Voetius*, inter primos hodiè Reformatorum, consilio publicum profuturo, è re duxit esse Ecclesiasticâ, & ne pars adversa illud nunquam fuisse editum possit cuiquam persuadere, postquam Exemplar quoddam Poematum Italicorum *Florentiæ* editorum, inter quæ hoc etiam legitur, nactus est, illud Bibliothecæ Universitatis *Trajectinæ*, ut sub publicâ ibi custodiâ perpetuum hoc Sanctitatis Romanæ monumentum extaret, & præfractè negantibus ostendi posset inferere, id quod hàc occasione prætermittendum non fuit. Ad rem ipsam nunc ut deveniamus, i.e. ipsam Canonis Missatici ex Antiquit. Ecclesiastica demonstrationem, quam per partes exhibere Bellarminus laboravit, singula hic excutere opus non est, quæ hic & ibi ad hanc vel illam ejus particulam ex Augustino laudavit. Sicut enim multa in hoc Canone habentur, quæ cum Augustini doctrinâ non conveniunt, utpotè quod ipsum Eucharistiæ Sacramentum in Sacrificium pro vivis & mortuis propitiatorium DEO obferendum mutat; quòd Transsubstantiationem Panis & Vini in corpus & sanguinem Dominicum, & hinc Panis in specie transsubstantiati religiosam venerationem docet; quòd porrò Ignem Purgatorium fovet, dum pro defunctis in eo degentibus hoc Missæ Sacrificium obferri dicitur, ut alia nunc plura non dicam, quæ in hoc Canone cum regula Fidei orthodoxæ in Augustini Scriptis ex Verbo DEI stabilitæ pugnant, ut hactenus prolixè fuit ostensum; ita Evangelici nunquam negarunt, esse aliqua in hoc Canone, quæ Antiquitatem orthodoxam redolere videntur, & hinc Augustinum quoque testem agnoscunt, à quibus rationem ad integrum Canonis systema argumentari, res est, quæ apud judicandi ex naturali etiam Logicâ peritos locum omninò habere non potest, cùm à parte ad totum non datur consequentia. Quia verò in *tertia & quarta oratione Canonis* occurrit aliqua Augustini mentio, à *Chemnitio* nimirum in Examine earum objecta, ut objectionis valor simul ostendatur, paucis aliquid restat dicendum. Et quidem de *tertia oratione Canonis* dicit Bellarminus objicere Chemnitium, *haberi eam apud Ambrosium & Augustinum, Reference Gratiano, sed alium ista habere verba sensum apud Ambrosium & Augustinum, alium apud Pontificios; apud illos enim referri ad Sacramenti sumtionem, apud hos autem ad repræsentationem.* De quarta verò oratione Canonis in undecimâ objectione dicit Bellarminus demonstrare Chemnitium, *esse absurdissimum inprimis, quod petat Sacerdos Missifex Christi corpus nunc primùm ab Angelis deferri in Cœlum, cùm tamen Apostolus dicat, Christum jam dudum in Cœlum esse ingressum*; deindè etiam ad firmare, *verba hæc debere legi ante Consecrationem, & ad preces ac Eleemosynas esse referenda*, idque probare *tum ex Irenæo, tum ex Augustino, eodem & ibidem referente Gratiano.* Ad priorem Chemnitii objectionem respondet Bellarm. *Chemnitium* in multis peccare. *Primò*, quod non probat id, quod se probaturum suscepit; volebat etiam demonstrare Canonis errores, quæ autè hic adfert, non pugnant contra Canonē, sed contra sensum, in quo illū Pontificii accipiunt. *Secundò*, perperam adlegat Augustinum, nusquam enim illa extant apud Augustinum, sed

c. Utrum, de Consecrat. distinct. II. Ebr. 9.

sed partim apud Ambrosium, partim apud Paschasium, quamvis in hâc re Gratianus quoque videatur deceptus. *Tertiò*, fallitur apertè, cum scribit, Augustinum illa verba interpretari de Eucharistiæ sumtione; quasi juxta errorem Lutheranorum in solâ sumtione Augustinus putaverit Panem fieri corpus Christi, per quod benedicimur, & adscribimur in Cœlo; nam Augustinus nusquam habet aliquid ejusmodi. *Ambrosius* autem, ex quo Paschasius & Gratianus acceperunt, non de sumtione, sed de Consecratione illa exponit omnia. Neque obstant illa ejusdem Ambrosii verba, quæ falsò Chemnitius tribuit Augustino: *Quia in Baptismo similitudinem mortis Christi accepimus, similitudinem quoque carnis & Sanguinis Ejus sumamus*; nam illa dicuntur ab Ambrosio alium in finem. *Quartò*, mentitur Chemnitius, nomen oblationis in istâ Canonis oratione à Pontificiis torqueri ad actionem Sacrificuli, cùm revera de Pane & Vino dicatur. Nullus enim tam fuit unquam absurdus & stupidus, ut non videret, nomen oblationis hoc loco ad Panem & Vinum, non ad actionem referri posse, siquidem à Deo petimus, ut hanc oblationem ita benedicat, ut ea fiat nobis corpus & sanguis Christi; quis enim vel per somnum diceret, actionem debere fieri corpus Christi? Sed benè Chemnitius facit, cùm ista de Catholicis fingit mendacia, quod nullum citat, neque librum ullius nominatim indicat, ne videlicet statim deprehendatur mendacium. *Ad posteriorem Chemnitii objectionem*, quod Augustini quidem attinet authoritatem, ita respondet Bellarminus: *Quod adducitur ex Augustino, non est Augustini testimonium, ut suprà dixi, sed quædam Rhapsodia fragmentorum ex Ambrosio, Paschasio & aliis, in quâ non servatur ordo liturgiæ. Nam primo Author ille meminit Consecrationis, qua Panis vertitur in carnem & vinum transit in Sanguinem. Deindè ista adlegat verba,* Iube hæc perferri &c. *Tum illa subjungit:* Hanc oblationem benedictam &c. *Sicut igitur contendit Chemnitius, illud,* Jube hæc perferri &c. *Fuisse olim ante Consecrationem, quia ponuntur hæc verba ab Authore Canonis ante illa,* Hanc oblationem benedictam &c. *Ita nos contra demonstramus fuisse post Consecrationem, quia ponuntur post ipsam Consecrationem ab eodem Authore. Sed verius est, non servari ab illo Authore ordinem liturgiæ.* Antequàm vindicias Chemnitio, Examinatori meritissimo, debitas contra Bellarmini responsionem paremus, ipse locus ex Gratiano adscribendus est, quatenus nimirum ad præsens pertinet institutum. Ita autem ibi legitur inter alia: *Sicut ipse Christus est, qui baptizat, ita* (etiam) *ipse est, qui per Spiritum Sanctum hanc suam efficit carnem, & transit* (recentior Juris Canonici emendator observat, apud Paschasium legi, transfundit;) *Vinum in Sanguinem. Vndè & Sacerdos, Iube, inquit, hæc perferri per manus Angeli tui Sancti in sublime tuum Altare in conspectu Divinæ Majestatis tuæ.* (*ut quid perferenda deposcit in lucem, nisi ut intelligatur, quod ista fiant in Ejus Sacerdotio?*) *Hanc igitur oblationem benedictam, per quam nos benedicamur; adscriptam, per quam omnes in Cœlo adscribamur; ratam, per quam in visceribus Christi esse censeamur; rationabilem, per quam à bestiali sensu exuamur; acceptabilem, ut qui nobis ipsis displicuimus, per hanc acceptabiles unico Ejus filio simus* &c. Quia in posteriori hâc orationis parte aliquid deesse videtur, ideò dictus Emendator Gregorianus ex eodem Paschasio orationem integram sic exhibet: *Sed obsecrans Patrem per Filium, per quem ad Eum habemus accessum, rogamus, inquit, hanc oblationem benedictam* &c. *acceptabilemque facere dignetur,* (notat, aliàs legi, digneris) *quatenùs & nos per hoc, quod in nobis displicuimus, acceptabiles in unico Ejus filio simus.* Antiquus Glossator ad hanc Canonis orationem sequentia notat: *Videtur, quod oratio hæc sit superflua, quia hoc dicitur post verba, quorum virtute conficitur corpus Christi; & ita de eo, quod jam factum est, superflua est oratio.* Respondet autem, *Scriptura non attendit hujusmodi temporis angustias; sed Sacerdos, cum non possit omnia simul proferre, ita loquitur, ac si tempus staret, & essent adhuc facienda, quæ in principio Sermonis nondum erant facta.* Et: *verba non ad tempus suæ prolationis, sed per conceptionem vel per contemplationem loquentis sunt referenda. Vel intellige de corpore spirituali Ecclesiæ, ut per hoc Sacramentum adsocietur Ecclesiæ triumphanti; undè sequitur, ut quot indè sumserimus, gratiâ cœlesti repleamur.* Placuit hanc adscribere Glossam, quoniam ultima ejus verba ad vindicias pro Chemnitii objectione à Bellarmino quidem rejectâ, sed non refutatâ pertinere ostendetur proximè. Nunc ut Innocentia Chemnitii in eo præprimis demonstretur, quod Augustinum ex parte authorem fecit verborum à *Gratiano* laudatorum, eam ipse Bellarminus non obscurè insinuavit, *Gratianum hâc in re deceptum* agnoscens, quem si Chemnitius hic est secutus, innocenter id fecit, ex principio non proprio, ad cujus demonstrationem non tenebatur, sed ab adversariâ parte dudum recepto; neque etiam, quasi hæc verba à *Gratiano* laudata verè pro Augustini verbis haberet, aut eorum authoritate obligari vellet, sed quia corpori Juris

Canonici inserta vidit, cujus non parvum apud Papæos æstimium esse scivit, utrobique disputans ad hominem. *Adde* non solùm Glossatorem antiquum, sed & Emendatorem nuperum, utrumque suâ authoritate pollentem, præfixum à Gratiano nomen Augustini non sustuliſſe; & *Lombardum*, Sententiarum Magistrum, Gratiani è Sententiâ communi coætaneum, aliquam hujus Canonicis particulam expressè sub Augustini nomine Lectori commendâsse, in Editione Lovanienſi ante plus quàm centum annos publicatâ, (in cujus titulo promittitur, *quod mutatis Authorum citationibus nonnullis, quæ vel incertis, vel alienis antèà sedibus vagabantur, suis sint restitutæ locis,*) Sermone Augustini de *Corpore Christi* ad marginem notato, ex quo *Bedam* quoque non pauca in suos transcripsisse Commentarios, superius jam fuit observatum. *Accedit*, in editione operis *Paschasii*, Sexto Bibliothecæ Patrum *à Margarino dela Bigne* iteratò procuratæ Tomo inserti, ex quo præprimis *Gratianum* hoc Decretum exscripsisse urget Bellarminus, & quidem sub initium capitis quarti, itidem ad marginem legi nomen *Augustini*, non adscribendum, nisi Editor Bellarmino non ignotus hanc authoritatem ritè Augustino adscribi censuisset. Insuper, *Algerus*, ad quem citatus modò Emendator recens etiam intendit digitum, in Ejusdem argumenti opere, eidem Tomo Bibliothecæ Patrum inserto, multa ex iis, quæ *Gratianus* in hoc Canone habet, laudavit & expresse Augustino adscripsit, id non factum, nisi pro ejus Seculi, quo vixit, statu certus videri voluisset, pertinere hæc omninò ad Augustinum, quale quid suprà etiam in Controversiâ de *Communione sub unâ specie, an sub utraque*, de alio quodam Augustini testimonio ex *Algeri & Paschasii* citatione fuit observatum. Et hæc omnia cum *Chemnitio* ad hominem dicuntur, posito, esse ea Augustini verba, ut quidem *Gratianus*, *Lombardus*, & ante utrumque *Paschasius & Algerus*, post eos omnes autem Juris Canonici *Glossator* & Emendator putarunt; quos dum *Chemnitius*, tanquam Authores in Papatu magni æstimatos est secutus, ex his tanquam juxta Eorum Sententiam Augustini verbis contra Canonem Missæ disputans, nihil contra decorum Disputatoris ingenui fecit, cujus respectu posset de jure adcusari. Ad Bellarm. respõsiones ut nunc porrò etiam deveniamus, non ita in multis peccavis *Chemnitius*, testimonii hujus adductione, ut Bellarm. quidē est visũ, & probavit id omninò, quod se probaturum suscepit, nimirùm errores Canonis Missatici ostensurus; inter quos hic omni jure est recensitus, dum ex ipsâ Bellarmini confessione alium his verbis sensum Pontificii adscribunt, quàm eorum author vel authores, (ut & hic sequamur Bellarminum, qui raptodiam dixit esse hoc testimonium, ex variis authoribus collectam, in eo tamen laudatis suprà Scriptoribus contradicens, quod Augustino nullum planè locum inter eos voluit concedere.) *Præterea*, non falsus est ita apertè Chemnitius, ut iterum voluit Bellarminus, adscripta Augustino verba *de Eucharistiæ sumtione* intelligens; sed ipse Bellarminus fallit aut fallere conatur incautum Lectorem, Lutheranis imputans errorem, *in sola sumtione panem fieri Corpus*, Vinum fieri Sanguinem Christi, dum non solùm ipsa phrasis, Panem fieri Corpus, & Vinum fieri Sanguinem Christi, eis est inusitata, sed & nullus unquam eorum scripsit aut docuit, *in sola sumtione id fieri*, id est, si ad mentem sanam aliquâ ratione phrasis hæc esset reducenda, fieri unionem Corporis cum Pane & Sanguinis Christi cum Vino consecratis, cùm ex libris eorum Symbolis constet, requiri quidem ad Sacramentum Eucharistiæ sumtionem, sed non solam, nec quasi per eam solam fieret unio Sacramentalis, verùm cæteris actionibus ad Sacrum illud negotium ex Institutione Christi pertinentibus conjunctam. Et hanc omninò requiri quidem ad usum Sacramenti Eucharistiæ, laudatus paulò ante *Glossator* observavit, ad ea Canonis citati verba respiciens, *ut quot indè sumserimus, gratia cœlesti repleamur*, eaque intelligens *de corpore spirituali Ecclesiæ, ut per hoc Sacramentum adsocietur Ecclesiæ triumphanti*, quod per ipsam Sacramenti perceptionem fieri, quis prudens dubitabit? De sensu vocabuli *oblationis* in hoc testimonio occurrentis, quem *Chemnitius* Papæis adscripsit Doctoribus, non opus fuit ut Authores Eorumque Scripta citaret, cùm ipsa praxis quotidiana satis superque eum exhibeat, exque superioribus manifestum esse possit, ubi ostensum fuit, hoc *oblationis* vocabulum, ubicunque etiam legatur apud antiquos Scriptores, ad oblationem trahi Sacrificialem, atque hinc rationem Sacrificii propriè sic dicti huic Eucharistiæ Sacramento adscribi, ut adeò & hic à mendacio liber sit *Chemnitius*, quod mendaciter ei Bellarminus adfinxit. Quod ordinem verborum in quartâ orationis parte attinet, ex cujus observatione *Chemnitius* aliquod absurdum deduxit, eo ipso ostendens, sibi non probabile videri, verba hæc Augustinum agnoscere Patrem; etsi Bellarminus evadere se posse existimavit, si eum inverteret ordinem, probabilissimum tamen Ei fuit visum statuere, *litur-*

Lib. IV. distinct. 13.

L. I. c. 16.

giæ ordinem ab Authore illo, quem dixit rapsodum, *non fuisse observatum*, quem tamen sæpè dictus Glossator defendere & qualitercunque in ordinem redigere est conatus, nobis & hic ad hominem disputantibus, adque præsens Institutum contra Antiquitatis pariter & Unitatis jactatores glorioso notantibus, alium *Augustini, Paschasii, Algeri, Gratiani, Lombardi, Glossatoris* Seculo vel Seculis fuisse ordinem Liturgiæ Missaticæ, alium hodiè. En Unitatem ! En Antiquitatem ! Sed Missam faciamus tandem aliquando Missam, & Lectoribus studiosis dicamus, Ite, Missa est, vel fuit.

Controversiæ Generalis Quartæ DE SACRAMENTO POENITENTIAE, LIBRI PRIMI

CAPVT DECIMVM ET VNDECIMVM,

de Quæstione,

An Pœnitentia sit Sacramentum propriè sic dictum?

QUæ in antecedentibus circa depulsionem calumniarum & mendaciorum (quæ ex Luthero & Chemnitio aliisque numero satis magno collegit Bellarminus, ipse utplurimùm calumniator mendacissimus) occurrit Augustini hic & ibi mentio, quia in ipsâ Quæstionum controversarum tractatione recurrit, ad eas meritò etiam, ne eadem sæpius non sine fastidio Lectoris sint repetenda, reservatur, primùm hic occupante locum Controversiâ, *An Pœnitentia sit Sacramentum propriè sic dictum*, ex Augustini Sententiâ nimirùm, de quâ præsertim hic agitur? Ut id demonstret, post aliorum Ecclesiæ Doctorum tria Augustini testimonia producit, è quorum numero primum hoc est: *Annon cogitamus, cum ad periculorum pervenitur extrema, nec ulla est fugiendi potestas, quantus in Ecclesiâ fieri soleat ab utroque Sexu atque ab omni ætate concursus, aliis Baptismum flagitantibus, aliis reconciliationem, aliis etiam ipsius Pœnitentiæ actionem, omnibus consolationem & Sacramentorum confectionem & erogationem?* Et paulò post: *Si adsint Ministri, alii baptizantur, alii reconciliantur, nulli communione Corporis Dominici fraudantur.* Secundum: *Si ad hoc valet, quod dictum est in Evangelio, Deus peccatorem non audit, ut per peccatorem Sacramenta non celebrentur, quomodo exaudit homicidam deprecantem vel super Aquam Baptismi, vel super oleum, vel super Eucharistiam, vel super capita eorum, quibus imponitur manus.* Addit Bellarminus loco Glossæ, *ubi per manûs impositionem intelligit ordinationem & reconciliationem; nam pœnitentium reconciliationem vocari ab Augustino manûs impositionem*, multis probari posset testimoniis, sed in præsenti unum & alterum sufficiat. Eodem in libro ita scribit: *Manus redeunti ab hæresi propterea imponitur, ne extra omnem culpam fuisse videatur* &c. Et alibi, verba Psaltis, Qui sanat contritos corde, & alligat contritiones eorum, explicans inquit: *Quæ sunt ista alligamenta? Temporalia Sacramenta*, & exempla ponit Eucharistiæ, & impositionis manûs, quâ per Præpositum peccatores reconciliantur. *Tertium* Augustini testimonium esse vult, quo Eum apertissimè dicit *reconciliationem cum Baptismo conferre*, sub initium demonstrationis professus, *modis præcipuè duobus intelligi posse, quæ fuerit hâc de re Patrum, & ita etiam Augustini Sententia*, uno quidem, *cum vera enumerantes Sacramenta Pœnitentiam iis adjungunt?* altero autem, *cùm Pœnitentiam cum Baptismo conferunt ac docent, in utroque Sacramento Deum esse, qui potissimùm operatur.* Quia verò Bellarminus facilè potuit prævidere, hanc demonstrationem non fore omni ex parte liquidam omnibusque sufficientem, ideò de aliâ magis validâ & plus inferente fuit sollicitus, provocans ultimò ad testimonium Ecclesiæ Latinæ & Græcæ, quæ ab Annis quingentis floruit; *his enim in totâ, inquit, Ecclesiâ Sacramentum Pœnitentiæ inter Sacramenta verè ac propriè dicta numeratum esse, nullo*

Epist. 180. ad Honor.

Lib. V. de Bapt. c. 20

cap 23. in Psal. 146.

Lib. 1. de adult. conjug. c. ult. & lib. II. cap. 6.

nullo negari potest modo. Satis enim id constat tum ex Lombardo, quem omnes Theologi posteriores sunt secuti, tum ex decreto Lucii Papæ, & ex definitione generalium Conciliorum, Florentini & Tridentini, quibus Catholici omnes libenter parent, tum denique ex responsione Hieremiæ, Archi Episcopi Constantinopolitani ad Germanos, apertè docentis, Ecclesiam Græcam inter vera Sacramenta numerare Sacramentum Pœnitentiæ. Atqui melius & ad jactatæ Antiquitatis gloriam conducibilius fuisset, si Bellarminus ad quingentos ab Apostolorum ætate annos pro hujus Sacramenti propriè dicti denominatione potuisset provocare, plus nimirum valentes, quàm hos posteriores, id quod etiam prævidit, dum se non ignorare scripsit, *nihili eos fieri ab adversariis*, nec immeritò, dum quinque secularis hic terminus duplicem ante se habet numerum, quingentos videlicet Annos bis numeratos, id est, decem Secula, ex quibus nullum testem idoneum proferre potuit Bellarminus, Pœnitentiam inter Sacramenta propriè sic dicta referentem. Quæcunque enim vel ex aliis antiquioribus Ecclesiæ orthodoxæ Patribus, vel ex Augustino in specie laudavit testimonia, ut ostendat, *Pœnitentiam cæteris adjungi Sacramentis, & in specie cum Baptismo comparari*, eam Sacramenti propriè sic dicti denominationem non extorquent, quam Bellarminus hic intendit, quin eam Augustini & aliorum ante & post Eum Seculo incognitam fuisse, certius est, quàm ut dubitari possit de eo, secundum ea, quæ de Sacramenti nomine & numero supra fuerunt ex Augustino demonstrata. Et ut de citatis ex Augustino testimoniis ex abundanti aliquid dicatur, in *primo* certum est, Augustinum & reconciliationem & ipsius Pœnitentiæ actionem, quæ inter se tanquam duo diversa distinguit, posuisse quidem inter Baptismum & *Sacramentorum confectionem*; per hanc tamen non nisi *communionem corporis & sanguinis Dominici* intellexisse, quod ex proximè sequentibus verbis ab ipsomet Bellarmino laudatis est perspicuum & hinc ab utraque parte indubium. Quod verò *Pœnitentiam & reconciliationem* inter Baptismum & Eucharistiam posuit mediam, non aliâ id factum est de causâ, quàm cujus respectu hodienùm in libellis Evangelicorum Catecheticis, eodem ordine observato utplurimùm *de usu potestate & ministerio clavium* agitur post caput de Baptismo & ante caput de Eucharistiâ, quia post Baptismum peccantes ad Eucharistiam non nisi præviis Pœnitentiæ documentis admitti solent, etsi Pœnitentia pro Sacramento propriè & in rigore sic dicto non habeatur. In *secundo* autem testimonio, etsi Augustinus præter Baptismum & Eucharistiam, quæ pro Sacramentis propriè dictis agnoscunt Evangelici, mentionem quoque facit orationis Sacerdotalis *super oleum & super capita eorum, quibus imponitur manus*, & Bellarminus putat, per impositionem manûs intelligi *ordinationem & reconciliationem*, duobus aliis Augustini testimoniis demonstrare laborans, *pœnitentium reconciliationem vocari ab Eo manûs impositionem*, provocatione inprimis factâ ad illam oraculi Davidici explicationem, quâ Sanctus Pater ostendit, quid per alligamenta, quorum regius Psaltes meminit, debeat intelligi; nihil tamen illud efficere, ut Sacramentum propriè dictum esse dicatur Pœnitentia ex Augustini Sententiâ, ipsa augustissimi Doctoris verba docebunt, quæ sunt ibi sequentia: *Quid facit Medicus? Alligat contritiones tuas, ut tu possis pervenire ad plenissimam firmitatem, donec consolidetur quod fractum est, quod alligatum est. Quæ sunt ista alligamenta? Temporalia Sacramenta. Alligamenta medicinalia sunt contritionis nostræ, Sacramenta interim temporalia, quibus consolationem habemus, & ista omnia, quæ loquimur vobis, ipsa, quæ sonant & transeunt*, quicquid *in Ecclesiâ geritur temporaliter, alligamenta sunt contritionum. Quemadmodum enim Medicus perfectâ Sanitate detrahit ligaturam, sic in illâ civitate Ierusalem, cùm Angelis æquales fuerimus facti, numquid putatis, ibi nos accepturos esse, quod hic accipimus; aut ibi recitandum est nobis Evangelium, ut Fides nostra permaneat; aut imponenda est manus ab aliquo Præposito? Ista omnia alligamenta fracturæ sunt, sed perfectâ Sanitate detrahentur; verùm ad eam non perveniretur, nisi alligaretur.*

conf. Vindic. Anti Otton. part. II. pag. 329. seqq.

NB.

Notet hic Lector, Bellarminum in hujus testimonii citatione insufficienter partes ab Augustino exhibitas enumerâsse, ut eò melius nimirum illud suo adcommodare possit proposito, Pœnitentiam & quæ ad eam pertinere videntur peragendam, pro Sacramento propriè sic dicto, & actionibus verè Sacramentalibus ex Instituto venditaturus, sub manûs impositione videlicet, utpotè quam Augustinus inter temporalia Ecclesiæ Sacramenta retulerit: At non omittere vel omninò negligere debuit Bellarminus, in eo Augustini testimonio inter temporalia Ecclesiæ Sacramenta recenseri etiam in genere omnia, *quæcunque dicuntur in Ecclesia, quæ sonant & transeunt, imò quicquid in Ecclesiâ geritur temporaliter*; in specie autem & nominatim, *quando recitatur Evangelium, ut Fides permaneat*, quam Evangelii recitationem non de remissionis peccatorum adnuntiatione solenni

lenni tantùm, sed in genere de Evangelii prædicatione publicâ & omnibus communi intelligendam esse, ex antecedentibus proximè constat. Et ut de *secundo* adhuc aliquid dicatur testimonio, cujus authoritate Bellarminus Pœnitentiam pro Sacramento propriè sic dicto vult haberi, ad quem modum suprà est ostensum, mentionem olei vel unctionis inter actiones alias Sacramentales non facere aliquod peculiare Confirmationis Sacramentum à Baptismi Sacramento distinctum, ac infra etiam pari ratione demonstrabitur, non militare eam pro extremæ unctionis Sacramento speciali, si descriptio ejus circa agonizantis ad beatum ex hâc vitâ discessum præparationes occurrat; ita etiam non valet, ut, si manus impositio legitur inter actiones cæteras Sacramentales, vel aliquod Sacramentum Pœnitentiæ intelligatur, vel Sacramentum ordinis, cùm utraque actio sit quidem Sacra, non tamen propriè Sacramentalis, eo nimirum sensu, quo Baptismi & Eucharistiæ administratio Sacramentales dicuntur, ne quid de eo moneam, plura apud antiquos per impositionem manuum fuisse peracta, quæ Sacramentis propriè dictis adnumerata fuêre nunquam, neque etiam hodiè amplius in usu esse, manifestum est. In *tertio*, quod restat, Augustini testimonio nihil est, quod indubiam faciat consequentiam, cùm nihil planè cogat, ut, quia homo post acceptum Baptismi Sacramentum lapsus, amissam ex lapsu Gratiam Dei, in quam fuerat receptus, per medicinam Pœnitentiæ recuperat, inque pristinum Gratiæ statum redit, Pœnitentia æquè ac Baptismus Sacramentum in proprio significatu dici & haberi debeat, cùm infinitis ea res instantiis sit exposita, consequentiæ nexum omninò dissolvens, ac nullitatem ejus ostendens.

Nunc quia in demonstratione Sacramenti Pœnitentiæ ex Augustino Bellarminum succubuisse vidimus, videamus porrò, quid ad ea responderit, quæ ex eodem Augustino contra hanc denominationem fuêre proposita. Agit autem & contra Calvinum & contra *Chemnitium*. Et de Calvino dicit, objicere Eum ex Augustino tale testimonium, quo Sacramenta esse visibilia debere scripsit verbis sequentibus: *Quid tale aut ipsi vident, aut aliis queunt ostendere in eo, quod Sacramentum Pœnitentiæ vocant?* Respondet autem, *Non desunt multa visibilia Signa in Pœnitentiæ Sacramento, sive Sacerdotem ad-spicias imponentem manus, sive pœnitentem ad genua Sacerdotis abjectum & lacrymas fundentem. Sed quia hæc plerumque ita conspiciuntur, ut tamen etiam absque iis Pœnitentiæ Sacram. esse possit,* BREVITER RESPONDEO, *visibile signum, idque à Deo institutum, esse tùm Confessionem, tùm Absolut.* August. *enim visibile vocat signum, quod aliquo sensu externo percipitur, etiamsi is non sit sensus videndi, sed audiendi. Nam, ut idem Augustinus alibi ait, rectè dicimus,* Vide quid sapiat, vide quid oleat, vide quid sonet, vide quam durum sit. *Et certè in Sacramentis visibile signum non ei opponit Augustinus rei, quæ non oculis cernitur, sed quæ solâ mente, nullo autem corporali sensu adprehenditur; sic enim ait in Sermone ad Infantes, quem Calvinus citat:* Sacramentum ideò dicitur, quia aliud videtur, aliud intelligitur. Quod videtur, speciem habet corporalem, quod intelligitur, fructum habet spiritualem. *Vbi vides, opponi corporale spirituali, & quod sensu percipitur, ei quod intelligentiâ adprehenditur. Corporale igitur verbum rectè signum visibile, id est, sensibile atque externum dicitur.* Ad hæc etiam pertinet, quod ad primam Chemnitii objectionem contra Pœnitentiam, quatenus Sacramentum in proprio significatu dicitur, Bellarminus respondit. Objecit Chemnitius, *externum huic Sacramento Elementum deesse. Ex divina enim,* inquit, *Institutione non habet tale externum & materiale elementum, quale est in Baptismo & in Eucharistiâ, quod ad integram definitionem & genuinam Sacramenti proprietatem pertinet.* Respondit post alia Bellarminus: *Vera ratio similitudinis inter externa Baptismi & cæterorum Sacramentorum Symbola à fine est sumenda, ob quem instituta constat esse Sacramenta. Finem autem tum Baptismi, tum aliorum Sacramentorum omnes admittunt esse, internam significare Iustificationem, & hoc modo hominem, qui corpore & spiritu constat, per sensibilia & corporalia Symbola ad rerum intelligibilium & spiritualium cognitionem evehere; hinc enim signa, Symbola & Sacramenta dicuntur. Nam, ut Augustinus loquitur,* si Sacramenta similitudinem non gererent earum rerum, quarum sunt Sacramenta, non essent Sacramenta. *Quem ad modum igitur in Baptismo exterior ablutio per Aquam exhibetur, ut ablutio interior per Spiritum significetur; sic etiam in Eucharistiâ Panis & Vinum, seu potius Panis vinique species in conspectu ponuntur, ut Corpus & Sanguis Domini intelligantur esse cibus & potus animorum, & ad eundem modum in cæteris Sacramentis id solùm necessariò natura Sacramenti postulat, ut externa ad spiritualem effectum aptè repræsentandum exhibeantur Signa. Vtrum verò signa hæc ad prædicamentum substantiæ, an ad prædicamenta accidentium pertineant, & utrum oculis, an auribus percipiantur, nihil interest, neque Christus de prædicamentis voluit nos esse*

Serm. de Bapt. ad Infant. & Lib. III. Quæst. V. T.

Lib. 10. Confess. cap. 35.

in Epist. ad Bonif.

esse sollicitos, neque facilius Ipse per Substantiam, quàm per accidentia homines justificat. Quare in Sacramento Pœnitentiæ, in quo pro Symbolo externo confessionem pœnitentis & absolutionem voce corporali à Sacerdote pronuntiatam habemus, vera & propria Sacramenti ratio minimè desideratur; verba enim non solùm signa externa ac sensibilia, sed etiam in genere signorum præstantissima sunt, Augustino docente. Quod verò idem Augustinus alibi distinguit elementum à verbo, cùm ait: Accedit verbum ad elementum, & fit Sacramentum; *non debet ad omnia trahi Sacramenta, neque enim de Sacramentis generatim, sed de Baptismo tantùm loquebatur Augustinus, ut ex illis intelligimus verbis:* Detrahe verbum, quid est Aqua, nisi aqua? *Alioqui enim & verba loco Elementi seu rei, & res loco verborum esse posse, de Sacramentis in genere agentes demonstravimus.* Hæc omnia contra Calvinum & *Chemnitium* satis prolixè Bellarminus, in quorum Examine quoad Augustini authoritatem à Calvino commendatam, non tam quis dixerit vel scripserit, sed quid dictum sit vel scriptum, attendemus, Augustinum magis, quàm Calvinum defendentes, ac Illius ex Instituto, non hujus causam acturi. Ut autem Bellarmini in respondendo methodus inordinata Lectori eò manifestior evadat, notandum est *primò*, Eum sibimetipsi hic iterùm contradicere & scribere. Objecit Calvinus, Augustinum scripsisse, *Sacramenta esse visibilia dicere & scribere.* Agnovit Bellarminus, vere id dictum & scriptum esse, conatus ostendere *in Pœnitentiæ Sacramento multa* (rectius, aliqua) *visibilia & in Pœnitente & in absolvente signa*, in illo quidem præprimis *genuflexionem*, in hoc autem *manus impositionem*; & tamen in proximè sequentibus subjunxit ea plerumque ita conspici, *ut etiam absque iis Sacramentum Pœnitentiæ esse possit*, quo ipso priora apertissimè destruxit, & quæ una concessit manu, altera iterùm abstulit. Notandum *secundò*, Bellarminum mutare contra mentem Augustini objecta sensuum, & quæ ad Auditum pertinent, visui adscribere, quod non sine insigni absurditate fieri, nemo prima Scientiæ naturalis principia doctus ignorat. Contra mentem Augustini, inquàm; cui injuria fit, cùm Bellarminus de Eo scribit, *quod visibile Signum vocet omne aliquo Sensu externo perceptibile, etiamsi is non sit sensus videndi, sed audiendi.* Doctor enim augustissimus tam absurdus non fuit, ut Sensus ita inter se confunderet, ac audibilia pro visibilibus venditaret, cœcis hâc ratione visū restituens, ipse nō oculatus. Etsi enim in testimonio, quo Bellarm. ad absurditatē hanc aliquatenùs palliandam est usus, verbū *vide* ad cæteros etiā sensus externos adhibuit Sanctus Pater, longe tamen aliud est, verbum hoc nonnunquam dilatari ad objecta reliquis Sensibus perceptibilia, ut ad instar *Ecce* significationem interjectionis sustineat; aliud verò, res adspectabiles, materiam visibilem, rem oculis subjectam idem significare, quod verbum audibile, cujusmodi exemplum nec ex Augustino, nec ex aliis scriptoribus probatis poterit adduci. Nimirum videndi vox metaphorice quandoque accipitur pro cognitione, sed eam hoc loco proprie accipiendam esse pro sensu oculorum, analogia reliquorum Sacramentorum manifestè comprobat, de quâ ipse Bellarminus hoc ipso in loco ad primam Chemnitii objectionem ingenue satis agnovit, *non malè ex Baptismo & Eucharistiâ, quæ omnium consensu vera sunt Sacramenta, naturam ac proprietatem Sacramentorum in genere investiganda censeri*; tassus etiam *in omni Sacramento externum requiri Elementum, illi simile, quod* (vel quale) *in Baptismo & Eucharistiâ adesse cernimus.* Hinc male pro se laudavit sequentia Augustini verba: *Sacramentum ideo dicitur, quia aliud videtur, aliud intelligitur; quod videtur, speciem habet corporalem, quod intelligitur, fructum habet spiritualem.* Potius contra Bellarminum hæc sunt, utpote in quibus, dum objecto visūs species adscribitur corporalis, Augustinum non nisi de sensu oculorum proprie locutum fuisse, certò certius, imò certissimum est; nec quidquam valere potest in contrarium perversissima & absurdissima Bellarmini glossa, quasi Doctor Sanctus id, *quod Sensu etiam quocunque percipitur, ei, quod intelligentiâ adprehenditur, opposuerit*, & hinc corporale verbum rectè signum visibile, id est, sensibile atque externum dici; cùm duabus vicibus expresse atque tantùm sensus videndi facta fuerit mentio, nulla autem plane corporalis verbi tanquam Signi visibilis, neque etiam ex instituto fieri potuerit, augustissimo Patre intellectum hominis, facultatem animæ ejus primariam, non sensibus externis in communi, sed sensui visus tantum in specie hic opponente, idque eum in finem, ne videlicet homines Sacramentis à Deo institutis ad Fidei robur & Confirmationem utentes, sensu oculorum in externis tantùm hæreant, etsi Divinitus ad id negotium ordinatis, & sine quibus Sacramenta non essent Sacramenta, sed ut intellectu suo etiam latentia sub his visibilibus Signis & elementis bona ad percipiendum ex iis spiritualem fructum adprehendant, ac thesauro ibidem abscondito potiantur. Notandum est autem *tertiò*, Bellarmi-

num

Lib. II. de Doctr. Christ. cap. 3. Tract. 80. in Joh.

Vid. D. Gerh. LL. Tom. III. P. m. 476.

num in responso ad objectionem *Chemnitii* insuper etiam confundere causam Sacramentorum finalem cum materiali, dum veram similitudinis inter externa Baptismi & cæterorum Sacramentorum Symbola rationem à fine sumi debere contendit, ad analogiam Sacramentalem respiciens. Quamvis enim Evangelici eam non omninò tollant, sed sano sensu facilè aliquem habere patiantur locum, non tamen sequitur, id quod Bellarminus hic vult, *veram similitudinis inter externa Sacramentorum Symbola rationem à fine sumendam esse*, quia hic primariò ad voluntatem Institutoris Domini respiciendum est, qui sicut tanquam agens liberrimum absque hâc analogiâ Sacramentis externa quædâ signa & Symbola potuisset destinare, ita dum Pœnitentiæ, quæ in verâ cordis contritione & fiduciali Promissionum Evangelicarum adprehensione consistit, nullum tale Signum vel Symbolum adtribuit, eâ etiam sub Elogio Pœnitentiæ habendâ, quam Bellarminus in Controversiæ hujus statu formando sub nomine *virtutis non exiguæ* commendat, eam *mentis conversionem ad Deum* vocans, *necessariam semper ad reconciliationem*, non est, ut à finis consideratione ejusque respectu nobismetipsis sine digito Dei signa vel Symbola formemus vel fingamus, eisque rationem causæ materialis adscribamus, & hinc Sacramentorum numerum præter debitum augeamus, cùm in hoc negotio Sacramentali nobis non nisi ex nutu & voluntate Ejus, cujus solùm est Sacramenta instituere, materiamque & formam eorum præscribere, sit vivendum; & quod ad hominem disputantibus hic negligendum non est, de ipsâ hujus Sacramenti, ut volunt, Pœnitentiæ materiâ & formâ, id est, Signo visibili externo ac ejus adplicatione, nondum inter ipsos Sacramentifices Papæos omninò conveniat, non parùm inter se differentes, Confessione *Gerhardi* Catholicâ hunc dissensum satis copiosè Lectori studioso ob oculos ponente. Nunc *quartò* super adhuc est notandum, Bellarminum in responsione ad objectum Augustini de necessitate Elementi in actione Sacramentali testimonium, ejus sensum justo amplius restringere, & ad solum Baptismi Sacramentum adplicare, quod de Sacramentis in genere dictum est. Præter ea enim, quæ suprà de *Verbo Sacramenti* dicta sunt, ex quibus manifestissimè patet, ad Verbum Sacramenti id est, signum audibile, requiri insuper externum aliquod Elementum, id est, signum visibile, illud in aures, ut ita dicam vel scribam, hoc verò in oculos incurrens; illud præprimis hic notandum, si hæc Augustini verba, *accedit verbum ad Elementum, & fit Sacramentum*, juxta sensum Bellarmini deberent intelligi & explicari, quod post *Gerhardum* etiam *Hülsemannus* noster observavit, idem esset, ac si Augustinus scripsisset, *Accedat verbum ad verbum, & fit Sacramentum.* Ut non prolixè urgeam, quamvis ibi in specie de Sacramento Baptismi egerit Augustinus, hæc tamen verba de Sacramentis in genere dicta esse, utpotè quorum respectu Sanctus Doctor alibi Sacramenta esse dixit *visibilia invisibilis Gratiæ Signa vel signacula*, de quo itidem suprà in Quæstione de *sacramentorum fine sigillari* fuit dictum.

in Anti. Hag. Disput. 10. p. m. 371.

CAPVT DVODECIMVM & seqq.

de Quæstione,

An Sacramentum Pœnitentiæ à Sacramento Baptismi sit diversum?

VIderi posset hæc Quæstio inter Evangelicos & Papistas minimè controversa, nisi eam occasione Canonis Tridentini fecisset de novo controversam Bellarminus, adcusans Lutherum tanquam inventorem novi dogmatis, *Baptismum dici posse ac esse Sacramentum Pœnitentiæ, atque lapsos post Baptismum reconciliari per Baptismum memoriâ repetitum.* Actum est de hâc Controversia in tractatione de *Effectu Baptismi*, & ostensum, Doctores Papæos, sicut ex una parte in excessu peccantes Baptismo adscribunt vim justo majorem, quasi in eo omnis culpa & pœna verè & omnimodè tollatur, ita ex altera parte peccantes in defectu eidem adscribere vim justo minorem, dum delere in eo docent tantùm peccata Baptismum antecedentia, nullo ad consequentia habito respectu. Nunc breviter vindicanda est Veritas Evangelica, ac Lutherus ab eo liberandus errore, quem Tridentinus Canon, & ejus ductu Bellarminus ei per insignem injuriam impegit, quasi Baptismum & Pœnitentiam pro uno eodemque habuerit, interque se diversa turpiter confuderit. Id autem melius iterùm fieri non potest, quàm si ipsum audiamus Lutherum, optimũ suæ

mentis interpretem, qui in libro de *Captivitate Babylonicâ*, ubi de Baptismi Sacramento
Tom. II. Jen. Lat. pag. 270. egit, sequentia Lectori observanda proposuit: *Vbi virtutem Baptismi in parvulis non potuit Sathan extinguere, prævaluit tamen, ut in omnibus adultis extingueret, ut jam ferè nemo sit, qui se baptizatum recordetur, nedum glorietur, tot aliis repertis viis remittendorum peccatorum & in Cœlum veniendi. Præbuit occasionem his opinionibus verbum illud periculosum D. Hieronymi, sive malè positum, sive malè intellectum, quo Pœnitentiam adpellat secundam post naufragium tabulam, quasi Baptismus non sit pœnitentia. Hinc enim, ubi in peccatum lapsi fuerunt, de primâ nave seu tabulâ velut amissâ desperantes, secundæ tantum incipiunt niti & fidere, id est, Pœnitentiæ. Hinc nata sunt votorum, religionum, operum, Satisfactionum, peregrinationum, Indulgentiarum, sectarum infinita illa onera, & de iis maria illa librorum, quæstionum, opinionum, Traditionum humanarum, quas totus Mundus jam non capit, ut incomparabiliter pejus habeat Ecclesiam Dei ea tyrannis, quàm unquam habuit Synagogã aut ullam nationẽ sub Cælo.* Et post aliqua: *Vides, quàm periculosum, imò falsum sit, opinari, Pœnitent. esse secundã tabulam post naufragiũ, & quàm pernitiosus sit error, putare, per peccatum excidisse vim Baptismi, & navem hanc esse illi sam. Manet illa una, solida & invicta navis, nec unquam dissolvitur in ullas tabulas, in quâ omnes vehũtur, qui ad portũ salutis vehuntur, quæ est veritas Dei in Sacramentis promittens. Hoc sanè fit, ut multi è nave in Mare prosiliant temerè & pereant. Hi sunt, qui desertâ promissionis fide in peccata sese præcipitant. Verùm navis ipsa permanet, & transit integra cursu suo. Quod si quagratia ad navem reverti potest, nulla tabula, sed solida nave ipsa feretur ad vitam.* Hic est, *qui ad promissionem Dei stabilem & manentem revertitur per Fidem.* Et tandem in fine totius operis: *Propriè ea vocari Sacramenta visum est, quæ annexis promissa sunt Signis. Cætera quia Signis non sunt alligata, nuda sunt promissa. Quo fit, ut si rigide velimus loqui, duo tantum sint in Ecclesiâ Dei Sacramenta, Baptismus & Panis, cùm in his solis & institutum Divinitus signum, & promissionem remissionis peccatorum habeamus. Nam Pœnitentiæ sacramentum, quod his duobus accensui, Signo visibili & Divinitus instituto caret, & aliud non esse dixi, quàm viam ac reditum ad Baptismum.* p. 271. b.

Hæc omnia ibidem Megalander, quorum aliquam partem Bellarminus etiam exscripsit, exque iis mentem per omnia sanam & orthodoxam satis percipere potuisset, nisi peregrinam & absurdam adfingere maluisset, Lutherum insuper alicujus inconstantiæ arguens, quod à principio libri tria, in fine autem, ob defectum Signi visibilis à Deo instituti in Pœnitentiâ, duo tantum statuerit Sacramenta, quam tamen inconstantiam ipse Lutherus amoliri studuit per apertissimam distinctionem inter Sacramenta propriè & latiori significatione sic dicta, de quâ distinctione etiam suprà in loco dictum est ex Augustino. Nunc quoad præsentem, de quâ hic in specie sermo est, Controversiam, etiamsi Lutherus in primâ verborum parte à Bellarmino etiam descriptâ Baptismum dixerit esse Pœnitentiam, eo nimirum sensu, quo antehàc vidimus Baptismum ab Augustino etiam fuisse dictum Fidei Sacramentum; sicut tamen malè quis ex hâc Augustini doctrinâ, imò contra Augustini mentem concluderet, ipsam Fidem quoque dici debere Sacramentum, & Fidem atque Baptismum esse rem, unam eandemque; ita non meliori consequentiâ Bellarminus ex his Lutheri verbis argumentatur, Eum pro uno eodemque Sacramento Baptismum & Pœnitentiam habuisse, quæ tamen duo Lutherus apertissimè distinxit, Pœnitentiam esse dicens *viam ac reditum ad Baptismum*, & per Fidem, præcipuam Pœnitentiæ partem, ad promissionem DEI in Baptismi Sacramento exhibitam reverti scribens, quo nihil manifestius ad præsens Institutum dici aut scribi potuit, utut Lutherus ob id, tanquam novum errorem, ut Bellarminus monet, à Synodo Tridentinâ non-nisi dignum anathema reportârit, *Chemnitio* mysterium Iniquitatis ad illud caput & Canonem, quibus de hâc Quæstione Patres ibidem conscripti egerunt, verbis sequentibus revelante: *Si hoc tantum dicere* voluissent Patres Tridentini, Pœnitentiam

Exam. Trid. Cõc. Tom. II. p. m. 213.

„ aliquid aliud esse, quàm Baptismum, & eos, qui post Baptismum sunt lapsi, si convertantur, non repetito abluendos Baptismo, sed per Pœnitentiam Deo esse reconciliandos, non sanè tam prolixo opus fuisset capitulo, nec tam operoso anathemate. „ Sed longè aliud est, quod ipsis prolixum hoc expressit capitulum. Sentiunt enim ac „ docent, per peccata, quæ post Baptismum committuntur, ipsam virtutem, efficaciam & gratiam Fœderis illius, quod in Baptismo Deus nobiscum init, prorsus amitti & irritum fieri, ita ut in verâ Pœnitentiâ fides ad gratiam Baptismi nullo unquam „ tempore & modo possit reverti, sed jam circumspicienda sit alia tabula, nostræ videlicet

»cet operationis in Contritione, confessione & Satisfactione, cujus virtute ex peccatorum undis enatemus, & ad Salutis portum vehamur. Quia igitur hoc modo efficacia & usus Baptismi tantùm ad unicum illud momentum, quando baptizamur, restringitur, & alia ratio reconciliationis cum Deo & remissionis peccatorum proponitur, diversa ab ea, quæ Fidei in gratuita Evangelii promissione propter Christi meritum obfertur & in Baptismo obsignatur; nostri fallam hanc opinionem reprehenderunt, & ex Verbo Dei ostenderunt, nos per Baptismum in participationem promissionis Evangelii & in communionem meritorum Christi fœdere perpetuo ita adsumi, ut in eo vel perseveremus, vel si per peccata indè excidamus, ut per Pœnitentiam fide ad Fœdus in Baptismo nobis obsignatum redeamus. Ut ita Pœnitentia non sit nova ratio promerendæ remissionis peccatorum per opera nostra, sed reditus tantùm ad gratuitam promissionem remissionis peccatorum propter Satisfactionem Christi Mediatoris, quæ in Baptismo donata nobis est & obsignata, ita ut ad eam habeamus reditum post quemcunque lapsum, non septies, *sed septuagies septies*. Præmitti hæc ex Luthero & Chemnitio, ad quorum utrumque ipse Bellarminus provocavit, necessariò debuerunt, ut statu Controversiæ cognito de Bellarmini methodo agendi eò melius Lectori constet, ac manifestum fiat, quid de Quæstione hâc statuendum sit. Et quem ad modum ex his patet, falsò imputari Luthero & Ejus discipulis, quasi Baptismum & Pœnitentiam pro uno eodemque Sacramento haberent, libris Symbolicis & Institutionibus Catecheticis contrarium planè testantibus, dum de Baptismo & Pœnitentiâ sub diversis agitur titulis & distinctis inter se capitulis; ita ne Bellarminus tamen hic etiam aliquid obtinuisse videatur, non præter rem erit, quæ ad suæ opinionis veritatem contra Sententiam Evangelicorum, utut minus sincerè propositam, ex Augustino præprimis adduxit, sub breve Examen vocare, atque ostendere, augustum Doctorem hic etiam à partibus Evangelicorum stare, testem videlicet Evangelicæ Veritatis perpetuum.

conf. Hutter. LL. Theol. pap. 754. & seqq.

Dupliciter autem ad suas partes Sanctum Patrem trahere conatur Bellarminus. Primùm ubi Tridentinæ Synodi Sententiam è Scripturæ testimoniis demonstrare satagit, inter quæ tertium numero & ordine ex authoritate Pauli Apostoli hoc est: *Impossibile est, eos, qui semel sunt illuminati, gustaverunt etiam cœleste Donum, & participes facti sunt Spiritûs Sancti, & prolapsi sunt, rursùs renovari ad Pœnitentiam, rursùs crucifigentes sibimetipsis Filium DEI & ostentui habentes.* Ad hunc locum ita scribit Bellarminus: *Non negat Apostolus, posse lapsos post Baptismum Deo per Ecclesiam reconciliari, ut falsò Novatianos sensisse nostri etiam adversarii concedunt; quomodo enim Paulus negaret, lapsos post Baptismum reconciliari posse, qui Corinthium post Baptismum gravissimo scelere inquinatum reconciliari permisit; Sed negat, renovari posse per Baptismum, sic enim hunc locum intelligunt* Chrysostomus, Theodoretus, Oecumenius, Theophylactus, Ambrosius. *Idem apertissimè etiam docet* Augustinus, in Expositione Epistolæ ad Romanos inchoatâ propè finem, *ubi notat*, eos, qui post Baptismum labuntur, curari posse per Pœnitentiam, non autem renovari, quod proprium sit Baptismi. *Idem habet etiam Author libri de* verâ & falsâ Pœnitentiâ, qui habetur in quarto operum Augustini Tomo. *Deindè loci circumstantiæ vix patiuntur accipi aliter verba Apostoli. Nam initio capitis monet Apostolus Ebræos, ut non respiciant iterum ad primordia Baptismi, & Fidei, & Pœnitentiæ, quæ Baptismum præcedit, estque velut fundamentum ædificii spiritualis, inquiens*: Quapropter intermittentes inchoationis Christi sermonem, ad perfectionem feramur, non rursùs jacientes fundamentum Pœnitentiæ ab operibus mortuis, & Fidei in Deum, Baptismatum doctrinæ, impositionis quoq; manuum, ac resurrectionis mortuorum & Judicii extremi. *De quibus Pauli verbis loquens Augustinus inquit*: Hæc omnia pertinere ad initia Neophytorum, satis aperteq; Scriptura testatur. *Reddit autem in sequentibus verbis rationem Apostolus, cur non oporteat ad illa respicere primordia, cùm ait*, Impossibile est enim &c. *ac si apertius diceret, quia non contingit, nisi semel, ea renovatio, quæ habetur per Baptismum. Describi verò Baptismum per Illuminationem, dubitari non potest; indè enim omnes Veterum, ac maximè Græci Patres, baptizari dicunt illuminari, & Baptismum adpellant Luminis Sacramentum.* Deinde, ubi Bellarminus ex traditione Veterum hanc Tridentinæ Synodi doctrinam contra Evangelicos demonstrare ulterius laboravit, tribus iterùm Augustini usus est testimoniis, ex quorum numero primum hoc est: *Si infans post Baptismum propria incipiat habere peccata, illa non regeneratione auferuntur, sed aliâ curatione sanantur.* Secundum: *Si factum est à Catechumeno homicidium, Ba-*

Ebr. 6.

cap. III.

de Fide & oper. c. 8.

Epist. ad Bonif. lib. II. de adult. Cõjug. cap. 16.

Homil. 50 ex lib. 50. Homil. *Baptismate abluitur; si à baptizato, Pœnitentiâ & reconciliatione sanatur.* In tertio distingue- re dicit Augustinum tres Pœnitentiæ actiones, *unam* ante Baptismum, *alteram* quotidia- nam atq; perpetuã pro venialibus peccatis, pro quibus adsidue dicimus ad Deũ, dimitte nobis debita nostra &c. *tertiam* pro lethalibus peccatis, quæ post Baptismum commit- tuntur, ac de tertia ista sic loqui Augustinum dicit: *In hâc Pœnitentiâ majorem in se quis- que exercere debet severitatem, ut à seipso judicatus non judicetur à Deo.* Ad utrumque ex Augustini authoritate argumentum Bellarmini ut in gratiam Lectoris Studiosi aliquid dicatur, de Oraculo inprimis Paulino notandum est, impertinenter illud à Bellarmino laudari, sive laudatissimorum quorundam ex recentioribus Interpretum, sive ipsius Bel- larmini, sive etiam Augustini de Eo Sententiam attendamus. Præmittere hic autem placet *Guillaudi*, Theologi Seculo antecedente Parisiensis celeberrimi, ad hoc testimo- nium Apostoli collationem, præsenti Instituto aptissimam, ita scribentis: *Hic locus à qui- busdam intelligitur de peccato ad mortem, seu de blasphemia in Spiritum Sanctum, quam non remittendam dixit Christus, neque in hoc seculo, neque in futuro. Quæris, quod est illud peccatum seu blasphemia? Est, quando aperta Dei Veritas videtur, ita ut victus sis apud temet- ipsum in tuo corde & conscientiâ, quod res ita habet, & aliter esse nequit, & tamen impiè audes dicere & contra contendere, hoc non esse verum, non esse à Deo, esse perversum, esse à Diabolo; qua horrendâ blasphemiâ non vereris gladium Domini contra te stantem, quasi etiam tibi im- purè liceat voluntariè contra Deum pugnare. Hæc ex Marci tertio capite vides, ubi mani- festum opus Dei contra Conscientiam tribuebant ipsi Beelzebub* Scribæ & Pharisæi. *Vnde post- quam Evangelista scripsit verba Christi,* Qui blasphemaverit in Spiritum S. non habebit remissionem in æternum, *addidit*, quoniam dicebant, Spiritum immundum habet. *Quod si Christus hæc dixit de illis, qui impii erant, & Veritatem suscipere nolebant, sed manifestam, ita ut negari non posset, impugnabant; quid accusamus hunc Authorem nostrum, quod illos con- demnat, qui verbis non externis, aut externis solùm Miraculis, sed intus in corde illuminati gustaverunt donum cœleste, accepto Spiritu Sancto, gustaveruntque bonum Dei Verbum ac vir- tutes & efficaciam Regni Dei, & tamen ab his omnibus retrò labuntur, & blasphemant gratiam tanto Spiritus testimonio agnitam, id quod infrà capite decimo voluntariè vocat peccare? Im- possibile est certè, id est, valdè difficile, hos renovari ad Pœnitentiam, quia penè à Deo deseru- tur.* Etsi autem in proximè sequentibus statuat eruditissimus Collator, à *Cyrillo* & aliis Doctoribus Sacris, hunc locum de Baptismo intelligentibus, non esse abeundum, non tamen priorem Sententiam abolevit, insinuans potius eomet ipso, utramque Sententi- am & de blasphemiâ in Spiritum Sanctum, & de Baptismo, id est, Pœnitentiâ & renova- tione Baptismali, posse simul stare, sibique invicem subordinari; quarum neutra tamen Bellarmini inservit proposito, dum blasphemia in Spiritum Sanctum, quia irremissibilis, ad Pœnitentiam non pertinet, & Pœnitentia Baptismalis, de quâ Paulus ex Sententiâ etiam Bellarmini agit, alia sit ab ea, de qua Bellarminus disputat. Post *Cajetanum* & *Gagnæum*, notissimos Epistolarum Apostolicarum Tractatores, quamvis etiam *Catharti- nus* de se fateatur, sibi quoque hunc de Baptismo vel Pœnitentiâ & renovatione Bapti- smali sensum aliquando placuisse, sed attentius hanc admirandam Sententiam Apostoli considerantem, priorem sensum minimè quidem reprobare, censere tamen, alium esse germanum & Apostolicâ Doctrinâ dignum, superiorem quoque includentem, quem se- quentibus exhibet verbis: *Apostolus hortatur Ebræos, qui debuerant exactius propter le- gem profecisse, & jam de pueritiâ propter plenitudinem temporis exiisse, ut ad perfectionem per- ducerentur, si modo Deus permiserit. Contestatur autem eis, quod si illi, qui semel venerunt ad Christum, & usque adeò profecerunt in Evangelio, ut de Veritate illuminati gustaverint illud Gratiæ & Charitatis Dei cœleste donum, & per hoc participes facti sunt Spiritûs Sancti, qui Deus est & Charitas, cujus donum illud est quædam participatio, & gustaverunt jam bonum DEI Verbum, quod est promissio futurorum Bonorum, & virtutes sive po- tentias Seculi futuri, quoniam acceperunt hic arrham futuræ Gloriæ in futuro Seculo manifestandæ; si, inquam, tales posteà fuerint prolapsi, id est, ab his donis de- ciderint, ita ut Fidem etiam amiserint, (sic hoc in loco prolapsionem intelligo,) impossibile est eos renovari ad Pœnitentiam, id est, redire talem hominem ad prio- rem Satum ac dispositionem, in quo erat prius, & in quo invenitur homo rudis & no- vus, qui primordiis eget illius Sermonis, qui de resipiscentiâ tractat. Nam qui in hoc est sta- tu, docilis est Deo, & ad Pœnitentiam atque Fidem duci potest; at postquam inde ventum est in hæc dona Spiritûs, & ab his donis jam ingressus homo in Christum, relapsus autem & pra- varicator inventus in Illo, non amplius in eum redit statum, in quo inveniebatur, quando nihil de*

de Christo cognoverat. Quocirca simpliciter verum fit, impossibile esse, hunc hominem renovari ad Pœnitentiam, scilicet, ut perindè sit, ac si rudis & novus omninò esset, & ita docilis Deo. Hæc Ille, in omnibus cum Sententiâ *à Guillaudo* recitata conveniens, hoc solùm excepto, quod cùm ad literam *Catharinus* cum Paulo talis Apostatæ & blasphematoris renovationem statuat impossibilem, in eâ hæc impossibilitas mutetur in difficultatem, quamvis summam & non facilè superabilem. Utut autem neuter horum in explicatione Sententiæ de Baptismo, sive Pœnitentiâ Baptismali vel Baptismi repetitione expressam Augustini faciat mentionem, nisi quod *Guillaudus* præter Cyrillum ad alios etiam Doctores Sacros provocavit, *Augustinum* sine dubio simul intelligens: apertius tamen id indicavit *Esthius*, omnes Græcos Commendatores pro hâc Sententiâ laudans, & Latinorum maximam partem, Ambrosium inprimis & *Augustinum*, quam gravissimis quoque ex ipso contextu rationibus, & proprietate verborum Apostoli scripsit confirmari, non tamen sine alicujus dubii scrupulo, quem indicavit quidem, an verò etiam exemerit, Lectoris esto judicium. Ita autem de eo: *Quorsum Apostolus* tam sollicitè doceret Ebræos, non posse semel baptizatos iterùm baptizari, cùm nulla testetur Historia, aliquos fuisse Apostolorum tempore, qui Sacramentum Baptismi semel acceptum repeterent, aut repetendum esse docerent? Deindè, nec facile cuiquam erat, hoc Sacramentum, sicut ab Ecclesiâ administrabatur, iterùm suscipere; non enim sic in promtu erat Baptisma Christianum, sicut suæ Judæis Baptismata, quæ sibimet ipsis adhibebant, quoties immunditiâ contraxissent, sed solemnibus ceremoniis & statutis temporibus, nec nisi per Ecclesiæ ministros ea res agebatur. Quod ergò dicunt Patres, (*interque eos Augustinus*) Apostolum hic loqui de Baptismo non repetendo, id non tam de Baptismi ceremonia, quàm de ejus effectu convenit intelligendum. Effectum dico, non characterem, sed eum, qui peccando amittitur, id est, Gratiam regenerationis ac renovationis; non quod amissa semel gratia recuperari non possit, sed quia nullum Deus instituit remedium, quo amissa tam facilè recuperetur Gratia, videlicet per modum regenerationis ac renovationis, quàm fuerat per Baptismum adquisita. Hoc enim est, quod Apostolus docet, non ita deponi posse sarcinam peccatorum, si quis fuerit relapsus, sicut in Baptismo deponitur ab eo, qui nunquam habuit gratiam; quia pœnitens multùm adhuc ea gravatur sarcina, duram subeundo Satisfactionem, priusquam ad plenam & perfectam *perveniat reconciliationem.* Hæc & plura, quæ *Esthius* ibi habet, etsi ad illustrandam & confirmandam Augustini & aliorum Interpretum de Baptismo vel negata Baptismi iteratione Sententiam scripserit, juxta hypotheses nimirum, quæ à Bellarmino etiam hic attenduntur, non tamen ita satis ex omni parte potuerunt facere ipsi *Esthio*, ut non in posterioribus de hoc Pauli Oraculo meditationibus ad *Catharini* explicationem, *à Guillando* quoque exhibitam, inclinare fuerit visus, sequenti ex Schedis Ejus manuscriptis Additione testimonium perhibente: *Videndum est, an hic locus, & alter ex capite decimo, ex mente Apostoli pertineat ad eos propriè, qui deserunt Ecclesiam & Fidem Christi; hoc enim præcedit illo capite decimo*: Non deserentes collectionem nostram, sicut consuetudinis est quibusdam. *Et videri potest hic Sensus esse ad propositum, quia hoc dicit loco,* Non rursùs jacientes fundamentum &c. q. d. *Si quis per Apostasiam amiserit fundamentum, Fidem Christianam in universum abjiciens, ille jam desperatus est, non debet de novo catechizari & renovari. Quamvis verò vocabulum παραπτώσεως non significet totaliter prolapsos, potest tamen de iis hoc loco verificari propter adpositas circumstantias, ex quibus omninò videtur non intelligi aliquis lapsus vulgaris in peccatum mortale, velut in Ebrietatem, fornicationem, detractionem. Et idem est judicium de loco capitis decimi, ubi similiter sunt circumstantiæ multùm exaggerantes. Probatio etiam illa, quæ hoc sequitur loco,* Terra enim &c. *hunc flagitare videtur Sensum. Certè tam hic, quàm capite decimo Apostolus peccatum Apostasiæ valdè adgravat, ne quis facilè recedat à fraternitate.* Ita Esthius dubiam mentem suam in hujus Oraculi Sensu indagando significavit, quamvis in posterioribus, ut dixi, Meditationibus, quæ ex trito Eruditorum proverbio solent, imò & jure debent esse meliores & exactiores, & hinc etiam Veritati propiores, ad eam inclinans Sententiam, quæ si obtineat, (& cur obtinere non possit, nondum hactenùs sufficienter est demonstratum:) Bellarminus nihil pro se hic obtinebit. Quin & quod ad *Guillaudi* verba jam fuit ostensum, si de Pœnitentia Baptismali locum haberet Explicatio, comet ipso Sententia de Pœnitentiæ Sacramento, tanquam simul stare non potens, loco cedere deberet. Equidem, ut pro Bellarmini Sententia hoc addam, si ex mente Pauli agitur

de Pœnitentiâ Baptismali, videlicet, quod prolapsi, quos describit, non possint denuò renovari ad eam; videtur omninò sequi, aliam super adhuc esse Pœnitentiam, videlicet, quam dicunt Sacramentalem, à Baptismali distinctam. Sed quamvis aliquam in quibusdam circumstantiis concedamus hujus & illius Pœnitentiæ differentiam, non tamen sequitur, species esse diversas, neque ideò negari debet, Pœnitentiam lapsorum post Baptismum habere respectum & recursum ad illam Baptismi gratiam, cujus in susceptione hujus Sacramenti per Fidem, præcipuam salutaris Pœnitentiæ partem, facti fuerunt participes, eâdem Fide promissam à Deo verè pœnitentibus gratiam merito Christi Mediatoris partam adprehendente, & per Sacramentum Eucharistiæ quod ob hanc causam non malè Confirmationis Sacramentum dici potest, obsignante. Id nunc adhuc insuper subjungere placet, etsi *Fromondus*, recens satis Pauli interpres, hanc Augustini & aliorum Sententiam sequatur in explicando hoc oraculo, *Esthium* quoque & *Riberam* inconstantiæ sine causâ adcusans, hinc pro necessitate Sacramentalis Pœnitentiæ cum Bellarmino antehàc argumentantes, postea verò Sententiam mutantes, ut de *Esthio* inspecie est ostensum; *Franciscum Carriere* tamen, Minoritam Gallum, post omnes ferè alios Interpretes, adeòque expensis antecedentium fundamentis & rationibus, statuisse nihilo-minus, *planiorem* præ eâ, quæ ex Græcis Patribus Chrysostomo & Damasceno inprimis, ex Latinis autem Hieronymo, Ambrosio & *Augustino* placuisse scribitur, *esse expositionem*, quam habuisse Dionysium, Anshelmum, Lyranum, Aureolum, Hugonem, Titelmannum, Vasquezium, *Riberam* & alios recentiores monet, quâ dicitur, *Paulum loqui de Pœnitentiâ, nimirùm* non antecedente Baptismum, sed consequente, *eamque dicere impossibilem, id est, valdè difficilem, non quibusvis, sed prolapsis, & ex Thomæ Sententiâ prorsus lapsis, id est, à Fide apostatis, qui post insignia* (Divinæ cognitionis) *Lumina & consolationes degustatas à Christo desciscunt.* Meum nunc iterùm non est, diversas inter se & antiquorum & recentium Scripturæ Interpretum Explicationes conciliare. Id tantùm noto, mirum non sine causâ videri posse, Bellarminum ad probandam, quam sumsit defendendam & dixit veritatem, fuisse ausum uti testimonio tam diversis Explicationibus expositio, & in cujus sensu ipsimet Doctores Papæi non consentiunt. Addo, quod ad præsens Institutum quam-maxime pertinet, si ipsis etiam Doctoribus Papæis ab *Augustini* Sententiâ, ad quam Bellarminus provocavit, licuit discedere, id etiam Doctoribus Evangelicis bonâ cum augustissimi Patris veniâ inlicitum non esse, si debitâ id cum modestiâ & sine diminutâ Ejus authoritate fiat. Verùm non opus est, ut eò perveniatur, cùm aliâ ratione possit ostendi, *Augustinum* in hujus etiam Oraculi explicatione, ut videbatur Bellarmino, Evangelicis contrarium non esse. *Primum* ex tribus testimoniis, quæ Bellarminus exhibuit, suprà quoque in Controversiâ de *Baptismi Effectu* fuit propositum, hic omninò repetendum, ut de Sancti Doctoris mente eò melius possit constare, Evangelicis, ut dixi, non oppositâ. Ita autem paulò ante finem inchoatæ Expositionis ad Romanos: *Eos, qui jam fuerint baptizati,* MELIUS *curari dicimus per Pœnitentiam, non renovari, quia renovatio est in Baptismo, ubi quidem operatur Pœnitentia, sed tanquam in fundamento. Manente itaque fundamento, recurari ædificium potest; Si autem iterare quis voluerit fundamentum, totum subvertat ædificium necesse est.* Notanter observat Augustinus, *melius* hominem curari, quàm renovari per Pœnitentiam dici, eo met ipso indicans, non soli Baptismo adscribendam ita esse renovationem, ut non etiam pertineat ad Pœnitentiam, toto vitæ cursu agendam & sæpius repetendam, quod alibi clarissimè indicavit, suam de renovationis perpetuâ continuatione Sententiam sequentibus verbis proponens: *Non ex quâ horâ quisque baptizatur, omnis vetus infirmitas ejus absumitur, sed renovatio incipit à remissione omnium peccatorum, & in quantum quisque spiritalia sapit, qui jam sapit, in tantum renovatur.* Et iterùm ibidem: *In Baptismo, quamvis tota & plena fiat peccatorum remissio, tamen si continuò tota & plena etiam hominis in æternam novitatem fieret mutatio, non dico & in corpore, quod certè manifestum est adhuc in veterem corruptionem atque in mortem tendere, in fine posteà renovandum, quando vere tota novitas erit; sed excepto corpore, si in ipso animo, qui est homo interior, perfecta in Baptismo novitas fieret, non diceret Apostolus,* Et si exterior homo noster corrumpitur, sed interior renovatur de die in diem. *Profectò enim, qui de die in diem adhuc renovatur, nondum totus est renovatus; & in quantum nondum est renovatus, in tantum adhuc in vetustate est.* Multa in his verbis notatu digna habet Augustinus contra Bellarminum, quæ tamen ob vitandam prolixitatem Lectoris judicio debent commendari. Clarius adhuc in libro de *verâ & falsâ Pœnitentiâ* id expli-

lib. II. de peccat. merit. cap. 7.

II. Cor. 4.

exprimitur, ad quem loco *secundo* sub Augustini nomine provocavit Bellarminus, ubi sequentia in rem præsentem leguntur verba: *Sunt, qui credunt, usq; ad Baptismum proficere Pœnitentiam, sed posteà peccantibus cassam perseverare; gaudent enim singularitate, arrogantes ex hoc, quod non habent, jactantes, se mundos esse, utpotè quasi nihil post Baptismum commiserint, undè jure possint dolere. Hi siniſtrè omnia intelligentes, vires ex authoritate Sanctorum sumentes, & sequentes Patrem mendacii, mendaciter exponunt, quod concordat veritati. Legant in Apostolo, quod intelligere nolunt.* Et postquam Pauli verba adduxit: *Si superbia eos non excæcâsset, viderent, Apostolum non ita esse destructorem sui laboris atq; sui gaudii. Quos enim per Epistolas correxit, nisi qui post Baptismum ceciderant, & in peccato perseverabant? Gentiles enim visitabat corporali præsentiâ, & Rationibus & Miraculis eos confutans. Quomodo scriberet infidelibus, ipsis Eidem multipliciter contradicentibus? Hunc lapidabant, virgis cædebant; & eis scriberet, ut se corrigerent? Cur autem infidelibus indiceret correctionem, si de salute eorum desperaret? Quomodo scriberet, qui scienter & necessariò nihil omninò proficeret? Si non possent renovari per Pœnitentiam, cur prædicaret eam?* Quæ ibidem plura sequuntur, non addo, incurius etiam de methodo disputandi, quæ in his observatur verbis; id tantum noto, renovationem, quam Augustinus Baptismo tantùm adscripsisse visus fuit Bellarmino, hic expressè etiam Pœnitentiæ adscribi, id quod in antecedente Testimonio uberius fuit declaratum ut adeò, quæ fit per Baptismum renovatio, ab eâ, quæ per Pœnitentiam fit, non sit specie diversa, sed hæc potius sit illius continuatio, hâc ad illam, quasi ad fundamentum & radicem habente respectum. Sed & neq; *tertius* obest Augustini locus Evangelicis, quo contra eos utitur Bellarminus, ex libro *de Fide & operibus* desumtus, ubi Sanctus Pater institutâ comparatione Baptismi cum exitu Israelitarum ex Ægypto, & traductione eorum per mare rubrum, secutâq; ab Ægyptiis liberatione, ex instituto egit de Quæstione, *Num baptizandus sit, qui impiam nolit mutare vitam*, adstruens, *Baptismum Fidei opera præcedere* debere, nullâ mentione facta Pœnitentiæ lapsorum post Baptismum, de quâ tamen hic præprimis controvertitur. Et si Bellarmins hinc voluit probatum, aliam esse Pœnitentiæ rationem ante Baptismum, vel etiam in Baptismo, aliam verò post Baptismum, Evangelici non erunt adversarii, modò concedatur, quod & omninò concedendum est, utrobiq; esse vel fuisse respectum ad Baptismum, ibi quidem, quasi terminum ad quem, hic autem, quasi terminum à quo, undè renovatio repetenda venit & postmodùm continuanda. Idem quoq; dici debet ad tria Augustini testimonia, quibus porrò Bellarminus *ex traditione Veterum* Ecclesiæ Doctorum contra Evangelicos, inani quamvis conatu militare studuit, quod ex eorum tenore jam patebit. *Primum* pleniori, quàm à Bellarmino proponitur, textu sic habet: *Potest parvulus semel ex parentum carne generatus DEI Spiritu regenerari, ut & ex illis obligatio contracta solvatur; non potest autem semel DEI Spiritu regeneratus ex parentum carne regenerari, ut obligatio, quæ soluta est, iterùm contrahatur. Et ideò semel perceptam parvulus Christi gratiam non amittit, nisi propriâ impietate, si ætatis accessu tam malus evaserit; tunc enim propria etiam habere incipiet peccata, quæ non regeneratione auferantur, sed aliâ curatione sanentur.* Verè hîc Augustinus docet, peccata post Baptismum commissa non regeneratione, videlicet nova & iterata, auferri, sed aliâ curatione, nimirùm, ut ante dixit, *renovatione per Pœnitentiam*, quæ respectum ad renovationem in Baptismo inchoatam habeat, sanari, methodo non multum dissimili ab eâ, quam Medici in sanandis corporalibus morbis per recidivatum non semel recurrentibus observare solent, iis utentes remediis, quæ antehàc utilia esse Experientia didicerunt, utut fortè mutatis Morbi circumstantiis addere vel demere quid soleant medicamentis, prout ægroti status id requirere videtur. Jam in *secundo* Augustini testimonio, cum dicitur, *homicidium à Catechumeno perpetratum Baptismo ablui, à baptizato autem Pœnitentiâ & reconciliatione sanari*; nihil aliud significatur, quàm quod Baptismi Sacramentum nullo planè modo iterandum sit, & quod Pœnitentiâ in baptizato sanetur, quod in non baptizato per ipsum Baptismi Sacramentum abluitur, ibi tamen itidem respectu ad Baptismum habito, utpotè vi cujus homo post Baptismũ lapsus verè pœnitens & DEO & Ecclesiæ, non primum conciliatur, sed iteratò & repetita vice reconciliatur, quod non sine fiduciali Gratiæ in Baptismo collatæ readprehensione fieri, imò hanc Gratiæ restitutionem quasi ex fonte Baptismali fluere, omninò est & esse debet indubium. Quod *tertium* verò testimonium attinet, etsi non planè omni careat suspicione de aliqua Augustino factâ suppositione, tamen nec illud quidquam infert, quod Bellarmini causam juvet, Evangelicorum causæ autem noceat. Nam eo ipso, quo

cap.II. & seqq.

Epist. 23. ad Bonif.

Augustinus, vel quisquis illarum quinquaginta Homiliarum author est, pœnitentiam hominis in tres dividit actiones, quarum prima Baptismum antecedat, loquens videlicet de adultorum Baptismo, duæ posteriores autem sequantur Baptismum, & vel propter quotidianas infirmitates, quibus Sancti etiam non carent, vel propter enormia contra expressam Decalogi literam flagitia suscipiantur, Pœnitentiam Baptismalem à Sacramentali, ut Bellarminus vult, tanquam specie diversam non distinguit, sed potius conjungit, vel ad maximum subordinat, unamque ab altera dependere, unam ad alteram habere respectum, unam quoq; ab alterâ vim & efficaciam accipere docet. Nisi enim Pœnitentia vel de quotidianis infirmitatibus, vel de enormibus flagitiis suscepta Gratia Baptismali niteretur, quâ homo fœderi Divino corporiq; Ecclesiastico fuit insertus, proq; membro Regni à Christo susceptus, ordinariè & extra summæ necessitatis casum, quem Legi suæ DEUS rigorosè non adstrinxit, sine Baptismi Sacramento locum non haberet, & neque DEO placere, neque etiam Ecclesiæ, ordinem à Christo præscriptũ observanti, satis posset facere, quin & cum Baptismi Sacramento, nisi vera Fides ad Gratiam Baptismi respiciens adesset, Pœnitentia, quibuscunque etiam externis requisitæ Contritionis, factæ Confessionis, susceptæ Satisfactionis operibus demonstrata, alium non ferret fructum, quàm antehac Simon Magus tulit, à Philippo quidem baptizatus, à Petro autem ob cordis malitiam justè reprobatus & damnatus. Cætera huc pertinentia Augustini testimonia ex laudato capite de Baptismi effectu sunt omninò repetenda.

CAPVT DECIMVM NONVM ET VIGESIMVM,

DE

Tribus Pœnitentiæ partibus,

Nimirùm

Contritione, Confessione & Satisfactione in genere.

PRætermitti hic iterum debent Controversiæ de *partibus Sacramenti Pœnitentiæ essentialibus*, eâ præprimis quæstione, *An præter absolutionem aliquid aliud sit, quod ad Sacramenti hujus rationem atq; essentiam pertinere videatur?* Ut &, *An Contritio, Confessio & Satisfactio sint veræ partes Sacramenti hujus?* cùm ipse Bellarminus agnoverit, non hæreticos solum, quos vocat, sed & Catholicos quosdam à communi recedere Sententiâ, in illa quidem Quæstione, Scotum, Occamum, Majorem, Almainum, alios, statuentes, *solam Absolutionem Sacramenti hujus essentiam constituere*; in hac verò Durandum, docentem, *solam Confessionem esse materialem Sacramenti Pœnitentiæ partem, Contritionem verò esse dispositionem, & Satisfactionem esse fructum Pœnitentiæ*, præprimis, quia in utriusque, & prioris quidem satis prolixâ tractatione nulla planè Augustini intercurrit mentio, neque etiam potuit intercurrere, dum hæ Quæstiones Augustini tempore non fuerunt controversiæ; sed à Scholasticis demùm Doctoribus motæ, à quorum Successoribus hodienùm pro & contra, ultrò citrò; ventilantur, in signum videlicet illius jactatæ unionis, cujus gloriam Papæi pro Veritatis documento sibi constanter, vel potius pertinaciter contra Evangelicos attribuere solent. Prætermissis, inquam, his Quæstionibus controversis, utpotè quæ partim Evangelicis non propriæ, sed ex ipsâ Bellarmini confessione cum Doctoribus quibusdam Catholicis seu Papæis sunt communes, partim neque his cum illis communes, sed his, id est, Papæis propriæ sunt, & quod præsertim ex Instituti ratione venit observandum, nulla in eis Augustini intercedit authoritas, hic quam-maximè attendenda; eam nunc adgredimur Controversiam, quamvis brevissimè quoad generalia tractandam, (specialioribus ad sequentis libri Examen reservatis:) quæ Evangelicis propria est cum Papæis, de partibus nimirùm, ut Bellarminus loquitur, Sacramenti Pœnitentiæ *materialibus*, sive, ut amplius suam explicat mentem, *de actionibus in homine Pœnitentiam agente necessariis, ut Absolutionem percipere, & cum DEO in gratiam redire possit*; Evangelicis duas partes, videlicet, *Contritionem & Fidem*; Papæis autem tres, *Contritionem cordis, Confessionem oris, Satisfactionem operis* ad normam Synodi Tridentini statuentibus. Has ut Bellarminus post aliorum Ecclesiæ Doctorum authoritatem laudatam ex Augustino quoque ostendat, hoc Ejus testimonio ad Regii in Ps. 146. Psaltis verba: Qui sanat contritos corde; utitur: *sanat contritos corde, sanat confitentes, sanat seipsos punientes.* Ubi perspicuè audis tres veræ Pœnitentiæ partes, *inquit Bellarminus.* Quia autem non nescivit, quid ex Evangelicorum parte ad hoc Augustini & similia aliorum Ecclesiæ Doctorum testimonia soleat responderi, ideò *Chemnitii* objectionem sibi non prætereundam esse duxit, quam verbis sequentibus proponit: *Viderer in*

in multis locis loquuntur de Pœnitentia, non quatenus quærit & accipit remissionem peccatorum, sed quatenus est vitæ mutatio & emendatio. Hæc non attendentes Monachi, tres indè fecerunt Pœnitentiæ partes, quibus adquiratur remissio peccatorum. Ad hanc objectionem ita respondet: *si Chemnitius veteres Patres diligenter legisset, non ita temerè pronuntiaret. Nam, ut omittam, quod Confessio, de quâ Patres loquuntur passim, nihil facit ad vitæ mutationem; ut etiam illud præteream, quod jejunia, lacrymæ, cineres, cilicia & alia id genus opera vel pœnitentiæ instrumenta, de quibus frequentissima apud Patres mentio est, non ad vitam mutandam, sed ad peccata præterita castiganda apertissimè referuntur; nihil sæpius invenies apud Patres, quàm tribus illis Pœnitentiæ partibus remissionem peccatorum adquiri.* Inter cætera aliorum Patrum ad sequens quoq; Augustini testimonium provocat: *Quosdam à societate Altaris removemus, ut pœnitendo placare possint, quem peccando contemserunt, seq; ipsos puniendo.* Epist. 54. ad Maced. Sed adhuc una supereſt objectio, quam Bellarminus huic præposuit, hic etiam non intermittenda: *Trina enumeratio partium Pœnitentiæ, ex publicæ Pœnitentiæ ritibus sumta, postea ritibus illis partim abrogatis, partim mutatis, indoctè ad generalem Pœnitentiæ doctrinam adcommodata est.* Respondit autem, *Quomodo ad generalem de Pœnitentiâ doctrinam tres illæ partes ex publicæ Pœnitentiæ ritibus sunt accommodatæ, cùm in Veteri etiam Testamento fuerint in usu, & ex ipsâ ratione ac naturâ Pœnitentiæ colligantur; publicæ enim Pœnitentiæ ritum post Christi adscensionem in Cœlum esse institutum, nemo opinor inficiabitur?* Deindè, *cum Veteres apertè mentionem faciant Pœnitentiæ & publicæ & privatæ, undè probabit Chemnitius, enumerationem illam ex publicæ, & non ex privatæ Pœnitentiæ ritibus esse desumtam?* Ad objectionem Chemnitii priorem notari & addi debet, Bellarminum aliquid omisisse, quod tamen ad præsens Institutum quammaximè pertinet. Ubi enim Chemnitius dixit, *Veteres Ecclesiæ Doctores in multis Sententiis loqui de Pœnitentiâ, non quatenus quærit & accipit remissionem peccatorum, sed quatenus est vitæ mutatio & emendatio*; pro hujus uberiori declaratione notanter in rem nostram subjunxit: *Et tunc Augustinus & Chrysostomus solent ita loqui*, Nimirùm, *sicut tres sunt peccatorum differentiæ, & tribus modis DEVM offendimus, corde scilicet, ore & opere, ita veram emendationem per contrarium esse instituendam, in animo, verbo & opere.* Addit, *hæc non attendentes Monachi tres indè fecerunt Pœnitentiæ partes, quibus adquiratur remissio peccatorum, & quidem,* quod Bellarminus iterùm fraudulenter omittit, *exclusâ Fide, quæ ex Evangelio concepta credat, per Christum peccata remitti; & ubi Chrysostomus ponit operis humilitatem, Augustinus verò operis sanctificationem, substituerunt postea operis satisfactionem.*

Hæc si attendantur, ad quæ, quod responderet, non habuit Bellarminus, & hinc necessitate adductus omisit, multum lucis præbere possunt iis, quæ Bellarminus frustra sumsit oppugnanda, & ut Augustini testimonia, quibus ternarium actionum ad Sacramentum Pœnitentiæ ex mente Synodi Tridentinæ necessariarum numerum stabilire conatus est Bellarminus, eò facilius possint intelligi, ac indè colligi, ad nihil minus, quàm ad has Pœnitentiæ partes, qualiter nimirum à Papæis explicantur & requiruntur, Augustinum respexisse; ut taceam, Eum has actiones externas pro essentialibus Sacramenti Pœnitentiæ partibus ad impetrandam non tam à Sacerdote, quàm ipsomet Deo remissionem peccatorum necessariis habuisse, quem peculiare aliquod Pœnitentiæ Sacramentum non statuisse, paulò ante vidimus. Ut autem ipsa Augustini testimonia à Bellarmino laudata coràm videamus, eaque accuratiori trutinâ ponderemus, *primum* quidem, si Bellarmini distinctionem inter Pœnitentiam quâ virtutem, & Pœnitentiam quâ Sacramentum admittamus, potius de Pœnitentiæ virtute, quam Sacramento agere videtur, eâ nimirum Pœnitentiâ, quâ homo non homini, sed DEO pœnitentem se sistit, id quod augustissimus Doctor verbis non multò post sequentibus ostendit, scribens: *Sanaberis ergò, corde sanaberis contrito. Noli erubescere, cor contere; tales sanat Deus. Sed quid ago, inquies, modò?* Condelector enim Legi DEI secundum hominem interiorem, video autem aliam Legem in membris meis, repugnantem legi mentis meæ, & captivum me ducentem in lege peccati. *Quid agis? Contere cor, confitere; age, dic sequentia:* Infelix ego homo, quis me liberabit de corpore mortis hujus? *Hoc enim dicere, infelix homo, jam cor conterere est. Ille speret felicitatem, qui confitetur infelicitatem. Dic ergò, infelix ego homo, quis me liberabit de corpore mortis hujus? ut respondeatur tibi, Gratia DEI per Dominum nostrum Jesum Christum.* Rom. 7. Nimirum conjungit Sanctus Pater contritionem & confessionem in his verbis, & in antecedentibus propriam adjungit punitionem, non quasi diversæ essent actiones hominis Pœnitentiam agentis, vel tres

diversæ

diversæ partes ad Pœnitentiæ Sacramentum necessariæ, ut Bellarminus vult; sed quiæ in unâ eademque actione & contritio, & confessio, &, ut Augustinus loquitur, propria quoque punitio locum habet, homine pœnitentiam agente eometipso, quo ex humili corde sua DEO confitetur peccata, dolens, quod omnium bonorum datorem Deum perpetratione eorum tam graviter offenderit, seipsum quoque punit, sicut malefici coram Judice semetipsos punire dicuntur, sua, quibus extremum promeriti sunt Supplicium, malefacta non sine animi ægritudine agnoscentes & confitentes, unde tamen tres diversas partes Pœnitentiæ, easdemq; essentiales fingere, & hanc, quam Augustinus dicit propriam punitionem, mutare in Satisfactionem vel satis-passionem, est omninò præter mentem Augustini; qui etsi ex tribus peccatorum differentiis & totidem modis offendendi DEUM, Pœnitentiam quoque ita monuit esse instituendam, ut animo, verbis & opere ipso ostendatur, atque Chemnitius id intelligendum esse dixit, *non quatenus homo pœnitens quærit & accipit remissionem peccatorum, sed quatenus hæc actio pœnitentis est vitæ mutatio & emendatio*; nihil planè dixit contra Augustini & aliorum Patrum Sententiam, neque quid temerè pronuntiavit, sicut Bellarmino fuit visum, quo etiam multò diligentiùs & accuratius Scripta Patrum legit *Chemnitius*, de quo solum *Examen Anti-Tridentinum* potest testari, dum è contrario, si Bellarminus eorum, qui ante se scripserunt, operibus Polemicis, præsertim *Thesauro Jodoci Coccii Catholico*, & in specie *Hieronymi Torrensis Confessione Augustinianâ* fuisset destitutus, multis Patrum & inprimis Augustini testimoniis Controversiæ Ejus carerent, quibus nunc eas, utut non rarò impertinentissimè & minus sincerè adductis, turgere videmus. Neque verum est, quod ob objectionem *Chemnitii* contra mentem Augustini & aliorum Ecclesiæ Doctorum respondit Bellarminus, Confessionem, de quâ ii loquantur passim, Jejunia item, lacrymas, cineres, cilicia & alia id genus opera, quæ dicit Pœnitentiæ instrumenta, de quibus frequentissima apud Patres mentio sit, *nihil facere ad Vitæ mutationem, sed ad peccata præterita castiganda apertissimè referri, nihilq; sæpius inveniri apud eos, quàm tribus illis Pœnitentiæ partibus remissionem peccatorum adquiri*; cùm sit & esse debeat indubiũ, confessionem hominis Pœnitentiam agentis de jure fieri sive DEO, sive Sacerdoti eum in finem, ut vitæ sequatur emendatio, quam nisi pro Scopo haberet, neque jejuniis, neque lacrymis, neque aliis Pœnitentiæ operibus & interni doloris testibus, si res seriò agatur, semetipsum puniret & sic operam luderet, præteritorum quidem peccatorum non immemor, sed & ad futura respiciens tempora, id est, debitam Vitæ pro viribus emendationem. Et quamvis Augustinus cum aliis Patribus docuerit, his actionibus hominis verè & seriò pœnitentis, (non excluſa tamen, sed incluſa Fide, quæ ex Evangelio concepta credat, per Christum peccata remitti,) remissionem peccatorum adquiri; non tamen tres diversas Pœnitentiæ partes constituit, tanquam ad peculiare Sacramentum pertinentes & quam maximè necessarias, præprimis si requisitam Satisfactionem vel Satispassionem ex mente Papæorum respiciamus; neque etiam de acquisitione meritoriâ id voluit intellectum, sed de methodo & ordine pœnitendi, quem ipse DEUS partim in Verbo, partim verò Ecclesia in publicis emergentibus scandalis ad eò meliorem Disciplinæ conservationem præscripsit observandum, & sine quo peccator neque apud Deum, neque in Ecclesia peccatorum remissionem impetravit, id quod aliàs bono cum DEO uberius peculiari tractatione explicabitur. Malè hinc, quod de ordinis Divini & Ecclesiastici observatione Augustinus cum aliis Patribus monuit, ad meritum à Papæis Doctoribus trahitur, & in specie quidem Satisfactionis vel Satispassionis, quod tamen hic nullum posse locum habere ostendetur, ubi de partibus Pœnitentiæ in posterum suo ordine agemus, easq; sub examen ex Augustino vocabimus.

Nunc quod *posteriorem* attinet Augustini locum, quo Bellarminus vim meritoriam his Pœnitentiæ actionibus adscribi existimat, certum est, agere Sanctum Doctorem, quod ipsa Ejus verba à Bellarmino iterum omissa testantur, de iis, *quorum crimina sunt manifesta*, adeòq; de publicâ eorum & solenni Pœnitentiâ, *quâ à societate Altaris remoti, pœnitendo*, id est, variis Pœnitentiæ documentis *semetipsos puniendo placare Deum dicuntur, quem peccando contempserant*, sicut filius ille nequam, qui Patris bona turpiter dissipavit, coram Eo se humiliando, & facti malitiam deprecando, Patris animum justè iratum placavit, peccatorum remissionem impetrans, sine omni tamen merito, sine omni Satisfactione vel Satispassione, solâ Patris gratiâ hic locum habente & obtinente. Insinuat id non obscurè Augustinus ipse, loco per Bellarminum citato, verbis proximè sequentibus: *Nihil aliud agit, quem veraciter pœnitet, nisi ut id, quod mali fecerit, impunitum*

nitum esse non sinat; eo quippe modò sibi non parcenti Ille parcit, cujus altum justumq; judicium nullus contemtor evadit. Certè si DEUS in remissione peccatorum homini Pœnitentiam agenti parcit, utique ex gratiâ parcit, non ex merito, & hinc nulla Satisfactio vel Satispassio hic attenditur. *De eâ* nunc etiam objectione ut pro *Chemnitii* innocentiâ aliquid contra Bellarminum dicatur, quâ sæpè dictas tres Pœnitentiæ partes ex publicæ Pœnitentiæ ritibus esse desumtas observavit *Chemnitius*, eam infringere quidem conatus est Bellarminus hâc instantiâ, *quod in Veteri etiam Testamento hæ actiones pœnitentiales fuerint in usu, ritus autem Pœnitentiæ*, quæ ad differentiam dicitur, *publicæ demùm post Christi adscensionem in Cœlum fuerint instituti*; sed nullo planè cum effectu, imò sibimetipsi iterùm contradicens. Annon enim Bellarminus suprà, ubi contra eundem *Chemnitium* ejusque objectiones demonstrare laboravit, *Pœnitentiam esse Sacramentum propriè dictum*, simul contendit, *Sacramentum Pœnitentiæ demùm post resurrectionem Domini institutum fuisse*, & quod hinc necessariò sequitur, Sacramentum Pœnitentiæ cum omnibus suis partibus & actionibus ad eam pertinentibus esse Sacramentum Novi, non Veteris Testamenti? Quomodo autem nunc in demonstranda antiquitate harum partium & actionum, tanquam essentialium & necessariarum ad impetrandam Absolutionem & peccatorum remissionem, ad Vetus provocat Testamentum, quod tamen ex suâ mente non habuit Pœnitentiæ Sacramentum? En Bellarminum & hîc heavtontimorumenum! *Præterea*, quî ausus fuit Bellarminus scribere, ritus publicæ Pœnitentiæ, id est, ipsam Pœnitentiam publicam, post Christi adscensionem in Cœlum cœpisse demum, cùm de Pœnitentiâ in Vet. Testamento publicâ testari possint omnia ea Sacrificia, quæ pro peccatis singularium, sive ex ordine Sacerdotum, sive ex ordine Procerum politicorum, sive etiam ex ordine populi vel vulgi, DEI mandato obferri debebant, non certè sine ritibus quibusdam, & externis quoq; testimoniis animi pœnitentis, & de peccato dolentis, ad quorum imitationem novi etiam Testamenti Ecclesia in recipiendis, quorum crimina erant manifesta, pœnitentibus, iisque cum DEO reconciliandis, voluit uti certis quibusdam ritibus, & in oculos omnium incurrentibus, non ut aliquod meritum his actionibus adscriberent, quæ & DEI in Testamento Veteri circa similes ritus Sacrificiales mens non fuit, sed partim ut ipsi pœnitentes per eas ad majorem peccati agnitionem ejusque detestationem ducerentur, inq; posterum cautiùs mercari discerent, partim quoque, ut alii hâc ratione à talibus scandalis & flagitiis enormibus absterrerentur. *De cætero* facillimum est demonstratu, quod Bellarmino tamen difficile nimis, si non impossibile omninò, fuit visum, *has Pœnitentiæ actiones*, quæ hodiè pro essentialibus & maximè necessariis Sacramenti Pœnitentiæ partibus venditantur, & à quibusvis in universum pœnitentibus pro impetranda Absolutione, & peccatorum remissione rigorosius requiruntur, utpotè sine quibus vera non possit esse Pœnitentia; *à publicæ, non autem privatæ Pœnitentiæ ritibus esse desumtas*, quia nimirum non in privatæ, sed publicæ potius Pœnitentiæ per circumstantias non unas descriptione earum mentio occurrit, quod, ut dixi, suo tempore plenius integro tractatu ostendetur.

Nunc postquam in genere partes Sacramenti Pœnitentiæ à Synodo Tridentinâ sub anathematis fulmine commendatas ex Augustini authoritate proscripsimus, Bellarmino testimoniis ex Eo adductis non stante, super adhuc est, ut partes Pœnitentiæ ad Evangelicorum Sententiam, inprimis verò Fidem salvificam, ex Augustino exhibeamus, adeòque Eum & hic à nostris stare partibus ostendamus. Audiemus autem ejus mentem, quam auditoribus suis in explicatione Psalterii sæpiùs exposuit, eò plus apud Papæos valituram, quò majori industria non ita pridem *Lovanienses* eam ad Exemplaria manuscripta castigatam iteratò typis publicaverunt, ac quibusvis Augustini discipulis tanquam insigne pietatis & doctrinæ Augustinianæ specimen commendarunt. Ad hominem igitur quasi disputantes videbimus, quanti Doctor augustissimus Fidem in actu Pœnitentiæ & Conversionis ad DEUM fecerit, quantamq; vim & efficaciam ei adscripserit, nulla planè factâ mentione earum partium & actionum, quas à Papæis ad Pœnitentiæ Sacramentum ita dictum requiri tanquam necessarias & essentiales diximus. Et quidem ad Regii Psaltis verba, *In justitia tua erue me*, sequentia notavit Sanctus Pater, mentem pœnitentis ad DEUM oratoris hâc paraphrasi explicans & illustrans: *Si attendas ad justitiam meam, damnas me; in tuâ justitiâ erue me.* Addit: *Est enim justitia Dei, quæ & nostra fit, cùm donatur nobis. Ideò autem de justitia* (Lovanienses legunt rectius, DEI Justitia:) *dicitur, ne homo putet, se à seipso habere justitiam. Sic enim dicit Apostolus Paulus, credenti in Eum, qui justificat impium,* (*Quid est, qui justificat impium? qui ex impio* in Psal. 30. Rom. 4.

pio facit justum:) deputatur fides ejus ad Justitiam. Pergit post aliqua ex Sententiâ Davidis coram DEO pœnitentis: *In tuâ Justitiâ erue me. Quia in me non invenisti Justitiam meam, erue me in tuâ. Hoc est, illud me eruat, quod me justificat, quod ex impio pium facit, quod ex iniquo justum, quod ex cæco videntem, quod ex cadente surgentem, quod ex flente gaudentem. Hoc me liberat, non ego. In tua Justitiâ erue me.* Nulla hic mentio propriæ Satisfactionis vel Satispassionis, nulla propriæ, quam sibimetipsi denegat, sed Divinæ solùm Justitiæ, per veram Fidem adplicatæ, vel adhuc adplicandæ, quâ se & non aliâ coram DEO justum & justificatum, vel justificandum & justum fieri desiderat Regius Psaltes
in Psal. 20. ex augustissimi Doctoris Sententiâ, quam ad eadem verba alibi & aliàs occurrentia iisdem penè verbis repetiit, scribens: *In tuâ Justitiâ erue me. Non in mea, sed in tua. Si enim in meâ, ero ex illis, de quibus ille ait*, ignorantes DEI Justitiam, & suam volentes constituere, Justitiæ Dei non sunt subjecti. *Ergò in tuâ Justitiâ, non in meâ; quia, mea quid? præcessit iniquitas. Et cùm ergò justus, in tuâ erit Justitia; quia Justitia abs te mihi data justus ero, & sic erit mea, ut tua sit, id est, abs te mihi data. In eum enim credo, qui justificat impium, ut deputetur Fides mea ad Justitiam. Erit ergò & sic Justitia mea, non tamen tanquam propria mea, non tanquam à meipso mihi data, sicut putabant, qui per literam gloriabantur, & Gratiam respuebant.* Alibi Sanctus Pater expressè confessioni peccatorum denegans vim meriti, Fidem in impetrandâ eorum remissione ita commendavit: *Quid*
in Ps. 110. *magnificentius, quàm justificare impium? Sed opus fortassè hominis prævenit istam DEI magnificentiam, ut cùm fuerit peccata confessus, justificari mereatur. Descendit enim de Templo justificatus Publicanus magis, quàm ille Pharisæus, quia nec oculos ad Cœlum audebat levare, sed percutiebat pectus suum, dicens:* DEUS, propitius esto mihi peccatori. *Hæc est magnificentia Domini, justificatio peccatoris; quoniam, qui se humiliat, exaltabitur, & qui se exaltat, humiliabitur. Hæc est magnificentia Domini, quoniam, cui plurimùm dimittitur, plurimùm diligit. Hæc est magnificentia Domini, quoniam, ubi abundavit peccatum, superabundavit Gratia. Sed fortassè ex operibus,* (iisque vel Satisfactionis, vel Satispassionis?) *Non, inquit, ex operibus, ne fortè quis extollatur; Ipsius enim sumus figmentum, creati in*
NB. *Christo in operibus bonis. Justitiam homo non operatur, nisi justificatus; credens autem in Eum, qui justificat impium, à Fide incipit, ut bona opera, non præcedentia, quod meruit, sed consequentia, quod accepit, ostendant. Undè ergo illa Confessio? Nondum opus est Justitiæ, sed delicti improbatio. Sed quoquo se habeat modo, nec in ipsâ de te homo glorietur, ut, qui gloriatur, in Domino glorietur. Quid enim habes, quod non accepisti?* Non potuisset magis expressè Augustinus Evangelicorum de Fide, Pœnitentiæ primariâ parte, Sententiam, contra operum pœnitentialium merita exhibuisse, modò studiosus Veritatis Sectator sine omni præjudicio hæc expendat, adq; animum attentus vocet. Sed & ex ejus Psalmi Enarratione, undè Bellarminus ternarium ostendere voluit, frustrà quamvis, in
in Ps. 146. promtu est pro Fide testimonium: *Hoc pignus accepit Spiritus noster, ut incipiamus Fide DEO servire, & ex Fide justi adpellari, quoniam justus ex Fide vivit.* Plura his similia Augustini testimonia, præsertim in Enarrationibus Psalmorum *pœnitentialium* occurrentia, non adduco, his de mente Sancti Doctoris sufficienter testantibus, quibus unicum nunc ex libro *de vera & falsa Pœnitentiâ* sub Augustini nomine non semel à Papæis laudato placet subjungere, omnium expressissime, Evangelicorum Sententiam exhi-
cap. 11. bens? *Si Fides fundamentum est Pœnitentiæ, præter quam nihil est, quod bonum sit, adpetenda est Pœnitentia, quam constat in Fide fundatam esse; non enim potest Arbor bona malos fructus facere. Pœnitentia itaq; quæ ex Fide non procedit, utilis non est. Oportet autem credi, remedium Pœnitentiæ à Salvatore concedi.* Ubi notandum, Authorem hujus Sententiæ non ex dubiis, sed ex concessis pro Pœnitentia agenda argumentari, non tanquam incertum, sed quasi liquidum præsupponens, *Pœnitentiam in Fide fundatam esse, eamq; quæ ex Fide non procedit, inutilem esse*, quo iterùm nihil magis apertum pro Evangelicorum Sententiâ dici aut scribi potuit.

LIBRI SECVNDI
DE POENITENTIA
CAPVT DVODECIMVM,

De Quæstione

An Contritio sit causa remissionis peccatorum?

HUic Quæstioni controversæ sex alias præmittit Bellarminus, quarum *prima* est, An Contritio sit actus bonus & liber, & num ad Legem, an ad Evangelium pertineat? *secunda*,

secunda, an sit actus solius liberi arbitrii? *tertia*, an includat odium ac detestationem peccati præteriti? *quarta*, an includat propositum benè vivendi? *quinta*, an sit necessaria ad Justificationem? *sexta*, an summum exigat dolorem? In quarum tractatione sicut non semel Evangelicorum Sententiam malitiosè pervertit Bellarminus, eos sibi adversarios fingens, ubi non sunt; ita utplurimum suis innititur hypothesibus, quasi omninò certis, & extra dubium positis, rarissimè Augustini authoritate usus, & non nisi in re utrinque certâ, vel ubi contra suos, quos dicit, *Catholicos* disputare necessum habuit, ut adeò eas silentio liceat prætermittere, factâ ad eam transitione, ubi directè sibimet invicem opponuntur Sententiæ, Doctorq; augustissimus tanquam Evangelicæ Veritatis Confessor & Testis à pravo verborum Ejus intellectu vindicandus est. Etsi autem Bellarminus Synodi Tridentinæ de hâc Quæstione Sententiam ita proponat, ut Catholicos communi consensu docere statuat, *Contritionem esse causam remissionis peccatorum*, idq; intelligi debere duobus modis, *quia videlicet disponit ad justificationem, & impetrat remissionem peccatorum, & quia dispositio non solùm se tenet ex parte materiæ, sed etiam ex parte agentis, ideò actum Pœnitentiæ, quatenus ab auxilio Gratiæ, & libero procedit arbitrio, atq; hominem disponit ad Justificationem, ipsius Justificationis causam dici posse etiam aliquo modo efficientem*; negare tamen non potuit, Theologos Scholasticos in eo videri dissentire, quod non-nulli volunt, *actum Pœnitentiæ, ut etiam Fidei & dilectionis, esse dispositionem ad remissionem peccatorum, sed non meritum, neque de condigno, neq; de congruo remissionis peccatorum*, & hujus Sententiæ Johannem Capreolum, & Dominicum à Soto fuisse, alii est contrario, iique, ut fatetur, plurimi, *ejusmodi actus non solùm dispositionem, sed etiam meritum de congruo justificationis esse* volunt, quam esse dicit Sententiam Lombardi, Thomæ, Alberti, Bonaventuræ, præterea Scoti, Durandi, Gabrielis & aliorum, ex recentioribus autem *Andreæ Vegæ*, Theologi Tridentini, contra quem in antecedentibus ad quartam Quæstionem disputavit Bellarminus, hic de suo addens, *quamvis posterior hæc Sententia verior, & Scripturis ac Patribus conformior videatur, in eo tamen potissimum se laboraturum, ut probet, Pœnitentiam sive Contritionem, quidquid sit de vocabulo meriti, esse remissionis peccatorum causam*, id est, ut in proximè antecedentibus Synodi Tridentinæ Sententiam explicavit, *aliquo etiam modo efficientem*. Non est, ut de conciliatione diversarum inter Theologos Scholasticos hâc de Quæstione Sententiarum simus solliciti, illis Pœnitentiam, vel partem ejus, Contritionem dicentibus esse dispositionem tantùm ad remissionem peccatorum, his verò etiam meritum de congruo eidem adscribentibus, quæ ipsa Sententiarum diversitas tamen non parvum adferre videtur huic Controversiæ præjudicium, neq; minus jactatæ unitati impedimentum, non ita facilè removendum. Cum Bellarmino res erit nobis, ad Synodi Tridentinæ Decretum se suamque Sententiam conformante, ac Contritioni causalem influentiam & aliqualem efficientiam remissionis peccatorum adscribente, eamq; præter Scripturæ dicta & plura Patrum testimonia, etiam duobus ex Augustino locis demonstrante, quorum priorem ad antecedens proximè caput ex Epistola ad *Macedonium* de publica & solenni Pœnitentia, examini jam subjecimus; posterior autem hic est: *Ninivitæ pœnitentiam egerunt, & certam meruerunt Misericordiam.* Quia autem benè novit Bellarminus, hanc suam de Contritionis effectu Sententiam non ita esse omni ex parte liquidam, ut non super adhuc sit, quod contra eam posset objici; ideò, quâ videri voluit sinceritate Controversias tractasse, objectionem adversariorum, non expresso tamen nomine eorum, adposuit, additâ ex Augustino responsione, an autem satis apta & sufficienti, post videbitur. Objectio hæc est: *Si Contritione nostrâ justificamur, quomodo gratis justificari nos dicit Apostolus?* Et, *si Contritio meretur Justificationem, cur non potius redditur, quàm donatur?* Respondeo, inquit Bellarminus, quod ad similem olim objectionem respondit August. *ideò gratis nos justificari, licet Contritionis merito justificemur, quia Contritio ipsa est donum DEI*; ille enim non gratis justificaretur, qui ex opere proprio, i.e. solius liberi arbitrii viribus adquisito justificaretur. *Non dicat*, inquit Augustin. *sibi, si ex fide, quomodo gratis? quod enim Fides meretur, cur non potius redditur, quàm donatur? Non dicat ista homo fidelis, quia cùm dixerit, ut merear justificationem, habeo Fidem, respondetur ei*: Quid enim habes, quod non accepisti? *Cum ergò Fides impetrat justificationẽ, non Gratiam aliquid meriti præcedit humani, sed ipsa Gratia meretur augeri, ut aucta mereatur & perfici.* Hæc ille, ubi meritũ humanum vocat opus ex solo libero arbitrio factum, sine speciali videlicet gratiâ DEI excitante & adjuvante; quâ significatione meritum accipiendo passim

in Ps. 5[illegible]

Epist. 106.

contra Pelagianos adfirmat, *Gratiam non secundum merita nostra dari*, ut videre licet in hâc ipsâ Epistolâ, & in præcedente & subsequente, & in præfatione ad Psalmum trigesimum primum, & in libro de Gratia & libero arbitrio, *ubi ante Justificationem nulla agnoscit merita, nisi mala.* Sed nusquam negat, ex operibus cum speciali auxilio DEI factis, ut ex actibus Fidei, Orationis, Pœnitentiæ & similibus, non posse nos mereri aliquo modo ipsam peccatorum remissionem & gratiam benè operandi, quin potius id apertissimè confitetur, scribens: *Nec ipsa remissio peccatorum sine aliquo est merito, si Fides hanc impetrat; neque enim nullum est Fidei meritum, quâ fide dicebat ille*: DEUS, propitius esto mihi peccatori! *Et descendit justificatus meritò fidelis humiliatus*; quoniam, qui se humiliat, exaltabitur. *Restat igitur, ut ipsam Fidem, undè omnis Justitia sumit initium, non humano, quo isti extolluntur, tribuamus arbitrio, nec ullis præcedentibus meritis, quoniam indè incipiunt bona, quæcunq; sunt merita; sed gratuitum DEI donum esse fateamur, si Gratiam veram, id est, sine meritis cogitamus.* Et iterùm: *Si quis dixerit, quod gratiam benè operandi Fides mereatur, negare non possumus, imò gratissimè confitemur.* Pergit Bellarminus respondendo: *Neq; verum est, quod quidam dicunt*, ab Augustino retractatam fuisse istam Propositionem, *Fides meretur Justificationem*, quando retractavit illam, *Initium Fidei est ex nobis.* Nam in Epistolis proximè laudatis, ubi maximè contendit, *Initium Fidei non esse ex nobis*, disertis docet verbis, *Fidem mereri Justificationem*; & in illo ipso retractationum loco, ubi retractat, quod olim dixerat, *initium Fidei esse ex nobis*, adfirmat, verissimè dictum esse, *quod Fides inchoet meritum.* Porrò Thomas dicit, Propositionem hanc, *Fides meretur Justificationem*, esse retractatam, si Fides accipiatur pro fide solis liberi arbitrii viribus adquisita; in quo sensu neque Augustinus accipit fidem, neque nos accipimus, scribit Bellarminus, cùm dicimus, *Fidem mereri de congruo Justificationem.* Sed nondum satis respondit Bellarminus, verùm ex divite Eruditionis promtuario respondet insuper *secundò* ad eandem objectionem, *non solùm gratis nos justificari, licet Pœnitentia Justificationis gratiam mereatur, quia donum DEI est Pœnitentia; sed etiam quia meritum illud, quod Patres agnoscunt ante peccatorum remissionem, non est meritum ex condigno, sed ex congruo, neque illi merces ex Justitiâ, sed ex Benignitate respondet*; ac breviter, *non est meritum simpliciter, sed aliquo* (saltem) *modo: Meritum enim ex condigno, & simpliciter non præcedit justificandum, sed sequitur justificatum*, ut Augustinus scribit, laudatis ex Eo locis, quæ infra in Quæstione de *solâ Fide* iteratò occurrunt, adeòque ibi ad debitum citandis Examen.

c. 6. seqq.

Epist. 105

Epist 106.

lib. 1. retract. c 23

in lib. 2. Quæst. 114. art. 5.

Nunc Bellarmino responderi debet partim ad objectam ex Augustino pro Contritionis effectu causali & meritorio authoritatem, partim quoque ostendendum venit, Ejus responsiones ad objectionem nomine adversariorum à se propositam præsenti Instituto non inservire, neque id defendere vel confirmare, quod jure debebant. Et quidem objectum ex Augustino de Ninivitarum pœnitentiâ testimonium quod attinet, argumentatur ibi Bellarminus à toto ad partem, id est, à Pœnitentiâ ad partem ejus, videlicet Contritionem, modo argumentandi minus valido, ut Logicæ discipuli norunt. Hinc omninò notari merentur verba, quibus hanc Ninivitarum Pœnitentiam ex ipsius Textûs circumstantiis *D. Hunnius* noster accuratissimè descripsit: *Primò operis vox* „ non de externo tantùm Jejunio, humiliatione atque precibus Ninivitarum intelligi„ tur, sed maximè omnium de internâ cordis conversione & Fide; nam hic additur a„ pertè, quod conversi sint à viâ suâ malâ. Jam autem Conversio vera semper habet „ inclusam Fidem, tanquam partem sui primariam. Quin imò Propheta explicitam „ facit mentionem Fidei, scribens: Et crediderunt Viri Ninivitæ in Deum. Quare Fi„ des est nobilissimum illud opus, cujus respectu ira Domini fuit aversa. Ad hæc, si ma„ ximè confirmare possent Papistæ, quod nec Fides nec Conversio sub operum nomine hic intelligerentur, quod tamen evincere in æternum haud possunt; tamen quia „ hic tantum de aversis temporalibus pœnis agitur, nec aliqua æternarum fit expressa „ mentio, nihil possunt proficere contra nos Pontificii, quandoquidem sponte largi„ mur, opera bona compensari à DEO, tametsi gratis, mitigatione vel etiam aver„ sione calamitatum & pœnarum corporalium. Æternæ verò pœnæ non nisi Fi„ de, quam Prophetæ Ninivitis tribuit, averti possunt; Fides enim arripit in „ verbo Promissionis gratiam DEI, & huic inclusam redemptionem *à condemna„ tione perpetuâ.* Libuit hanc Exegesin *Hunnianam* adponere, quam antehàc Præceptor meritissimus, *D. Johannes Schmidtius*, in Universitate Argentinensium Theologicæ Facultatis Antecessor, in Explicatione hujus Prophetæ publicâ auditoribus, interq;

oper. T. I. p. 639. & 640.

interq; eos mihi etiam insigniter commendavit; cui per omnia fere similis est *Esthiana*, ex Adnotationibus in difficiliora S. Scripturæ loca huc insuper adscribenda: *En operâ, ad quæ Deus* respexit. Primum est Fides, dicitur enim in præcedentibus, & credide-„ runt viri Ninivitæ in DEUM. Deindè, Conversio à peccatis ad Justitiam, de qua sic: „ Convertatur vir à via sua mala, & ab iniquitate suâ. Tùm, Oratio, quæ est signum fi-„ duciæ in DEUM ad veniam consequendam, quæ his innuitur verbis: clament ad „ Deum in fortitudine. Quartò, Pœnitentiæ opera & adflictiones corporales, de qui-„ bus: Prædicaverunt Jejunium, & vestiti sunt Saccis, à majori usq; ad minorem, & „ Rex ipse indutus est sacco, & sedit in cinere. Et quidem eos veram egisse Pœniten-„ tiam patet, tùm quod ob eam Deus iis pepercerit, tùm quod Christus dicat in Evan-„ gelio, Surgent Ninivitæ in Judicio, & condemnabunt generationem istam, eò quod „ Pœnitentiam egerunt, q.d, Pœnitentiam, quam Ego nunc prædico, & ista generatio „ non vult facere. Deindè etiam Concilium Tridentinum de Contritione differens „ Sess. 14. testatur, Ninivitas timore pœnarum utiliter concussos ad Jonæ prædicationem ter-„ cap. 4. roribus plenam egisse Pœnitentiam, & Misericordiam *à Domino impetrasse*. Quod Augustinus voce meriti usus fuit, quo id significatu accipi debeat, suo infrà loco indicabitur. Nunc cæteris, quæ hic porrò observari possent, Lectoris judicio commendatis, id etiam breviter ostendendum est, Bellarmini ex Augustino responsiones ad propositam à se objectionem omninò non quadrare. Quæstio enim est de Contritionis effectu, an nimirum causa sit remissionis peccatorum; Augustinus autem in testimoniis à Bellarmino laudatis non-nisi de effectu Fidei agit, cui an ex mente Patris Sancti, & quâ ratione Meritum adscribatur, itidem infrà occurret, ubi simul monebitur, quid de *retractatione* Ejus habendum sit, & num aliquod meritum propriè dictum, sive ex condigno, sive ex congruo, homini etiam justificato adtribui de jure possit. Malè ea inter iterùm argumentatus est Bellarminus ab effectu Fidei, quam Pœnitentiæ partem primariam diximus, ad effectum Contritionis, quæ prior quidem & Fidem ordine antecedens pars est, & quod aliqui sano admittunt sensu, *causa sine quâ non* remissionis peccatorum, cùm absque contritione Divinitùs requisitâ & omninò in pœnitente necessaria non fiat remissio peccatorum; nullo tamen modò meritum dici potest impetrandæ à DEO reconciliationis, quod soli Christo debetur, vel causa etiam verè influens in effectum, ex quocunq; etiam genere causarum, aut medium aliquod adprehendendæ ex Evangelio Gratiæ, quo nomine solam venire Fidem, infra itidem ex Augustino demonstrabitur.

CAPUT DECIMUM SEPTIMUM,

De

Contritione imperfectâ seu Attritione, an ea utilis & bona sit?

PRætermissâ iterùm Quæstione de Contritione *cum voto Sacramenti*; i. e. Absolutionis, ut vocat Sacramentalis, num videlicet ante eam, & sine eâ etiam, peccata homini remittantur, utpotè quam Bellarminus non tam contra Evangelicos, quàm contra *Scriptorem quendam Catholicum* tractat, etsi non pauca quoad Augustini authoritatem ibi non semel occurrentem animadversione digna inveniantur; neq; etiam eâ sub Examen susceptâ, quæ de *peccato in Spiritum Sanctum* agit, utpotè ipso agnoscente & per diversas quinque observationes demonstrante Bellarmino, *Augustini* de eo Sententiam aliqua quidem ex parte veram esse, videri tamen defendi non posse; contra quem tamen post alios, ante annos non ita multos, Theologus Lipsiensis hodiè primarius, Dn. D. *Scherzerus*, in peculiari de hoc Peccato in Spiritum Sanctum Dissertatione ostendit, c. 10. lit. I. varium in definiendo hoc scelere *Augustinum* fuisse, Eumque variantibus de eo opinionibus occasionem dedisse Doctoribus Papæis ad constituendum sex ejusdem peccati species diversas, ipsumque antehàc *Thomam Aquinatem* ex variis Augustini definitionibus numerum earum probasse senarium, *Canisio* etiam in Summâ Doctrinæ id ita exponente; omissis inquam vice hâc duabus hisce Quæstionibus, non ita inter nos controversis, ut propter eas aliquod à Tridentinis anathema nobis sit metuendum, ad eam nos conferimus, quæ de Contritione agit imperfecta, sive potius *Attritione, ortâ ex metu pœna*, de quâ Bellarm. litem esse dicit, bonane sit, an utilis, apertè removens à statu Controversiæ *timorem naturalem*, quem dicit esse passionem quandam partis inferioris; *timorem* quoq; *mundanum*, cùm quis ita pœnas à rebus creatis infligendas metuit, ut propterea in

Creatorem peccare non metuat, qualis in Petro Christum negante fuerit; *timorem* insuper *pœnæ*, quem peccatoribus ipsum comminari DEUM scribit, sed cum timore offensionis Divinæ ita conjunctum, ut licet homo vehementer pœnam, magis tamen DEI offensionem metuat; solum verò *timorem* hic intelligens, quem propriè dicit esse *servilem*, hâc cum descriptione, quo videlicet peccator ita Deum timeat punientem, *ut solius pœnæ fugiendæ causâ à peccatis caveat perpetrandis, & de jam perpetratis doleat,*

in Ps. 118. Conc. 25. Augustino hunc timorem ita explicante: *Timor, quo non amatur justitia, sed timetur pœna, est servilis, quia carnalis, & ideò non crucifigit carnem; vivit enim peccandi voluntas, quæ tunc adparet in opere, quando speratur impunitas. Cum verò pœna creditur secutura, latenter vivit, vivit tamen; mallet enim licere, & dolet non licere, quod Lex vetat, quia non spiritualiter ejus bono delectatur, sed carnaliter malum metuit, quod minatur.* Et ad hujus timoris tanquam boni & utilis ultroneam demonstrationem, post aliqua S. Scripturæ dicta & antiquorum Ecclesiæ Doctorum testimonia, sequentibus etiam duobus Augustini locis utitur Bellarminus, quorum prior in illud Regii Psaltis, Beati omnes, qui ti-

in Ps. 127. ment Dominum, ita habet: *Ille timor nondum castus præsentiam Domini & pœnas timet, timore facit, quidquid boni facit, non timore amittendi bonum illud, sed timore patiendi illud malum. Non timet, ne perdat amplexus pulcherrimi Sponsi, sed timet, ne mittatur in*

Tract. 9. in Epist. Joh. *Gehennam. Bonus est iste timor & utilis.* Posterior hic est: *Stimulat timor, sed noli timere, intrat charitas, quæ sanat, quod timor vulnerat. Timor DEI sic vulnerat, quomodo ferramentum Medici tollit putredinem. Opus est ergò, ut intret primò timor, per quem veniat charitas. Timor (est) medicamentum; Charitas (est) Sanitas.* Addit Bellarminus etiam rationes, & post alias hanc quoque: *Non solùm Deus est causa hujus timoris, sed probabile*

Isa. 11. *etiam est, hunc eundem timorem inter illa præclara septem dona Spiritus Sancti numerari,* ut ex Scholasticis docuerunt Alexander & Bonaventura, & ex antiquis Doctoribus præter Gregorium, Augustinus, in loco postremùm citato docens, *Timorem esse servilem,* de quo

Prov. 1. loquitur Salomo, cùm ait: *Initium Sapientiæ (est) Timor Domini*, quod etiam docent Basilius, Bernhardus & Lombardus cum Theologis Scholasticis. Idem Augustinus alibi, ita pergit Bellarminus, ut & Gregorius scribunt, *de eodem timore locutum esse Salo-*

lib. 1. de Serm. Dn. in monte, cap. 9. *monem & Esaiam, qui inter Sancti Spiritus dona ultimo loco posuit Spiritum Timoris Domini.* Subjungit Bellarminus; igitur ex Sententiâ Gregorii & Augustini inter septem Spiritus Sancti dona suum timor servilis locum habet. Adde, ita porrò Bellarminus, quod post

de Grat. & lib. arb. c. 18. Gregorium Augustinus iterum alibi docet, *Spiritum Timoris Domini, quem Esaias inter dona Spiritus Sancti posuit, non esse timorem illum, quo Petrus Christum negavit, sed illum,*

Matth. 10. *de quo Dominus ait, Timete eum, qui potest corpus & animam perdere in Gehennam,* qui quidem timor, inquit Bellarminus, est servilis, saltem secundum substantiam. Hæc omnia pro timore servili & attritione ex eo proveniente ad Sententiam Augustini, ut videri voluit, Bellarminus, Synodi Tridentinæ Decreto subnixus, ad quæ antequàm ex debito respondeatur, in antecessum notari debet, *Lutheri*, contra quem Bellarminus potissimùm tractavit hanc Quæstionem, non fuisse Sententiam, quasi omnis timor, quem dicit, servilis, & proveniens exindè Attritio in se simpliciter & absolutè sit improbanda, sed scribendo, *Attritionem, quæ vulgò audit Contritio imperfecta, ex timore illo servili ortam facere hominem hypocritam & magis peccatorem,* QUAM EIUS Sententiam Pontifex Leo X. primùm in Bullâ, post Synodus Tridentina Decreto peculiari damnavit, locutum esse de *Attritione, quæ careat & destituatur verâ fide,* atque ita statuisse contra Theologos ante se Scholasticos, communiter statuentes, *hominem pœnitentem ex attrito fieri virtute Absolutionis contritum, & sic contritum* juxta Sententiam in proximè antecedentibus à Bellarmino, frustra quamvis, defensam, *virtute hujus Contritionis, tanquam per causam aliquâ ratione efficientem & respectu meriti, quod eidem adscribitur, justificari & remissionem peccatorum impetrare.* Explicatio hæc Sententiæ Lutheri si observetur, non parum inservire potest ad depellendam ab Evangelicis Doctoribus injuriam à Bellarmino illatam, quasi ab hac Lutheri Sententia recesserint, communiter jam docentes, *utilem esse timorem pœnæ, ac exindè Pœnitentiam inchoari*; quæ nimirum non alia est à Lutheri Sententiâ, sed planè eadem, amplius explicata saltem, âque doctrinâ Scholasticorum purificata, contra quam post Lutherum hoc etiam Seculo *Iansenius*, Prof. antehàc *Lovaniensis*, Episcopus postmodum *Iprensis*, in medio Ecclesiæ Romanensis gremio, gravem scripsit invectivam, tale singulari cuidam capiti in Augu-

Tom. III. l. V. c. 33. stino, *Romæ* non sine multorum contradictionibus & factis in publico Protestationibus damnato, lemma præfigens: *Repugnat magnoperè Augustino doctrina, quâ docetur, dolorem peccati*

peccati propter Gehennæ metum, seu Attritionem quorundam Scholasticorum posse omnem peccandi voluntatem excludere, & continere propositum bonæ vitæ seu servandi totam DEI Legem, itemque esse dispositionem sufficientem ad Justificationem cum Sacramento obtinendam. Et ubi de priore hujus præscripti Lemmatis parte è pluribus Augustini testimoniis egit, à principio statim capitis suam de Scholasticorum doctrinâ ex Augustini mente indicans Sententiam verbis sequentibus: *Non satis profectò intelligere queo, quid sibi velint Scholasticorum nonnulli, dum peccati dolorem ex pœnarum timore pullulantem tantopere extollunt, ut eam omnem etiam peccandi voluntatem excludere, & benè vivendi propositum includere putent, quo nihil in Augustini doctrinâ absurdius & falsius dici potest*; de posteriori porrò ita scripsit: *Sed majori fortassis admiratione dignum est, quod iidem, Doctores nimirùm Scholastici docent, dolorem, quo quis de peccatis ex solo pœnarum infernalium timore dolet, eaq; detestatur, quam vocant Attritionem, esse sufficientem dispositionem ad Justificationem in Sacramento Pœnitentiæ aut Baptismi recipiendam.* Addit Iprensis: Dolor „ enim iste, cùm ex amore suiipsius & salutis suæ corporalis oriatur, non majoris pretii „ est apud DEUM, neque majorem ad Justitiam adquirendam habet proportionem, „ quàm amor, quo quis integritatem diligit sui corporis. Quo autem pacto talis amor „ sui ad Justificationem possit disponere, fateor, prorsus non intelligo. Nec enim „ convertit animum in DEUM, à quo per peccatum erat aversus; nec avertit eum ab „ injustitia peccatorum, sed à doloribus, quos paritura sunt, cùm tamen utrumque ad „ Justificationem prorsus sit necessarium. Nam quod ipsi dicunt, attritionem hujus- „ modi in se continere voluntatem omnia relinquendi peccata, & falsum est, & impossi- „ bile. Et quamvis esset verum, non tamen hujusmodi dolor esse posset dispositio ad „ Justificationem; non enim dolor aut qualiscunque peccati declinatio, sed causa est „ intuenda. Quidquid enim ex aliquo feceris motivo, non majoris aut meriti aut pre- „ tii est in oculis DEI, quàm causa, quam intueris. Ex quo fit, ut si non aliqua tantùm, „ sed omnia etiam vitare poneretis peccata, quia ex Fide didicisses, ea DEO vindice „ infamiam in hoc Mundo, paupertatem, dolores corporis intolerabiles, ipsamq; mor- „ tem esse paritura, totus ille peccatorum dolor ac detestatio, quamvis Fide præce- „ dente nasceretur, non plus valeret judicio DEI, quàm amor ille, quo sine infamiâ, „ paupertate & doloribus corporis in hoc Mundo vitam propagare concupiscerес. „ Nec enim est existimandum, idcircò dolorem aliquem aut adfectum esse supernatu- „ ralem, quia Fides proponit ejus objectum. Etiam Fide aliquid proponente dolor „ aut amor naturalis exercere potest adfectus & actus suos. Nam & Gentiles & Ma- „ hometani, qui Supplicia (credunt &) crediderunt futura, verissimo & ejusdem ra- „ tionis pœnarum terrore percelluntur, quia verissimo sui ipsius & ejusdem rationis „ amore detinentur. Et si pœnæ Inferni oculis corporalibus sine Fide in hâc cernerent- „ tur vita, eodem prorsus modo amor sui concussus timore vehementi istas exhorre- „ sceret pœnas. Sed quid magnum est, corporis integritatem diligere, & pœnas ejus „ formidare? Ipsa peccata DEIq; offensæ sunt detestandæ, erga quas etiam cùm omnia „ timendo cavet peccata (homo,) eodem se prorsus habet modo, ac ante, quàm ea „ devitare cœpisset. Quod enim offendunt DEUM & ab Eo animum avertunt, nulla „ pœnas timentibus est cura, sed tantummodò, quod sibimetipsis nocent. Ex quo fit, „ ut non solùm inviti sint (boni,) & mallent aliud, & per hoc voluntate sint rei; sed „ etiam perspicuè in sui ipsius amore hæreant, nihil omninò de ullâ sui finis, ad quem „ omnes adfectus & actus nostri debent retorqueri, dilectione satagentes, cujusmodi „ dispositio animi quomodo ad Justificationem possit disponere, fateri cogor, meum „ omninò *superare captum.*

Hæc omnia ibidem ad Augustini mentem *Iprensis*, multa in Doctorum Scholasticorum Sententiâ notans, multa etiam ad orthodoxię confirmationem observatu digna habens, quæ ad præsens Institutum quam maximè pertinentia videbantur, & hinc Lectori Veritatis studioso oblatâ hâc occasione omninò communicanda, ad quæ melius eâ ex parte, quâ de Scholasticorum opinione agitur, intelligenda, ne vel *Lutherus*, vel *Jansenius* eis quidquam præter debitum adscripsisse videatur, post ea, quæ in *Vindiciis Evangelico-Thomisticis* de Cajetani in Seculo priori, & *Caramuelis* hodiè apud suos celeberrimi & se- p. 542. & quacium, quos Ipse laudat, nimirum *Becani*, *Laymanni*, *Fagundez*, *Coninch*, *Fabri*, *Dianæ* 543. Sententia satis prolixè fuerunt adducta, quibus similia non pauca in decima Epistolarum *Montaltii*, ac Notis *VVendrockii* ad eam leguntur, pluribus in contrarium citatis Augustini testimoniis, ad quæ quid responderit *Stubrockius*, proximè videbimus; præter hæc inquam & plura his similia inservire potest, quod post omnes alios

ferè nuper modò *Bordonus*, Ordinis S. Francisci, in *Propugnaculo opinionis probabilis*
cap. 7. §. 77. & 78. *in concursu probabilioris*, non quidem ex professo hanc tractans Controversiam, sed exempli gratia tantùm proponens scripsit, *Certissimum esse quidem de Fide, Contritionem esse materiam essentialem Sacramenti Pœnitentiæ, nihilo tamen minus omnes ferè Theologos asserere probabiliter valdè, etiam Attritionem ut talem cognitam esse ejusdem Sacramenti materiã sufficientem ad valorem Sacramenti Pœnitentiæ, juxta Decretum Synodi Tridentinæ, quo declaratur Attritio esse donum DEI, & Spiritus Sancti impulsum, non adhuc quidem inhabitantis, ad differentiam Contritionis, quâ Deus inhabitat in contrito ante Absolutionem, sed moventis tantùm, quo pœnitens adjutus viam sibi ad Justitiam parat, quâ, uti verâ Sacramenti parte posita, melius declaratur Sensus effectus verborum Absolutionis à peccatis. Nam*, ita porrò explicat Bordonus diversum Contritionis & Attritionis effectum, *ex præmissa Contritione Sacerdos non dicitur absolvere à peccatis, cùm jam Contritione sint deleta, sed per ea verba dicitur declarare, pœnitentem fuisse jam à peccatis absolutum per actum Contritionis; absolvi verò à peccatis ex præmisso solius Attritionis actu, per quam non remittitur peccatum attritum, nisi per absolutionem Sacramentalem.* Addit pro confirmatione hujus Sententiæ, *Vericellum*, Scriptorem novitium, *putare cum Theologis gravissimis, esse temerarium, falsum & erroneum, negare, ad gratiam in hoc Sacramento præmerendam non sufficere Attritionem.* Hæc ibi novissimè *Bordonus*, quæ Lutherum, & pòst quoque Jansenium satis possunt defendere, ne Scholasticis, alienam illis in hâc Quæstione Sententiam adscribendo, aliquam intulisse videantur injuriam, cùm Sententia hæc de Attritionis effectu & ad promerendam in Sacramento Pœnitentiæ gratiam Absolutionis & Remissionis peccatorum sufficientiâ non solùm ante Lutherum apud plures obtinuerit Scholasticos, sed & hodienum, & quidem ad Tridentinæ Synodi præscriptum, apud plerosq; obtineat, & contra quosvis rigorosissimè defendatur. Non est, ut quæ notissimi hodiè *Moralis Theologiæ* Scriptores hâc de Controversia hinc indè in suis legi voluerunt libris, cum tædio Lectoris copiosè huc adscribam, brevitatis ubique studiosissimus. Id tamen prætermittere non possum, *Honoratum Fabri*, pòst *Bordonum* modò laudatum, nuperrimè *Apologetico Doctrinæ Moralis*, quæ hodiè utplurimùm in Societate Ignatii viget, inter plura hujus generis Scripta inseruisse etiam tria *Maximiliani le Dent*, Prof. Lovaniensis, contra *Christianum Lupum*, & *Franciscum Faroacques*, Ord. Eremitarum S. Augustini, *de Attritione ex metu Gehennæ, ejusq; cum Sacramento Pœnitentiæ sufficientia, juxta mentem Synodi Tridentinæ*, opuscula, in quibus pòst multam Lutheri, *Jansenii* & quorundam aliorum mentionem, inprimis Augustini etiam authoritas, quæ hic loci quam-maximè attendi debet, non semel locum habet, & quidem non solùm laudatis augustissimi Doctoris pro *Attritione ex metu Gehennæ* testimoniis, sed & addita prolixiori per integra decem capita responsione ad ea, quæ hujus Sententiæ adversarii ex variis Augustini libris in medium producere solent. Priorem occupabunt locum ea, quæ pro *Attritione ex metu Gehennæ*, pòst Bellarminum ex Sancto Patre collegit Doctor Lovaniensis, ut in genere ostendat, *Timorem cohibere homines à peccato*, diversis quatuor classibus exhibita, quarum prima sequens fistit: *Alius non in hac terrâ pati timet, sed Gehennam timet;*
in Ps. 127. *undè Dominus etiam terruit*, (dicens:) *Vermis eorum non morietur, & Ignis eorum non extinguetur. Audiunt hæc homines, & quia verè futura sunt impiis, timent & continent se à peccato. Habent timorem, & per timorem continent se à peccato. Timent quidem, sed non amant Justitiam. Cùm autem per timorem continent se à peccato, fit consuetudo Justitiæ.* Quia verò non nescivit, hunc Augustini locum ita ab aliis explicari, ut Instituto minus inservire videatur, ideò de vindiciis contra adversarios fuit sollicitus, ita scribens: *Lutherus hunc locum sic explicat*, continet se à peccato, *scilicet*, externo, *quam explicationem etiam alii quidam sunt amplexi. Egregia profectò glossa, quasi adeò stupidi sint homines, ut nesciant, voluntates malas Gehenna puniri, ideòque ad hanc vitandam sufficere credant, si contineant*
Serm. 19. de Verb. Apost. *membra & manus; quasi ignorent illud Augustini*: DEUS cor interrogat, non manum. *Deindè, si de externo tantùm agat peccato, manente intus peccaminosâ voluntate, quomodo diceret*, per timorem fieri consuetudinem Justitiæ, *cùm fiat consuetudo peccandi in Sententia P. Lupi, interno nempè peccato, undè omnis externi peccati radix & origo.* In secun-
Epist. 120. ad Honor. da classe hic locus commendatur: *Timor non est in charitate, sed perfecta charitas foras mittit timorem. Proindè præmissus timor in cor nostrum, pellit indè consuetudinem operum malorum, & servat charitati locum.* Doctor Lovaniensis hanc addit Glossam: *Augustinus agit hic de timore, quem expellit Charitas, adeòq; de servili, adserit q, hunc intrantem in Cor, indè, id est, ex corde seu voluntate consuetudinem operum malorum pellere;*

mala

mala autem opera cordis sunt actus interni. Iuxta P. Lupum verò timor servilis auget & roborat consuetudinem operum malorum in corde. Absit etiam, ut senserit Augustinus, quod actus, qui sine peccato esse non possit, præparet locum charitati. Ad tertiam porrò classem pertinere scribit duo sequentia Augustini loca, *quibus eandem vim ineſſe timori Iudicii & Mortis agnoscat.* Prior hic est: *Cæpit timere diem Iudicii, timendo corrigit se, vigilat adversus hostes suos, id est, peccata sua; incipit interius revivisc ere, & mortificat membra sua, quæ sunt super terram, sicut dicit Apostolus:* Mortificate membra vestra, quæ sunt super terram. *Spiritualia nequitiæ dicit membra super terram; nam sequitur & exponit Avaritiam, immunditiē, & cætera, quæ illic exequitur.* Addit iterùm loco Glossæ Doctor Lovanienſis: *Per timorem ergò corrigit se homo, vigilat adversus peccata sua, mortificat spiritualia nequitiæ, quæ enumerat Apostolus juxta Augustinum. Atqui agit eo in loco Apostolus de peccatis etiam internis, ut patet ex contextu & scopo. Ergò etiam ab internis corrigit & mortificat seſe homo per timorem. Adverte etiam, quàm egregia sit contra hostes vigilia in P. Lupi Sententiâ, nempè talis, cùm quâ necessariò hostis, id est, internum* (quoque) *peccatum admittitur.* Tract. 9. in Epist. Joh.

Posterior autem locus ita habet: *Nihil sic revocat homines à peccato, quem ad modum mortis imminentis cogitatio.* Addit hic quoque Timoris Encomiastes: *Hunc locum cùm Luthero objiceret Eckius,* addit: *Adhuc quatis caput, Luthere? Timor mortis imminentis revocat homines à peccatis.* Lib. II. de Gen. c. Manich. cap. 28.

Quarta & ultima classis hæc depromit: *Denique juxta Augustinum timor Gehennæ & desiderium Vitæ æternæ facit, ut homo tormenta & mortem contemnat, irrideat totum Mundum & bona temporalia. Ergo multò magis efficiet, ut abstineat ab actu quopiam inefficaci, aut alio quocunque, quem homo facillimè comprimeret, si propter illum sola Mors temporalis aut tormenta in corpore essent toleranda.* Lib. I. de Pœnit. cap. 12.

Hanc classem tribus Augustini testimoniis instruit. Primum est: *Quod supra homines est, time, & homines te non terrebunt. Mortem sempiternam time, & præsentem non curabis. Voluptatem illam incorruptam & sine labe quietem concupisce, & promittentem ista temporalia dona, & totum deridebis Mundum. Ama ergò & time. Ama quod promittit Deus; time quod minatur Deus; nec corrumperis ex eo, quod promittit, nec terreberis ex eo, quod minatur homo.* in Pſ. 63.

Secundū: *Habuerunt quidē & illi, id est Tyranni, verba minacia, Proscribo, occido &c. Sed Tua me potius verba terruerunt:* Nolite timere eos, qui occidunt corpus &c. *Ab his verbis tuis formidavit cor meū, & contemsi Persecutorē meū, & vici Diabolum.* in Pſ. 118. Conc. 30.

Et in sequentibus: *Per ea vicit verba,* nimirū David, *à quibus formidavit.* Tertium denique: *Præmisit Dominus, nolite timere eos &c. Majore timore minora contemnimus, & majore æternitatis cupiditate omnia fastidimus temporalia; nam & hic temporales delitiæ sunt dulces, & tribulationes temporales sunt amaræ. Sed quis non bibat tribulationis temporalis poculum metuens ignis Gehennarum, & quis non contemnat dulcedinem Seculi inhians dulcedini Vitæ æternæ?* in Pſ. 86.

Hæc omnia ex Augustino Doctor Lovanienſis pro Attritione ex metu Gehennæ, & ut in genere ostendat, *Timorem cohibere homines à peccato.*

Nunc ante, quàm prolixa Ejus responsio ad ea Augustini testimonia sequatur, quæ contra hunc timorem à parte adversariâ urgeri solent, & ipse dicit *suis avulsa locis, vel malè intellecta,* non tamen ea verbotenus Lectori ausus exhibere; inter omninò est, ea hic adponere, & eo quidem ordine, quo dictus ante *VVendrockius,* Salisburgensis, ut nominari voluit, Theologus, ad decimam *Montaltii* Epistolam recensuit, ut nimirum & *Stubrockii,* qui Viennensem se scripsit Theologum, *in Notis Notarum,* & Doctoris, quem præ manibus nunc habemus, Lovanienſis responsiones eò facilius liceat expendere, an satis suo fecerint officio, atque Augustinus pro Attritionis & timoris Gehennalis fautore sit habendus. Ex quinque autem diversis Augustini operibus testimonia ibi perplura laudantur, & quidem *primò* ex opere de Spiritu & Literâ, ubi sequentia leguntur: *Vndè illis Lex iram operabatur, abundante peccato, quod à scientibus perpetrabatur? Quia & quicunque faciebant, quod Lex jubebat, non adjuvante spiritu Gratiæ, timore pœnæ faciebant, non amore Iustitiæ; ac per hoc coràm Deo non erat in voluntate, quod coràm hominibus adparebat in opere, potiusque ex illo rei tenebantur, quod eos noverat malle, si fieri posset, impunè committere.* pag. m. 268. & seqq. Edit. Helmstad. cap. 8.

Et ibid. *Nec audiunt, quod legunt, quia non justificabitur ex Lege omnis caro coràm Deo; potest enim fieri coram hominibus, non autem coràm illo, qui cordis ipsius & intimæ voluntatis est inspector, ubi videt, etiamsi aliud faciat, qui legem timet, quod tamen mallet facere, si liceret.* Porrò: *Ex hâc promissione, hoc est, Dei beneficio ipsa lex impletur, sine quâ promissione prævaricatores facit, vel usque ad effectum mali operis, si etiam repagula timoris concupiscentiæ flamma transcenderit; vel certè in solâ voluntate, si timor pœnæ suavitatem libidinis vicerit.* cap. 19.

Præterea: *Quoniam & illi, qui timore pœnæ Iustitiam suam facere conantur, & ideò non faciunt Iusti-* cap. 32.

Iustitiam Dei, quia charitas eam facit, quâ non libet, nisi quod licet, non Timor, qui cogitur ire opere habere, quod licet, cùm aliud habeat in voluntate, quâ mallet, si fieri posset, licere, quod non licet. Et illi ergò credunt Deo; nam si omnino non crederent, nec pœnam Legis utique formidarent. Insuper: *Si in ipso corde aliquid ita cogitet, ut mallet licitum, quod male delectat,* cap. ult. *& per Præceptum scitur illicitum; etiam ista quippè consensio est peccatum, quod utique fieret, nisi pœna terreret.* Sequitur nunc *secundò* testimonium ex opere de Naturâ & Gratiâ, ubi Sanctus Pater ita: *Sub lege est, qui timore Supplicii, quod lex minatur, non amore Iustitiæ se* cap. 57. *sentit abstinere ab opere peccati, nondum liber nec alienus à voluntate peccandi. In ipsâ enim voluntate reus est, quâ mallet, si fieri posset, non esse, quod timet, ut occultè faciat, quod occultè desiderat.* Succedunt jam *tertiò* ex libris ad Bonifacium contra duas Pelagianorum Epistolas augustissimi Doctoris testimonia, quibus ita suam de hâc Quæstione expressit mentem: *Non moveat, quod ad Philippenses scripsit Apostolus, secundum Iustitiam, quæ ex* lib. 1. c. 9. *lege est, quod fuerit sine querelâ; potuit enim esse intus in adfectionibus* (aliàs, adfectionibus pravis) *prævaricator Legis, & tamen conspicua Legis opera implere vel timore hominum, vel ipsius Dei, sed pœnæ formidine, nec dilectione & delectatione Iustitiæ. Aliud est enim voluntate benefaciendi benefacere, aliud autem ad malefaciendum sic voluntate inclinari, ut etiam faceret, si hoc posset impunè permitti; nam sic profectò in ipsâ intùs voluntate reus est, qui non voluntate, sed timore non peccat.* Et iterùm: *Quandò autem timore pœnæ, non amore Iustitiæ* L. II. c. 9. *fit bonum, nondùm benè fit bonum; nec fit in corde, quod fieri videtur in opere, quando mallet homo non facere, si posset impunè.* Adhuc ampliùs: *Illi etiam, quicunque ibi erant,* Lib. III. cap. 4. *scilicet in populo Judæorum, sola, quæ ibi Deus pollicetur, terrena sectantes promissa, & quid pro Novo Testamento ea ipsa significarent, ignorantes, eorum adipiscendorum amore, & amittendorum timore Dei præcepta servabant, sed sibi servare videbantur; neque enim Fides in eis per dilectionem operabatur, sed terrena cupiditas metusque carnalis. Sic autem præcepta qui facit, procul dubio invitus facit, ac per hoc in animo non facit; mavult enim omninò in animo non facere, si secundum ea, quæ cupit & metuit, permittatur impunè ac per hoc in ipsâ intus voluntate reus est, ubi ipse inspicit Deus, qui præcipit.* Accedit *quartò* testimonium ex opere Epistoli- Epist. 144. ad Anastas. co, ubi hæc inter alia leguntur: *Inaniter putat, victorem se esse peccati, qui pœnæ timore non peccat; quia etsi non impletur foris negotium malæ cupiditatis, ipsa tamen cupiditas mala intus est hostis. Et quis coram Deo innocens invenitur, qui vult facere, quod non licet fieri; sed ideo non facit, quia impunè non potest.* Super adhuc sunt tandem & *quinto* ex opere Enarrationum in Psalmos duo testimonia, quorum prius ita habet: *Poterat putari Lex operum quasi* in Psal. 77. *sufficere ad Iustificationem, cùm ea, quæ præcipiuntur, forinsecùs fiunt ab eis hominibus, qui mallent non præcipi, quæ non ex corde faciunt, & tamen faciunt, ac per hoc quasi videntur ambulare in lege DEI, sed nolunt ambulare, non enim ex corde faciunt; ex corde autem nullo fieri potest modo, quod sit formidine pœnæ, non dilectione Iustitiæ. Nam quantum attinet ad facta, quæ forinsecus aguntur, & qui timent pœnam, & qui amant Iustitiam, non fuerantur, & ideo pares sunt manu, dispares corde; pares opere, dispares voluntate.* Posterius idem est, quo Bellarminus pro se, id est, pro commendando hoc timore servili vel potius Gehennali ex Concione vigesimâ & quintâ in Psalmum centesimum decimum & octavum est usus, quibus Augustini testimoniis laudatus Notarum in *Montalii* Epistolas Scriptor subjunxit, hanc Augustissimi Patris doctrinam ita certam esse, ut ex illâ Summi Pontifices formulam juris condiderint: *Qui ex timore facit præceptum, aliter quàm debeat* in Decret. tit. de Regul. pag. 165. *facit, & ideò jam non facit.* Ad hæc omnia & singula *Stubrockius*, quem se Viennensem scribere Theologum dixi, in Notis Notarum breviter pro more, adeoque & minori labore respondet: *Cuncta hæc frustrà, Augustinus enim illum duntaxat timorem merè servilem damnat, quo quis à peccato exterius abstinet in opere, cui tamen adfectu in voluntate adhæret. Hinc reus est*, inquit, *in ipsâ voluntate, qui vult facere, quod non licet fieri; sed ideo non facit, quia impunè non potest. Imo omnia illa Augustini loca servilitatis vitium eo explicant modo, quo à me suprà est explicatum.* In paginâ proximè antecedanea hæc leguntur: *Si quis merâ duntaxat servilitate duceretur, id est, ita esset adfectus erga peccatum, ut illud omnino vellet admittere, nisi pœna foret subeunda, haud dubiè ille timor merè servilis esset vitiosus, nec ad legitimam sufficeret attritionem. Hinc per timorem servilem bonum ita homo timet pœnam, ut amet Iustitiam, id est, ut excludat voluntatem peccandi, igitur includat voluntatem benè agendi, id est, Iustitiæ & rectæ vitæ amorem. Cuncta hæc sine charitate possunt esse, ad eam tamen in Sacramento conducunt.*

Hæc Ille ibi, prolixius autem, & quidem, ut dixi, per Decem capita respondet laudatus ante Doctor Lovanienſis, omninò audiendus, ut quid verè de Augustini Sententia

tia in hac Quæstione non minoris, ut videtur, momenti habendum sit, pateat. *Notandum*, inquit, *primò*, Sanctum Patrem per timorem servilem sæpè intelligere timorem humanum & malorum temporalium; timorem verò extremi Judicii, timorem pœnarum æternarum, & amorem præmii cœlestis vocare timorem castum. Sic intelligit libro de Sancta Virginitate, ubi adhortans Virginem ad timorem Domini subdit: *Timor quidem non est in charitate, sed perfecta charitas foràs mittit timorem, sed timorem hominum, non timorem DEI, temporalium malorum, non divini in fine Iudicii.* *Timor autem, qui foràs mittitur à charitate*, etiam juxta adversarios, est omnis & solus timor servilis; ergò timor judicii & æternorum malorum non est timor servilis juxta Augustinum, qui ibidem infrà scribit: *Dicit Apostolus, Non accepimus Spiritum servitutis iterùm in timore, sed Spiritum adoptionis filiorum. Illum credo dicere timorem, qui datus erat in V. Testamento, ne amitterentur bona temporalia, quæ Deus promiserat nondum sub Gratiâ liberis, sed sub lege adhuc servis. Est etiam timor Ignis æterni, propter quem devitandum Deo servire, nondum est utique charitatis perfectæ.* Ubi Spiritum servitutis in timore explicat de timore temporalium malorum, de timore verò Gehennæ tantummodò dicit, ex illo motivo servire Deo nondum esse charitatis perfectæ, quod apud omnes est in confesso. Et iterùm: *Alius timor permanet, alius excluditur. Timor qui excluditur castus non est, qui autem permanet, castus est. Quis est timor, qui excluditur? Dignamini animadvertere. Aliqui propterea tantum timent, ne quid mali in terrâ patiantur, ne illis ægritudo accedat* &c. *Adhuc timor iste non est Castus.* Similia habet alibi. Quidcunque autem dixerit Augustinus de timore Servili, prout significat timorem mundanum & malorum temporalium, nihil urget contra spem boni, vel metum mali æterni, de quibus hic tantùm agimus. *Porrò*, de timore mali temporalis & quidem ab homine infligendi manifestè agit Augustinus Sermone post decimum nono de verbis Apostoli, ubi cùm laudasset eos, qui inventam pecuniam suo reddunt Domino, etiam dum nullus adest inventæ pecuniæ testis, pergens ad illos, qui non reddunt, quandò sine teste repetiunt, ait: *Quod invenisti, & non reddidisti, rapuisti. Qui alienum negat, si posset, &* (illud) *tolleret. Quod non tollis, timor prohibet; non bonum facis, sed malum metuis.* Quid est magnum, timere malum? *Magnum est non facere malum, magnum est amare bonum. Nam & latro timet malum, & ubi non potest, non facit, & tamen Latro est.* Deus cor interrogat, non manum. *Lupus venit ad ovile ovium, quærit invadere, jugulare, devorare. Vigilant pastores, latrant canes, non aufert, non occidit, sed tamen Lupus venit, lupus redit. Numquid quia ovem non tulit, ideo Lupus venit, & Ovis redit? Lupus venit fremens, lupus redit tremens; Lupus est tamen & fremens & tremens. Interroga ergo te & vide, si tunc non facis malè, quando potes facere, & ab homine non puniris; nemo est ibi, nisi tu & ille, cui facis malum, & Deus, qui ambos videt, hoc time.* Hunc Augustini locum sæpè inculcat P. *Lupus*, & ex eo probat, Gehennæ timorem cohibere tantùm ab externis peccatis, manente interim in animo voluntate perversâ. Verum non satis considerate hunc locum adfert ad id probandum, idque duplici ex capite. *Primum* est, quia illo in loco agit Augustinus de peccato, quod opere est completum, nempè de inventæ rei iniquâ detentione. Ex eo autem, quod quis comparente Domino neget, rem à se inventam, eamque detineat, colligit Augustinus, quod etiam raperet rem alienam, nisi pœnam ab homine timeret. *Alterum est*, quia agit de timore pœnæ ab homine infligendæ, non autem de timore Gehennæ, aut pœnâ à Deo infligendâ. *Similiter* dum alibi Augustinus ait, *Timor pœnarum, etsi nondum habet delectationem bonæ Conscientiæ, saltem intra cogitationis claustra malam coercet cupiditatem*; quibus verbis passim utuntur Adversarii; hoc inquam loco evidenter agit de timore pœnæ Legibus humanis constitutæ, ut totus indicat contextus. Quo eodem sensu dixit alibi: *Pœna corporis etsi non à voluntate, revocat tamen ab opere peccati; nec facilè quisquam est, qui palàm committat, quod per illicitam & immundam percipiat voluptatem, si cruciatus vindictæ certum est continuò secuturos.* Et hinc notandum *Secundò*, nihil nos urgere omnia illa Augustini testimonia, quibus aliquid statuit de timore pœnæ, non addendo, quod agat de pœnâ Gehennæ: nam illa explicari commodissimè possunt de timore pœnæ à Judice humano infligendæ, de quo, ut vidimus, alibi sæpè agit, & quem certissimum est non excludere voluntatem peccandi internam. Hoc explica modo, quod dicit Concione vigesimâ & quintâ in Psalmum centesimum decimum & octavum. *Notandum tertiò*, nihilo plus urgeri nos, sed adversarios potiùs, illis Augustini testimoniis, in quibus præter timorem pœnæ requirit tantùm, ut adsit Amor ac desiderium Vitæ æternæ. Fatentur enim Adversarii, eandem planè rationem esse desiderii Vitæ æternæ, & timoris Gehennæ. *Porrò*, Augustinus non rarò, postquam dixerat, non esse

Pag. 525. & seqq.

cap. 38.

Rom. 8.

in Ps. 127. ante med. in Ps. 18. & 84.

aliàs Serm 21.

NB.

L. II. contra lit. Petil. c. 85.

Epist. 144

esse facienda bona vel omittenda mala ex timore Gehennæ, subdit, id faciendum ex desiderio Vitæ æternæ, citatis exindè testimoniis, undè jam plura hactenus fuêre producta. *Notandum quartò*, per timorem Dei & Gehennæ sæpè intelligi nudum & infructuosum ac ignavum timorem, quo homo non finit se trahi ad confugiendum ad Misericordiam Dei & detestandum peccata commissa, ac ea inposterum cavenda, de quo timore ita loquitur Augustinus: *Benè sentit Dominus in timentibus eum. Sed numquid sic timetur* in Ps. 146. in fine, *DEus, quomodo & Latro? Nam & latro timetur, & bestia timetur, & homo injustus & potens timetur multùm.* Benè sentit Dominus in timentibus eum. *Sed quomodo in timentibus eum?* Et in his, qui sperant in Misericordiâ ejus. *Ecce, timuit Eum Iudas proditor Christi, sed non speravit in Misericordiâ ipsius; postea enim pœnituit eum, quòd tradiderit Christum & dixit*: Peccavi, quia tradidi Sanguinem justum. *Benè quidem timuisti, sed si sperares in Misericordiâ ejus, quem timuisti. Ille desperando abiit, & laqueo se suspendit. Ergò sic time Dominum, ut speres in Misericordiâ ejus.* Quidquid de ignavo hoc & hebeti timore, quem multi ex hoc loco vocant pœnitentiam Judæ proditoris, dixerit Augustinus, nihil ad nos, nam talis timor nullo modo est Attritio, de quâ disputamus; agimus enim de timore, qui cum effectu movet ad confugiendum ad Divinam Misericordiam, ad deprecandum de præteritis, & proponendum non peccare inposterum. Talem verò timorem non tantùm hoc loco commendat Augustinus, sed & adserit, eodem placari Deum, subdit enim: NB. *Placabis eum, si speres in Misericordiâ ipsius, atque ita de cætero peccare caveas, ut de præteritis depreceris, ut tibi demittantur*; quæ omnia reperiuntur in nostrâ Attritione. De eodem ignavo timore intelligi debet Augustinus, quandò dicit, *non esse magnum, timere pœnam*, quia etiam nequissimus &c rudelissimus latro pœnam timet; certum est enim, Latronem illum, qui timore pœnæ & spe veniæ à Principe suo impetrandæ statueret desistere à Latrocinio, & unicuique ablata restituere, vocari non ampliùs posse nequissimum Latronem. Agit ergò de eo, qui timet quidem, sed non patitur se trahi illo timore ad emendationem &c. adeòque non loquitur de timore in sensu nostro; & hinc facilis erit explicatio multorum, quæ ex Illo possunt objici. *Similiter* per servilem timorem Augustinus quandoque intelligit nudum & ignavum timorem, quo sibi conscius peccati commissi timet, ne jam jam instet finis vitæ & dies Judicii. Ipse ita explicat: *Videat unusquisque, qualem habeat timorem, an eum, quem excludit Charitas, an castum? Absens est Sponsus noster, interroga Conscientiam; vis, ut veniat, an adhuc vis, ut tardet? Quàm multi si dicatur illis, ecce, jam Christus, cras dies Iudicii, non dicunt, utinam veniat; qui enim dicunt, multum amant. Etsi dicatur illis, tardabit, timent, ne tardet, quia timor castus est.* Huic loco sic intellecto optimè quadrat simile, quod tùm hic, tùm sæpè alibi Augustinus adfert de duabus fœminis, quarum altera est adultera, altera autem casta; hæc timet, ne discedat vir, illa, ne redeat, quia nempè commissi adulterii est conscia. Vel si uterque vir sit absens, casta timet, ne tardet, adultera autem, ne veniat. Et hic rursus non est timor, de quo agimus. *Notandum quintò*, plurima Augustini testimonia esse explicanda de timore, quem vocamus serviliter servilem, nempe dum quis habet hunc adfectum, qualem sæpe habent Servi, vellem facere peccatum, nisi obstaret pœna; & de tali timore servili agit manifestè Augustinus *Tractatu nono in Epistolam Iohannis*, ex quo prolixissimum citatur testimonium, cum sequenti Doctoris Lovanienſis adnotatione: Augustinus hoc loco per timorem servilem seu non castum intelligit similem illi, quem habet ista Conjux, quæ de facto delectatur adulterio, velletque committere, sed solo cohibetur timore, ne faciat; adeòque agit de homine, qui cuperet non esse Gehennam, ut tunc liberè peccaret. Neque dici potest, quod Augustinus ita loquatur de eo, qui, dum timet, internum habet adfectum ad peccatum, non quod in illo sit peculiare quid, sed quia supponit, ita semper fieri, quoties movetur quis spiritu timoris Gehennæ aut Judicii; hoc inquam dici non potest, nam inepta esset ista Augustini oppositio, quod nempe Uxor, quæ adulterinum, quem fovet, animum opere non explet, per hoc virum timeat, ille autem, qui interius peccat, DEI faciem, oculos, præsentiam omnia perlustrantis non timeat, (&) male adsereret, illum non timere Deum, si timor à peccato etiam interno cohibere non possit. Dum ergò dicit, talem non timere, manifestè ostendit, posse etiam illum actum internum timore comprimi & excludi. Agit ergò de timore inefficaci, & ignavo ac hebeti, & sic rectè quadrat reprehensio Augustini, quod cùm Uxor virum timeat, & ex timore caveat ea, quæ possunt ipsi innotescere, homo non formidet peccare coram oculis Dei, adeoque Deum non timeat, vel non satis timeat. Et juxta hæc explicari possunt & debent plurima hujus S. Patris testimonia ab Adversariis congesta, &

illa

illa præsertim, in quibus, ut sæpè facit, expressè addit, quod timentes habeant adfectum peccandi, si pœna Gehennæ esset sublata; illa item omnia, in quibus adfert idem hoc simile de duabus Matronis, alterâ castâ alterâ adulterâ, & hâc explicatione utuntur Doctores passim omnes. *Notandũ sextò*, Augustinũ etiam admittere, cum timore servili stare externũ posse peccatũ, nam in Psalmum nonagesimũ ita ait: *Ne incurrentes Legis (veteris) reatũ, missus est Spiritus Sanctus, ut Amorem faceret, & solveret à timore. Timor legem non implebat, Amor implevit. Timuerunt homines, & non impleverunt; amaverunt, & impleverunt. Timebant homines, & rapiebant res alienas; amaverunt, & donaverunt suas.* Ecce peccatum externum, quod juxta Augustinum stat cum timore servili seu Legis veteris; adeòque fateri debent etiam Adversarii, illum hoc loco agere de timore inefficaci & ignavo, ex quo non parùm confirmatur, quod dictum est Notatione quartâ. Jam *notandum septimò*, quando Augustinus requirit charitatem, Amorem Justitiæ & similia, gratis id explicari ab adversariis de Amore Dei propter se dilecti, seu amore Benevolentiæ; certissimum enim est, apud Illum sæpè usurpari charitatem, Amorem boni &c. pro actibus qui non sunt amor Benevolentiæ in Deum, sed amor cujuscunque demùm virtutis. Patet id ex libri contra Julianum quarti capite tertio, ubi cùm dixisset, *Amor fruendi quibuscunque creaturis sine Creatoris amore non est à Deo; amor autem Dei, quo pervenitur ad Deum, non est nisi à Deo. Sine hoc amore Creatoris nullus quisquam benè utitur creaturis.* Subjungit: *Hoc ergò opus est amore, ut bonum sit Beatificum, & pudicitia conjugalis, ut sit ejus intentio, quando utitur Conjugis carne, non in voluptate libidinis, sed in voluntate propagationis.* Ecce, juxta Augustinum opus conjugale fit ex amore Dei seu charitate, quandò fit ex intentione procreandi sobolem, qui est finis honestans copulam conjugalem. Idem patet ex Tractatu nono in Epistolam Johannis in fine, ubi per diligere Deum intelligit dilectionem proximi, & aliorum Divinorum mandatorum observationem. Neque id diffiteri videtur P. Lupus. Nam cum de dilectione Dei dixisset, *Sine hâc nullam impleri Legem, nullum servari mandatum Dei, nullum mentis nostræ opus aut motum esse, quemadmodum oportet, bonum, clamat adsiduè Augustinus*; posteà tamen adserit, *ad bona opera & Divinarum legum impletionem sufficere amorem Dei virtualem, quem negat sufficere in dolore de peccatis*, non explicans tamen, quid intelligat per hanc amorem Dei virtualem. Verùm quomodocunque demùm id intelligat, in hoc pro nobis facit, quod sicut ipse, dum Augustinus pro quovis bono motu requirit dilectionem Dei, explicat de amore virtuali, non autem de expresso & formali; eâdem explicatione uti nobis liceat, quandò pro Pœnitentiâ Dei dilectionem requirit. Imò sicut ipse explicat de virtuali in suo sensu, ita nos de virtuali in sensu nostro & Augustini proximè explicato. *Notandum octavò*, sæpè intelligi posse Augustinum de periculo, quod in magnis præsertim peccatoribus meritò timetur, ne dum timent, pœnam non timeant efficaciter, adeoquè in animo maneat prava adfectio ad peccatum. Hunc sensum illa præferunt verba: *Audeo dicere, si timore Gehennæ non facis malum, est quidem inte Fides, quia credis futurum esse Dei judicium; gaudeo Fidei tuæ, sed adhuc timeo malitiæ tuæ.* Eodem modo intellige illud: *Non furatur, non adulteratur, non falsum dicit testimonium, non facit homicidium, non concupiscit rem proximi sui. Potest hoc, potest fortassis, undè? timore pœnæ; quanquam qui timore pœnæ non concupiscit, puto, quia concupiscit.* Quæ horum verborum planior est explicatio, quàm illa, quam dat P. Lupus, distinguens duplicem peccati cupiditatem, *patentem aliam & positam quasi in cordis superficie*, (puto, sicut scyphus in Sacco Benjamin;) *aliam in cordis profundo ac intimo recessu occultatam & latentem.* Mirum, undè adeo occultam P. Lupus præ aliis deprehenderit! *Notandum nonò*, sæpe tantùm velle Augustinum, quod minus perfectum sit, detestari peccata ex motivo pœnæ, quàm ex amore Justitiæ aut Dei, quod sic minus perfectè recedatur à malo &c. Ita ipsemet Sermone decimo & nono de Verbis Apostoli proximè citato: *Etiamsi timore Gehennæ non facis malum, nondum perfectus es.* Duæ etenim sunt Iustitiæ & perfectionis Christianæ partes, declinare à malo & facere bonum. Licet autem ex timore pœnæ declinatur malum, ex illo tamen non potest fieri bonum. Et rursus libro de S. Virginitate: *Est timor Ignis æterni, propter quem devitandum Deo servire, nondum est utique charitatis perfectæ.* Ubi obiter adverto, Augustinum hoc loco per charitatem perfectam non videri intelligere amorem Dei, subjungit enim: *Aliud est enim desiderium præmii, aliud formido Supplicii. Aliæ voces sunt, quò ibo à Spiritu tuo, & quò à facie tuâ fugiam? Et aliæ voces sunt, unam petii à Domino, hanc requiram, ut inhabitem in domo Domini.* Quæ incongrue subnexuisset per particulam *enim*, si per charitatem significare voluisset actum amoris in Deum. *Porro*, familiare est Patribus, præsertim

Serm. 19. de verb. Apost. Serm. 15. de iisd.

tim in Sermonibus ad eos directis, quos ad perfectiorem Vitam instituunt, minus perfecta tanquam aliquo modo mala repudiare. *Notandum decimò*, perperàm nobis objici illa Augustini testimonia, in quibus dicitur, quod metus Gehennæ concupiscentiam duntaxat compescat, liget, reprimat, frænet, & similia, non autem sanet &c. Quid enim aliud sonãt illæ voces, compescere, reprimere, frænare concupiscentiam, quàm resistere huic & repugnare? Quare, quemadmodum is, qui ex ortis concupiscentiæ motibus & desideriis indeliberatis non consentit, verè iis resistit, *& ab omni liber est peccato*, prout constat ex Tridentino, & fateri debent omnes Catholici; sic quoque *à peccato liber erit*, qui eosdem concupiscentiæ motus pravos compescit, ligat, reprimit, frænat. Sicut enim dicimus passim, in Adamo fuisse frænum, ligamen concupiscentiæ, quia Dei munere speciali in illo continebatur seu compescebatur concupiscentia, *ne exurgeret contra aut præter voluntatis imperium*; sic quoque in nobis rectissime dicitur compesci, reprimi, frænari concupiscentia, dum ex timore Gehennæ pravis illius motibus indeliberatis non consentimus. *Claudit hanc responsionum decadem Doctor Lovanienſis*: Atque harum explicationum quælibet longe minus torta est & violenta, quàm sit ea, quam adhibere coguntur adversarii; unde hâc vel simili ratione exponendus est Augustinus, ne Eum Tridentino & communi Patrum ac Doctorum sensui, *ac ipsi rationis dictamini* cogamur oppositum fateri. Et sane, licet aliqua in illo reperirentur loca saltim in speciem difficilia, nostræ hoc non obesset Sententiæ, cùm etiam contra puncta ab Ecclesiâ definita, ut in materiâ *Libertatis, Gratiæ, Eucharistiæ* &c. Passim objiciantur ex Augustino testimonia, saltim in speciem difficilia.

Et hæc hactenus satis prolixe, ne dicam confuse, utut ordinatissime videri voluerit egisse *Doctor Lovanienſis*, pro Attritione ex metu Gehennæ, ejusque cum Sacramento Pœnitentiæ sufficientiâ, quæ contra sæpe nominatum P. *Lupum*, in responsione ad Epistolam ejus familiarem, eidem operi Apologetito *Fabri* inserta, defendere est conatus, ut ibidem legi potest, cùm nobis hic non liceat esse in describendo prolixioribus. Hoc jam in genere moneri par est, quamvis pleraque Augustini testimonia, quæ pro & contra habuimus, & quæ post *Bellarminum* Doctor Lovanienſis partim pro sua proposuit Sententia, partim pro contraria fuerunt objecta, & ad quæ decem responsiones sunt datæ; non de ipsa Attritione (cujus & nomen & res Augustino fuit incognita,) ex metu Gehennæ, sed de *timore homines à peccato cohibente* agant, aliudque sit de causa, aliud autem de effectu loqui, cùm Attritio tanquam effectus huic timori tanquam causæ adscribatur; non impertinenter tamen vel extra propositum ea fuisse adducta, quia si ex Augustini testimoniis constat, quod constare ostendetur in sequentibus proxime, hunc timorem Gehennalem non sufficere ut homo à peccatis cohibeatur, adque studium bonorum operum incitetur *ita*, ut Deo id ulla ratione possit placere, nisi amplius aliquid accedat; nullum esse potest dubium, ex Augustini Sententia per legitimam deducí consequentiam, neque Attritioni ex metu Gehennæ tam insigne bonum, ut à plerisque Moralis Doctrinæ, ut audit, Professoribus solet fieri, posse adscribi, id est, si verum fateri velimus, effectum sua non esse nobiliorem causa; & si, quod iteratò ex capite proximo accedit, perfecta Contritio, ut per distinctionem & ab Attritione differentiam dicitur, ad ejusdem Augustini Sententiam non sufficit, *ut causa remissionis peccatorum* dicatur, multò minus id posse statui de Contritione imperfecta, quo Elogio communiter Attritio describitur, de qua jam porrò audire juvat duorum hoc Seculo inter suos celebrium Universitatis *Duacenæ* Professorum, *Esthii & Sylvii* sententias, quas eorum in Cathedra Successores ante hos viginti Annos ex Eorum Commentariis exhibuerunt in publico ad *Innocentium* X. Pontificem tunc Romanum Scripto, quod *Veritatem & Æquitatem Censuræ Pontificiæ* Pii V. Gregorii XIII. Urbani VIII. *super Articulis quibusdam damnatis, propugnatam constanter & illustratam à Duacenâ Facultate Theologicâ antiquiore accentiore* dixerunt, id est, ipsismet interpretibus, *Antitheses depromtas digestas, ad mentem* S. Augustini &c. *Esthio* inter alia hæc scribente: *Attritionis nomen doctrinæ causâ excogitatum, est imperfecta & aliquo usque progressa Pœnitentia*, ex. gr. *ex timore Gehennæ; quæ etsi donum Dei sit, quia tamen per se non sufficit ad excludendam omnino voluntatem peccandi, nisi accesserit amor Iustitiæ, non sufficienter hominem præparat ad peccati remissionem per Sacramentum Pœnitentiæ, uti nec qui dolet de peccato propter Dei offensam, non tamen absolutâ & efficaci voluntate deponit affectum peccandi, quæ vocatur velleitas. Ad contritionem* (verò) *requiritur vera animi conversio ad Deum ut summè dilectum & omnibus præferatum, quæ accedente Sacramento sufficit ad Iustificationem, imò & sine Sacramento, quandò Sacramenti*

Vid. ibid. pag. 603. & 604.

pag. 114. §. 183.

susceptionem in periculo Mortis excludit necessitas; nullus siquidem intensionis gradus absolutè necessarius est ad culpæ remissionem. Sequentia, quæ ex Tridentinâ Synodo habet, non addo, sed ea tantùm breviter subjungo, quæ Editores harum Antithesium ad illustrandam & commendandam Antecessoris sui Sententiam in margine legi voluerunt: *Ad dolorem justificantem Author nullam requirit intensionem, sed propropositum melioris vitæ, cum exclusione voluntatis peccandi, & aliquem Iustitiæ amorem. At hæc omnia reperiuntur in attritione. Ergò non negat Attritionem aliquam cum Sacramento (non) sufficere ad Iustificationem.* Qui hâc marginali Glossâ intenderint dicti Antithesεων Editores, facilè subodorari licet. Sed magis ad communem Sententiam deflectere videtur *Sylvius*, cujus hæc sequentia in Antithesibus præter alia leguntur: *Certum est, Attritionem ex metu Gehennæ esse* pag. 116. §. 187. *bonam, sive ut occasione excitante ad detestandam culpam, sive ut ex motivo proximo detestandi culpam, quia timere malum, quod revera dignum est, ut timeatur, est bonum. Itaque in tali attritione intentio finis est bona, scilicet voluntas vitandi pœnam peccato debitam. Medium, quod adsumitur, est bonum, scilicet fugere & detestari peccatum; & ordinatio medii est bona, quia proportionata ad finem. Accedit, quod Synodus Tridentina declaravit, Attritionem ex metu Gehennæ ortam esse donum Dei &c. Nam qui ex metu pœnæ peccatum detestatur seriò, non detestatur illud conditionaliter, sed absolutè & efficaciter, aversus ab interiori adfectu peccati, etsi eo actu magis detestetur pœnam, quàm culpam; nam ut ait* Suarez & Becanus, *hic actus non est inordinatus, quia non impedit, quin idem homo simpliciter & propter alias rationes magis detestetur culpam, quàm pœnam. Eo enim ipso, quo actus ex se bonus ordinem rectum ad finem ultimum non excludit, virtualiter in ipsum refertur.* Et quia Author hic in suspicionem venit, ac si *Michaelis Baji*, Doctoris Lovanienſis (cujus Sententiæ plures Bullâ Papali, quam *Possevinus* etiam Adparatui suo inseruit, fuerunt notatæ,) esset Discipulus, ideò in tractatione Quæstionis, *Vtrum omnis Contritio semper habeat conjunctam peccati remissionem, etiã ante, quàm recipiatur Sacramentum?* sequentibus verbis suam expressit mentem, huc etiã ex dictis Antithesibus adscribendam, quia Editores ad mentem S. *Augustini* eas dicunt depromtas & digestas; *Quæstionem hanc propono de Contritione in genere, non particulariter de Contritione perfectâ, nec ullam in hujus Quæstionis propositione, Editione primâ & secundâ, feci mentionem Contritionis perfectæ, ut non satis mirari queam, cur quispiam adserat contrarium, qui noverit, Contritionem esse velut genus, comprehendens sub se perfectam & imperfectam Contritionem; ubi docui, Contritionem non semper, imò nec frequenter vel ordinariè conjunctam habere remissionem peccatorum ante, quàm reipsa recipiatur Sacramentum. Non adjeci, nec mens mea fuit, ut quispiam adderet, quantumcunq; cum* PERFECTA DILECTIONE ET SUPER OMNIA SIT CONIUNCTA. *Imò in Editione secundâ expressè dixi, quod Contritio perfecta non rarò habeat conjunctam remissionem peccatorum, perfectam intelligens, quæ est dolor acris, vehemens & incensus;* (fortè, intensus) *nihil ibi dicens de perfecta per Charitatem, quâ Deus propter seipsum diligitur super omnia amore Amicitiæ & Benevolentiæ. Non est ergò, cur quispiam me suggillet ut discipulum* Baji, *aut contendentem tueri sententias ejus à Sede Apostolicâ damnatas, cum omnes & singulos eorum Articulorum pariter damnaverim ac semper rejecerim, ut diligens Commentariorum nostrorum Lector advertere potest, si velit; tantum abest, ut vel unum eorum tueri contenderim, id quod sine magno piaculo facere non possum.* Et postquàm in sequentibus distinctam de Contritione & perfectâ & imperfecta seu Attritione Sententiam, ad mentem Synodi Tridentinæ, & ut dicti Editores in titulo Antithesεων promittunt, ad mentem S. *Augustini* proposuit, hæc iterùm in margine sub finem ex *Amico*, Scriptore itidem novitio, subjunguntur: *Innotuit clarissima hæc Sylvii doctrina Eminentissimo Cardinali de Lugo, qui in suâ Editione secundâ Tomi de Pœnitentiâ jussit addi hoc Elogium Doctoris: Hæc omnia Ego dixeram in primâ hujus operis Editione, quo tempore solam nactus fueram Editionem primam operis* Sylvii, *factam* Duaci, *ex qua fideliter Ejus verba retuleram. Nunc autem ex testimonio eorum, qui fide digni sunt, intellexi, eundem Authorem in alterâ Editione ejusdem operis aliter in hâc Quæstione loqui & explicare, se superiorem doctrinam non intelligere de Contritione perfecta, sed imperfecta, quæ communiter Attritio adpellatur, & quæ non adfert secum Gratiam justificantem; quod quidem lubentissimè audivi, quia dolebam, quod tantus Vir, & de Schola Theologica optime meritus possit unquam adferri pro ea Sententia, quæ decretis summorum Pontificum ab* Urbano VIII. *nuper renovatis & confirmatis aperte repugnat. Imò gratulor Doctoribus bene Sentientibus, quod Doctorem talem secum rectè sentientem & consentientem expressis verbis sint consecuti.* Disp. V. Sect. 8. in fine, NB.

Libuit hæc ex historiâ hujus Controversiæ, jam ultra Seculum inter Fratres Cadmæos non sine multo animorum motu agitatæ, nec dum omninò sopitæ, in gratiam Lectoris curiosi excerpere, ut & indè haberet specimen aliquod tam insigniter jactatæ in Doctrina unitatis, inprimis autem, ut notati ante Theologi Viennensis, *Stubrockii*, Notarum in *Montaltium & VVendrockium* Scriptoris, non prætermittenda notetur inadvertentia, qui ubi ad propositam ab hoc exceptionem, authoritate *Esthii & Sylvii* firmatam respodere debuit, nihil aliud, quod diceret, habuit: *Istos authores nihil moror, utpotè Bajo plus æquo addictos, ut Cardinalis de Lugo rectè observat*, nescius eorum, quæ integro ante decennio ex *Amico* de *Lugone* exscripserunt *Duacenses* Antitheseων ad mentem S. *Augustini* depromtarum & digestarum Editores, Innocentii X. nomen ad majorem operi authoritatem conciliandam præfigentes, quod omninò harum Controversiarum tractatorii ignotum esse non debuit. Nobis jam post hæc propiùs ad veram Augustini mentem è testimoniis ab utrâque parte liberaliter productis indagandam est redeundum, & paucis observationibus ostendendum, à quorum parte stet Sanctus Pater, & quid non de Contritione imperfectâ seu Attritione, cujus, ut jam monui, neque nomen neque rem agnovit, sed de ipso timore & metu Gehennæ, ex quo oriri dicitur Attritio, statuerit, an videlicet eum cum Sacramento, id est, cum acceptâ Absolutione sufficientem putaverit ad impetrandam à Deo remissionem peccatorum? In hoc enim præprimis vertitur cardo Controversiæ, non in eo, an utilis dici possit hæc Attritio, cùm ipse Bellarminus fateatur, Evangelicos jam communiter docere, *utilem esse timorem pœnæ, ac exindè Pœnitentiam inchoari*, atque Lutherus hoc tantùm in Doctoribus Scholasticis culpaverit, quod huic timori & exindè Attritioni effectum justo ampliorem adscripserint, videlicet, *hominem pœnitentem ex attrito fieri virtute Absolutionis contritum*; vel quomodo *Ianſenium* superius eorum Sententiam vidimus exponentem, *Attritionem esse dispositionem sufficientem ad Iustificationem tum Sacramento obtinendam*, quam Augustini doctrinæ magnoperè repugnare idem scripsit *Ianſenius*, & quidem rectè, ut jam breviter videbimus, initio Examinis facto ab iis Augustini testimoniis, quæ Bellarmino in rem suam visa fuerunt idonea. Ubi non possumus in antecessum satis mirari, quicunque accuratioti mentis trutinâ totam hanc controversiam, & de eâ augustissimi Doctoris Sententiam ex debito ponderant, quâ ratione Bellarminus ad commendandum timorem, quem priùs dicit *servilem*, & ex quo oriri statuit *Attritionem*, cui tam insignem adscribit effectum, ausus fuerit uti verbis Augustini ex *Concione vigesimâ & quintâ in Psalmum centesimum decimum & octavum*, vel potius *nonum* desumtis, utpotè quibus & meliori quidem jure contra Attritionis laudem utitur *VVendrockius* cum aliis pluribus loco sæpius citato, describentibus videlicet hunc timorem tanquam *carnalem, quo non crucifigitur Caro, sed vivit adhuc peccandi voluntas, quamvis latenter, ubi homo Legis bono spiritualiter non delectatur, sed malum, quod minatur, carnaliter metuit*: quæ omnia ita sunt comparata, ut tali timori carnali tam insignem adscribere effectum, nemini non, nisi insentato planè, videri possit & debeat absurdissimum & ab Augustini Sententiâ omninò alienum. Sed & neque cætera duo Augustini testimonia, quæ Bellarminus inter alia Patrum dicta adducit, quidquam ad rem faciunt, nisi contrariam ex omni parte Sententiam augustissimo Doctori patiamur adscribi. Et quidem quod prius attinet, ex *Enarratione in Psalmum centesimum vigesimum & septimum*, vel juxta Ebræos *octavum*, undè etiam Doctor Lovanienſis ab *Honorato Fabri* exhibitus arma desumsit, eaque partim offensive, partim defensivè agens in acie tanquam validissima collocavit; si integrum Sancti Patris textum intueamur, nihil habet, quod eum, quem hodiè huic timori adscribunt communiter effectum commendet. Quamvis enim hunc timorem dicat *bonum & utilem*, ex eo nimirùm respectu, quo non paucis hic timor initium fit Pœnitentiæ; etsi etiam dicat, *cum homines per timorem continent se à peccato, fieri consuetudinem Iustitiæ*, non id tamen pertinet ad ipsam ex timore & metu Gehennæ Attritionem, cui effectus sufficientis ad Justificationem cum Sacramento obtinendam dispositionis, ita ut ex attrito virtute Absolutionis fiat contritus, adscribitur; utut Doctor quoque Lovanienſis putet, *quidquid hic loci Augustinus dixerit vel scripserit de timore servili, prout significat timorem mundanum & malorum temporalium, nihil urgere contra spem boni vel metum mali æterni, de quibus hic tantum agatur*; certum est tamen, quod Sanctus Pater ibidem, & verbis quidem ab ipso Doctore Lovanienſi laudatis, agat etiam de metu mali æterni, talia ei adscribens prædicata, quæ cum illo effectu, cujus respectu ita commendatur, nullo planè modo stare possunt. Dicit, *esse timorem*

non

non castum, non amare Iustitiam, excludi eum à charitate. Addit, *Bonus est iste timor, utilis est, sed nondum est castus permanens in Seculum seculi.* Expressius id habet in posteriori testimonio augustus Doctor, *ex nono Tractatu in Epistolam Iohannis* desumto, undè Doctor etiam Lovanienſis pro timore in tertiâ testimoniorum classe militavit, non attendens ad ea, quæ Bellarminus quidem in solutione objectionis secundæ partim Lectori commendavit, at itidem non vidit, plus nociva sibi esse, quàm utilia. Ita autem ibi Augustinus: *Timor non est in charitate. Quid ergò dicemus de illo, qui cœpit timere diem Iudicii? Si perfecta in illo esset charitas, non timeret; perfecta enim charitas perfectam faceret Iustitiam, & non haberet, quare timeret, imò haberet, quare desideraret, ut transeat iniquitas, & veniat regnum Dei. Ergò* timor non est in charitate, *sed in quâ Charitate? Non in inchoata. In quâ ergò?* Sed perfecta charitas, *inquit*, foràs mittit timorem. *Ergò incipiat timor, quia* initium Sapientiæ timor Domini. *Timor quasi locum præparat charitati; cùm autem Charitas cœperit habitare, pellitur timor, qui ei præparavit locum. Quantum enim illa crescit, ille decrescit; & quantum illa fit interior, pellitur foràs timor. Major Charitas, minor timor; minor Charitas, major timor. Si autem nullus timor, non est, quà intret Charitas; Sicut videmus per setam introduci linum, quando aliquid suitur. Seta prius intrat, sed nisi exeat, non succedit linum; sic timor primò occupat mentem, non autem ibi remanet timor, quia ideò intravit, ut introduceret charitatem.* Perspicuum hic satis evadit, quid de timore & metu Gehennæ statuat Augustinus, nempè, ab eo quidem fieri initium conversionis, *præparare eum charitati locum*, per eum intrare charitatem in animum hominis, quæ hactenus Evangelicis non sunt contraria; sed tamen *à charitate postmodùm expelli hunc timorem*, nullumque ei amplius locum esse, id quod certe Augustinus dicere & scribere non potuisset, si timorem statuisset sufficientem dispositionem ad Justificationem cum Sacramento obtinendam, nihil omninò obtinente Notatione Doctoris Lovanienſis *quintâ*, eâque prolixissimâ, quâ non nisi mentem Sancti Patris ivit eversum, sicut in Notatione quartâ ad antecedens ex eodem augustissimo Doctore testimonium lectori manifestum obtrudere adnisus est fucum, dum quæ de timore *filiali* scripsit Augustinus, ipse contra jus omne ad timorem hunc *servilem* vi apertâ traxit, totam tractationem eo metipso valdè suspectam faciens.

Nunc si rationes etiam attendamus, quibus pro timore hoc servili & Gehennali, & hinc consequenter pro Attritione ex eo militavit Bellarminus, in iis itidem ad Augustini provocans authoritatem, nec illæ quidquam obtinent. Dicit, *probabile esse, hunc timorem inter septem Spiritûs Sancti dona numerari*, quæ Esaias de Christo prædixit, esseque eundem, de quo præter & post Davidem Salomo pronuntiavit, quod sit *initium Sapientiæ*, utrobiq; citatis Augustini testimoniis. De utroque quid habendum sit, ex Sententiâ Interpretum Papæorum paucis videre non planè nullum erit operæ pretium. Et ut de Oraculo Esaiæ primùm dicamus, quidquid sit de ipso donorum *Septenario* antiquitùs recepto, quamvis ex ipso Textu improbabili, & non-nisi senarium exhibente, juvat hic legere *Leonis Castri*, Doctoris priori Seculo & Commentatoris Salmanticensis observata, dissidium, quod in hujus loci explicatione inter Augustinum & Ambrosium esse videtur, sequentem in modum describentis & componere tentantis: *Duplex apud Veteres Ecclesiæ Patres timor esse videtur & uterque Spiritûs S. donum, si expenderis dissensionem quandam, quæ inter Augustinum & Ambrosium est de intellectu hujus loci.* Augustinus namque Sermone primo de Annuntiatione Dominicâ, de eo, quod scriptum est in Esaia, requiescet super eum Spiritus timoris Domini, *Esaias*, inquit, *Propheta, cùm septem illa notissima dona Spiritalia commendaret, incipiens à sapientiâ pervenit ad timorem Dei, tanquam de sublimi descendens ad nos, ut doceret nos adscendere. Sicut ergò Ille non deficiendo, sed docendo à Sapientiâ usque ad timorem Dei descendit; sic nos non superbiendo, sed proficiendo à timore usque ad Sapientiam oportet adscendere.* Initium enim Sapientiæ timor Domini. *Nam Esaias cùm proposuisset Sapientiam, Lumen scilicet intellectus indeficiens, adjunxit Intellectum, tanquam quærentibus, undè ad Sapientiam veniretur? respondet, ab Intellectu; undè ad intellectum? à Consilio; undè ad Consilium? à fortitudine; undè ad Fortitudinem? à Scientiâ; undè ad Scientiam? à Pietate; undè ad Pietatem? à timore Domini.* Ambrosius verò Sermone quinto in Psalmum centesimum decimum & octavum vel nonum, in illa verba, Sta tue servo tuo in timore tuo Eloquium tuum, ultimum fastigium videtur facere timorem Domini, his verbis: *Esaias inquit, Spiritus Sapientiæ & Intellectus; Spiritus Consilii ac Virtutis; Spiritus Cognitionis ac Pietatis; Spiritus sancti Timoris. Quantis timorem subjecit? Ut haberet, quid sequi posset, informatur DEI timor per Sapientiam, instruitur per Intellectum, Consilio dirigitur, Virtute firmatur, Cognitione regitur, Pietate decoratur. Tolle*

Vid. D. Tarn. Exerc. Bibl. p. m. 139. D. Walth. Cent. Miscell. pag. 599. seqq. Sixt. Amã. AntiBarb. pag. 651. Edit. ult.

ista timori, & est timor irrationalis & insipiens. Hilarius quoque cum Ambrosio facit in Psalmum vigesimum & septimum, in illa verba, Beati omnes, qui timent Dominum, inquiens: *Quantis ad timorem Domini gradibus ventum est! Sapientia antè invocanda, & legendi officium Intellectui est deputandum.* Ubi multa disputat de Timore, & timorem omnem Domini amorem esse docet, motumq; ejus dilectione perfectâ consummari. Idemq; putat de timore *Augustinus* præfatione in Psalmum centesimum & quinquagesimum seu ultimum: *Spiritus*, inquit, *Sanctus in Scripturis septenario præcipuè numero commendatur, sive in Esaiâ, sive in Apocalypsi, ubi apertissimè septem Spiritus DEI perhibentur, propter operationem septenariam ejusdem Spiritus, & idem Spiritus timoris Domini debet intelligi timor Domini castus permanens in Seculum Seculi; servilem verò timorem consummata charitas mittit foràs, & nos facit liberos.* Et sic idem Augustinus de Gratiâ & libero Arbitrio diluit dubium illud, quomodo Esaias dicat, datum Domino Spiritum timoris Domini, & Paulus ad Timotheum dicat, Non dedit nobis DEUS Spiritum timoris, sed Virtutis & Charitatis; ait enim: *In quo Apostoli testimonio cavere debemus, ne*
cap. 18. *nos arbitremur non accepisse Spiritum timoris Domini, quod sine dubio magnum est DEI donum, de quo Esaias; neque est ille timor, quo Petrus Christum negavit, sed ille, de quo Dominus*, Eum timete, qui potestatem habet, & animam & corpus perdere in Gehennam, &c. *Item, dico vobis, hunc timete. Illum Petri timorem abstulit, inquiens*, Nolite eos timere, qui corpus occidunt, &c. *Hujus timoris non accepimus Spiritum, sed virtutis, & Charitatis, & Continentiæ, de quo Paulus*, Gloriamur in cogitationibus, scientes, quoniam tribulatio Patientiam operatur, Patientia verò probationem. *Charitas ergò facit, ut tribulatio & metus* (timor) *tribulationis non auferat operationem, sed potius operetur Patientiam.*

Hactenus Leo Castrensis Augustini & Ambrosii diversas de timore Domini ap. Esaiam Sententias recensuit verbis eorum propriis, nunc in seqq. tentat eas inter se componere: *Si dicta Sanctorum excutias, à Timore, qui est initium Sapientiæ, itur ad Intellectum, rursus ab Intellectu descenditur ad Timorem, qui est Pietas, quemadmodum à sensibilibus itur ad causam primam, quod cùm sit, Scientia dicitur à Platone & Platonicis; deindè cum ad primam causam est perventum, & indè ad cognitionem sensibilium & intelligibilium, tanquam à primo principio rursùm itur, Sapientia nominatur & Dialectica, nam Platonici & Dialecticam & Metaphysicam & Theologiam pro eodem accipiunt. Sic à timore itur ad Intellectum & Sapientiam, & rursus à Sapientiâ tanquam à causa prima regredimur ad ejus effecta, quorum finis est Timor, quem Hieronymus & Septuaginta Viri* (Interpretes Græci) *charitatem nominant & pietatem; ut primus timor sit donum Spiritus Sancti, qui sit initium Sapientiæ, quæ Sapientia ultimum est fastigium, quo pervenitur tanquam ad summum*, ut Augustinus ait. *Rursum, cùm ab ultimo fine, quod est naturâ primum, regredimur tanquam à primâ causâ ad effecta, consistimus in alio quodam timore, qui timor firmitas potius est & stabilitas, & metus magis ex amore profectus, & dilectione perfectâ consummatus, & perfecta quædam penè dilectio, qualis in hâc vitâ potest contingere, & qualis est ille*, videlicet timor, *quem Origenes describit* in caput tertium Epistolæ ad Romanos, *qui perfectum adeò reddat hominem, ut cui adsit, nihil desit; ait enim Propheta*, Nihil deerit timentibus DEUM. *Et talem quendam Timorem non potuit Hieronymus, nec Septuaginta Interpretes, significantius exprimere, quam cùm adpellarunt pietatem.* Concludit hanc suam concordiam: *Hæc tam multa executi sumus verbis, ut sententiam Ecclesiæ Catholicæ tueremur, salvâ vulgatâ Editione Hebraeâ.* Judica, Lector, de hac Sententiarum Augustini & Ambrosii tentatâ compositione, an nimirùm ea quidquam conducat ad tuitionem ejus Sententiæ, quam Ecclesiæ Romanensis nomine proposuit Bellarminus, ut Attritio ex metu servili & gehennali sufficiens sit cum Sacramento ad impetrandam peccatorum remissionem? Ego præter ea, quæ ad hoc Isaiæ oraculum alii Cõmentatores Papæi, nominatim, *Forerius, Hector Pintus, Arias Montanus*, ipse etiam *Cornelius à Lapide*, qui in omnium ferè manibus jam versatur, de timore Domini contra Bellarminum notârunt, hic non prolixè recensenda, addo nihil, nisi quod post hos omnes *Gabriel Alvarez*, in novissimâ ejus Expositione de *Gregorii*, quem Bellarminus etiam Augustino adjunxit, Sententiâ pronuntiavit: *Timor iste à Gregorio* (ut & ab Augustino) *in infimum detrusus locum, quique, ut Idem ait, foràs mittitur à Charitate perfectâ; hic, inquam, timor Christo disconvenit.*

Jam ut ad Salomonis Orac. Proverbiale veniamus, cui simili a p. Jobum quoq; & Syracidem, Viros suo tempore celeberr. & Sapientiæ Elogio cõmendatiss. leguntur, non præter rem erit huc adponere, quæ *Salazario* notissimo Proverb. Expositori, mens super eo fuerit, an videlicet Sentent. Augustini à Bellarm. commendatam suo adprobârit calculo? Exhibuit

Exhibuit is ex Eo similitudinem *lini & fetæ*, à Bellarmino quoque laudatam, quamvis contra semetipsum, eam dicens *aptissimam*, & addens: *Alibi utitur etiam*, nimirum Augustinus, *similitudine Architecti qui testudinem aut fornicem construere volens, formam illius ex ligno vel aliquâ aliâ materia supponit, quam, ubi moles illa coaluit & obduruit, statim dejicitur, & illâ dejectâ testudo perseverat. Ad eundem modum*, inquit, *timor tanquam forma quædam substernitur charitati, sed ubi primùm hæc in animo est perfecta, timorem expellit; perfecta enim charitas mittit foràs timorem.* Et postquam Origenis, Clementis Alexandrini, Ambrosii, Basilii paria ferè recensuit, sequentia de suo addidit: *Verum enim verò, timor Dei in Sacris literis non tantùm Ejus metum, sed etiam religionem & observantiam erga Illum in universum significare consuevit, cujus acceptionis innumera suppetunt Exempla. Vltima ergò atque germanior hujus loci Expositio sic se habet:* Timor Dei Principium Sapientiæ, *id est, A religione & cultu Dei in universum vera incipit Sapientia & Philosophia, quæ in actione consistit. Suadet hoc lectio Interpretum Septuaginta, quorum meo quidem judicio mens fuit, non tantùm convertere, sed interpretari etiam verba istius loci; sic enim ajunt*, Initium Sapientiæ timor Domini. *Et ne quis putaret, sermonem fieri de speculativâ aliquâ & Theoreticâ Scientiâ, sed de practicâ, quæ in actione consistit, subjiciunt*: Intellectus bonus omnibus facientibus eam, *q. d. Illi planè intelligentes & præditi istâ Sapientiâ ex Salomonis mente sunt dicendi, qui opere eam exequuntur. Deinde verò, de quo timore esset Sermo, exprimere volentes, addunt*, Pietas autem in Deum sensûs (est) principium. *Græcè*, εὐσέβεια, *id est, religio. Sic convertit Interpres Clementis Alexandrini*, Sapientiæ initium est religio. *Itaque duæ posteriores clausulæ expositionem & commentarium prioris continent. Est ergò Sententia hujus loci triplex juxta triplicem principii acceptionem. Prima* nomine principii intelligit exordium hoc modo: *Principium Sapientiæ timor Domini*, id est, Quicunque sapere vult, honestam scilicet vitam agere, à religione & cultu Dei debet ordiri, q. d. Caput totius honestatis & probitatis est, veram amplecti religionem, & ex pluribus Sectis optimam sectari. Est enim, ut tradit *Augustinus* in libro de verâ religione, primum de Religione Decretum, ut optimam & cum ratione magis conformem eligas; nam Religio cætera moderatur. *Secunda* interpretatio principium sumit pro principatu. *Principium Sapientiæ Timor Domini*, id est, Religio, tanquam princeps inter alias honestatis partes cæteris rebus præferri debet. Loquor autem de religione in universum, quatenus omnè Dei cultum complectitur. De hâc Ambrosius super Leviticum: *Præferenda est religio necessitudini, Pietas propinquitati. Ea enim demùm vera est religio, quæ præponit Divina humanis, perpetua temporalibus.* Rursùm, Cyrillus Alexandrinus libro secundo de *rectâ in Deum Fide*, ex omnibus Virtutibus moralibus corpus pangit mysticum, & ex membris hujus corporis caput religioni attribuit, quod satis benè congruit cum eâ lectione, quam initio præmisimus, *Caput Sapientiæ Timor Domini*. Et quidem sicut ex capite vitales spiritus in reliqua reguntur membra, qui vitam motumque illis adferunt; sic aliæ virtutes à religione quodammodò vim & motum accipiunt &c. *Demùm* si nomine principii primitias intelligamus hoc modo: *Primitiæ Sapientiæ Timor Domini*, optimè etiam nomen primitiarum in religionem cultumque Dei quadrabit. Nam cum sæpè vir probus arbori, & bona illius opera fructibus decoctis atq; maturis componi soleant, juxta illud, *omnis arbor bona bonos facit fructus* &c. cùmq; ex fructibus de præscripto Legis primitiæ Deo obferri debeant, (debuerint) Religio certè & cultus Dei benè primitiarum obtinet rationem. Matth. 7.

Ex omnibus enim fructibus, id est, actionibus, quos (vel quas) vir probus ad instar Arboris feracissimæ profert, una est religio, quæ Deo redditur; tota namq; spectat ad Deum, & quæ Dei sunt. Cùm enim per cæteras virtutes homo sibi consulat, vel proximis prospiciat, per religionem soli vacat obsequiturq; Deo. Hæc omnia ibidem *Salazar*, directè & quasi ex composito contra Bellarminum, pro nihilo planè ducens, quod ab Augustini & aliorum Ecclesiæ Doctorum Sententiâ in hujus Oraculi Proverbialis explicatione secessum facere fuit vi Veritatis ex ipso Textu manifestæ coactus, non pauca huic interpretationi suæ inserens, quæ cum timore servili & Gehennali, pro cujus valore ad demonstrandam Attritionis sufficientiam Bellarminus cum hodiernis Doctrinæ moralis (minimè Moralis) Professoribus tã acriter pugnat, nullo plane modo stare aut componi possunt. Ægrius hinc ferri non debet, si quâ libertate *Salazar* Augustini hoc in loco deseruit Sententiam, eâdem Evangelici etiam se uti posse existiment, inter quos præprimis *Gejerus* Theologus hodiè in Electorali Saxonicâ eminentissimus, audiri & legi meretur, hæc inter & post alia ad verè regiam hanc Salomonis sententiam observans: *Quanquam de servili timore omninò verum sit, eundem salutaris Conversionis esse initium, uti*

hoc egregiè deducit Augustinus, Origenes, Basilius, Bernhardus; *at tamen si conferamus caput primum* Syracidis, *quod latior quædam commentatio Sententiæ hujus esse videtur, ut & alios locos parallelos, videtur melius accipi de timore filiali, qui & ipse est initium ac fundamentum, imò summa quoque ac finis, universæ Scientiæ, Divinæ & humanæ, gubernantis omnia in rebus secundis & adversis consilia. Quicunque igitur desiderat habere Scientiam, sive profanam, sive Theologicam, qui verus cupit esse aut fieri Philosophus,* hoc est, *amicus & sectator Sapientiæ Cœlestis, is ante omnia discat animum ubivis omni q; tempore gestare reverentem erga Sanctam Dei faciem, instar Solis arcanissima cordis nostri penetrantem, nostras Sessiones, accubitus, ambulationes, imò nimia quoq; verbula accuratè observantem; sic facilè subsequetur reliquus Virtutum chorus, ut erga proximum justus, erga seipsum castus, imò in actione omni q; opere benedictus vere q; Sapiens evadat.* Sufficere hæc possunt, ut manifestum sit, timorem servilem ex mente Salomonis & Augustini non sufficientem esse Attritioni ad impetrandam peccatorum remissionem. Etsi enim Augustinus hic & ibi timorem, & quidem in specie servilem dixerit esse *initium Sapientiæ*, ità tamen explicavit mentem suam, ut multùm, plus, plurimùm à Bellarmini Sententiâ distare videatur, ut *Salazario* præprimis observatum est. Certumque videri debet, si augustissimus Doctor hodiè Bellarmini & sequacium consequentias pro Attritionis sufficientiâ ex suâ de timore servili doctrinâ deductas legeret, Eum non nisi iniquissimè id laturum, cùm juxta *Iansenii* observationem nihil in *Augustini* doctrinâ absurdius & falsius dici possit, eidemque id magnoperè repugnet, quod opere tanto Attritioni communiter adscribi solet. Quamvis etiam doceat S. Pater, id quod Doctor Lovanienſis ab *Honorato Fabri* productus ante omnia urget, timorem hunc servilem, ex quo provenire dicitur Attritio, *cohibere homines à peccato*, de quâ adversariæ partis hypothesi, cui totum hoc laudatæ Attritionis ædificium superstruitur, jam in antecessum aliquid est monitum; non tamen simpliciter & absolutè id intelligi debere, ipsa *Augustini* verba à Doctore Lovanienſi post Bellarminum liberaliter quidem, sed ut plurimùm impertinenter adducta plus satis docent. Notatu digna sunt inter alia, quibus eorum vivendi methodum describit, quos per timorem Gehennæ à peccato se dicit continere: *Timent quidem, sed non amant Iustitiam.* An autem cogitari potest, eum, qui non amat Justitiam, etsi timeat Gehennam, ab omni peccato, quod videlicet peccati rationem habet coram Deo, se continere. Quod autem addidit, *cùm homines per timorem continent se à peccato, fit consuetudo Iustitiæ*, alium omninò sensum habet, huc planè impertinentem. Voluit nempè illud significare, quod homo incipiens per timorem Gehennæ à peccato se continere, inque eo permaneat studio, plus ultrà Dei gratiâ perveniat, ita ut non solùm contineat se à malo, sed ad boni quoq; studium perducatur, & sic fiat amator Justitiæ, ac quasi ex consuetudine per crebrius exercitium opera Justitiæ faciat. Quid verò hoc, quæso, ad Attritionem, quam non-nisi à timore servili describit Bellarminus cum complicibus, de quo ex Augustino, vel potius Johanne Apostolo agnoscere debuit Doctor Lovanienſis, quod charitas eum expellat, nullumq; ei locum in corde hominis fidelis concedat? Neq; vana est Lutheri inter peccatum *externum & internum* distinctio, præprimis si Romanensium Doctorum hypotheses de peccatis venialibus, aut peccatis ex ipsorum mente non peccatis attendantur, homine iis informato per Attritionem ex metu Gehennæ forsitan à peccatis, ut dicuntur, externis se continente, non tamen ab internis, quæ aut planè non pro peccatis habere aut ad minimum viliter æstimare doctus est, continentiâ hâc à peccatis nimium imperfectâ manente; utut, quod hic in primis advertendum est, ne Doctoris Lovanienſis contra hanc *Lutheri* distinctionem instantia quidquam valere ostendatur, non quid Attritionem ex metu Gehennæ in futurum sequatur, sed quid eam in præsenti, inque ipso Pœnitentiæ actu comitetur, qualemque ibi habeat effectum, in controversiam veniat. Mirum verò, quî Doctor Lovanienſis contra P. *Lupum*, unius secum Ecclesiæ hominem, scribere fuerit ausus: *Absit, ut senserit Augustinus, quod actus, qui sine peccato esse non potest, locum præparet charitati?* Quid enim, an actus timoris, ubi nullus est amor Justitiæ, dicendus est esse sine peccato? Ita nimirùm fieri solet, ubi ex nimio fervore disputatur, ut antecedentia sequentibus, & sequentia antecedentibus non respondeant, ac contradictiones sine numero occurrant. Sit etiâ ita, quod Doctor Lovanienſis gravissimè cum *Eckio* contra Lutherum urget: scripserit Augustinus quod Eum scripsisse Evangelici agnoscunt, *Nihil sic revocare homines à peccato, quemadmodum Mortis imminentis cogitationem.* Quid indè? Intellexit ne illud Doctor augustiſſ. de omnibus in universum peccatis? aut adscripsit ne huic meditationi Mortis & exindè timori effectū, quē Moralistæ Papæi adscribunt Attritioni ex

ex metu Gehennæ? vel locutusne est Pater Sanctus de jure, quo homines teneantur, metu Gehennæ præsertim, semetipsos revocare à peccato, quod ex amore DEI ac Justitiæ fieri deberet; & non potius de facto, id est, de eo, quod utplurimùm fieri soleat, etsi omninò aliter fieri justum esset atque æquum? Perpendat hæc accuratius secum Doctor Lovanienſis, vel quicunque hoc *Augustini* testimonio non ritè intellecto abuntur, nimiumq; in eo ex merâ confidunt incogitantiâ, ne dicam, ignorantia, & videbunt, non esse, undè ejus authoritate muniti tanto evehantur supercilio, *Lutherique* manibus beatis, omnibusq; aliis metum Gehennæ, timoremque hunc verè servilem, & si verum dicere licet, maleficis proprium, insufficientiæ & omnimodæ imperfectionis ex debito accusantibus adeò insultent, & quasi hostibus devictis canant triumphum, re non ita omni ex parte liquidâ, ut non, quod excipi possit, super adhuc sit, ut ostensum. Nec quidquam insuper ad præsens Institutum pertinet Doctoris Lovanienſis consequentia, dum ex eo, quod Augustinus timorem Gehennæ, & desiderium vitæ æternæ facere scribit, *ut homo tormenta & mortem contemnat*, sequi existimat, multò magis hunc timorem, & subsequens vel concomitans desiderium efficere, *ut homo abstineat ab actu quopiam inefficaci*, ut Doctor Lovanienſis loqui amat, *aut alio quocunq;, quem facillimè comprimeret*, inquit, *si propter illum sola Mors temporalis, aut tormenta in corpore essent toleranda.* Videtur argumentari voluisse Doctor Lovanienſis à majori ad minus, ut, si ille metus cum desiderio faciat contemnere mortem & tormenta in corpore, quod illi majus videtur; multò magis efficere possit abstinentiam ab actu peccaminoso, quem novâ loquendi formula dicit *inefficacem*, quod minus illi videtur. De ipsa argumentandi methodo & hypothesi, quam pro ejus fundamento ponit, nihil dicam, cùm id cuivis ferè Lectori non possit esse non obvium, quàm inconsequens sit hic processus; illud solùm noto, non ferire scopum, nec attingere cardinem Controversiæ, quæ de solo metu Gehennæ est concepta, qui Gehennæ metus solùm quoq; in argumentationis conclusionem venire debet, cui tamen in præmissis desiderium Vitæ æternæ adjungitur, contra Logicæ præscriptum, juxta quam sicut non plus esse debet in Conclusione, quàm in præmissis, ita etiam & vice quidem versa de jure non plus esse debet in præmissis, quàm in conclusione, tum ratione subjecti, tum ratione prædicati ejus. Hinc & ipse Augustinus verbis à Doctore Lovanienſe citatis Timori, de quo agimus, conjungit amorem, scribens: *Ama & time. Ama, quod promittit Deus; time, quod minatur Deus.* Quo ipsomet indicare voluit Sanctus Pater, timorem sine Amore non esse sufficientem, sicut in aliis metui Gehennæ desiderium vitæ æternæ adjunxit ideò, quia illum sine hoc nihil posse scivit, Bellarmino autem cum sequacibus è contrario huic timori & exindè Attritioni sufficientiam, non solùm ad abstinendum à peccatis, sed ad impetrandam quoque Absolutionis & remissionis peccatorum gratiam adscribente, quod Augustino nunquam venisse in mentem, non semel hactenus est observatum.

Hisce jam prænotatis, facillimum est elidere illa decem capita responsionum, quibus Doctor Lovanienſis eripere est conatus Augustini authoritatem iis, qui Attritionem in homine pœnitentiam agente arguunt insufficientiæ, id quod perpaucis ostendendum est. Et quidem ad *primam* Notationem repeti debet, quod modò dictum, plus esse in præmissis, quàm ingrediatur Conclusionem ex debito. Dum enim ostendi debuit, metum Gehennæ, quem Bellarminus expresè servilem dixit, ac provenientem ex eo Attritionem, sufficere ad impetrandam remissionem peccatorum, semper ei adjungitur præmii cœlestis amor, qui tamen in ipso Controversiæ statu non attenditur, juxta ipsius Doctoris Lovanienſis in præscripto operis titulo formationem. Quamvis etiam possit locum habere distinctio inter timorem malorum temporalium, & timorem malorum infernalium, Augustino quoque hic & ibi ad illam respiciente; certum est tamen, posse utrumq; in uno & eodem subjecto, quin & uno eodemq; tempore simul esse, & tamen venire sub nomine timoris servilis. Si enim Bellarminus ipsius Gehennæ metum dicit esse servilem, certè hoc Elogio, si quod est, non privabitur accedente metu malorum quoq; temporalium; utut mentem humanam apud non paucos ita videamus perversam, ut magis metuant mala temporalia, quàm æterna; cui metui, & exindè Attritioni, quæ in plerisq; ob maleficia pœnæ corporali obnoxiis, iis etiam, quibus à Confessario operis Satisfactio imponitur, de quâ pòst, observatur, nullum sensuris metum, nullam quoque ex eo Attritionem, nisi pœna & Satisfactio vel Satispassio ex communi usu loquendi eum vel eam extorqueret; cui, inquam metui num major vis adscribi possit, quàm metui Gehennali, etsi non ita intenso, & si huic is etiam accedat, sufficere

possit ad impetrandam peccatorum remissionem, nescio, an Doctor Lovanienſis, vel quivis alius timoris hujus servilis & Gehennalis encomiastes sit concessurus? Paucis, de omni metu mali in genere, sive temporalis, sive æterni, verum est & manet, quod Augustinus verbis ab ipso Doctore Lovanienſi laudatis graviter pronuntiavit: *Quid est magnum, timere malum? Magnum est, non facere malum; magnum est, amare bonum.* De distinctione & divisione peccati in externum & internum suprà jam est dictum. In Notatione *secundâ*, dum repetit differentiam inter timorem pœnæ temporalis, & inter timorem pœnæ gehennalis, & hâc observata putat nihil urgere illa Augustini testimonia, quibus agit quidem de metu pœnæ, sed non addit, quod in specie agat de metu Gehennæ, quia commodissimè explicari possint de metu pœnæ à Judice humano infligendæ, de quo certissimum esse agnoscit Doctor Lovanienſis, *eum non excludere voluntatem peccati internam*, sed solùm, quæ restare videtur, externam, & hoc inprimis modo explicari debere statuit, quod Sanctus Pater *Concione vigesima & quinta in Psalmum centesimum, decimum & octavum*, verbis à Bellarmino in antecessum quamvis, ut jam dixi, contra semetipsum commendatis, de Timore servili scripsit; insigniter iterùm fallitur Doctor Lovanienſis, & Bellarmino, ut ex jam observatis patet, apertissimè contradicit & scribit, simulque mentem Augustini, & cujus ille fuit interpres, Regii Psaltis multùm pervertit, sicut id manifestum erit unicuique, qui ipsa Davidis verba, quæ Augustinus ibi explicat, ex integro Textu ponderabit, & quæ augustissimus Doctor ad eorum intellectum contulit, ad propositam Quæstionem conformabit. Bellarminus certè hæc Augustini verba judicavit esse aptissima, quibus metum servilem & gehennalem, de quo in præsenti controvertitur, & qui ad absolutionis gratiam sufficiens statuitur, ante omnia, quæ pòst suâ serie & numero recensuit, argumenta deberet; in *Enarratione* item hujus Psalmi hæc verba, quorum paraphrasin exhibuit Augustinus, ita explicans, ut Notatio Doctoris Lovanienſis nullum planè possit habere locum, nisi Bellarmino se opponere velit, & plerisque aliis, etiam domesticis Commentatoribus, Davidis & Augustini verba de metu pœnæ gehennalis à Judice Supremo olim infligendæ communiter explicantibus, quod ad hominem hactenus satis esse potest. In *tertia* Notatione injuriam facit Evangelicis, dum eos fateri scribit, *eandem esse rationem desiderii vitæ æternæ, & timoris Gehennæ*; quia nec ipse Augustinus, cujus vestigia hic libenter premunt Evangelici, timoris & desiderii eundem agnovit respectum. Quamvis enim concederetur, quod tamen concedi necessum non est, in uno eodemque subjecto, quod de metu pœnæ temporalis & infernalis ante etiam fuit observatum, quin & uno eodemque tempore, esse simul posse & metum gehennæ, & desiderium æternæ Beatitudinis; non tamen sequitur, apud omnes, quos tenet metus Gehennæ, esse etiam simul hoc æternæ Beatitudinis desiderium, cùm non paucos esse, qui solo gehennæ metu à malis abstineant, nullo ad æternam Beatitudinem habito respectu, nullo ducti ad eam desiderio, ipse Augustinus experientiâ doctus agnoscat, verbis à Bellarmino in confirmatione adductis: *Ille timor nondum castus præsentiam Domini & pœnas timet, timore facit, quidquid boni facit, non timore amittendi bonum illud, sed timore patiendi illud malum. Non timet, ne perdat amplexus pulcherrimi Sponsi; sed timet, ne mittatur in Gehennam.* Et quia Augustinus hunc mali timorem, etiam sine boni desiderio, certâ quadam ratione bonum dixit & utilem, quod Bellarminus in suam traxit Sententiam, hinc suprà jam in hujus testimonii examine est ostensum, quousque hæc timoris bonitas valeat, & quorsum impertinenter omninò extendatur. Sufficit hic iterum observasse Doctoris Lovanienſis à Bellarmino pariter & Augustino dissonantiam, ea inter se combinantis, quæ *Augustinus* & ex eo Bellarminus apertissimè disjunxit, & quæ apud non paucos disjuncta esse certum est, nullo æternæ Beatitudinis desiderio ad bonum duci se sustinentes, nisi metu gehennæ à peccatis abstinere docerentur, facilè aliis locum in æterna Beatitudine concessuri, modò ne sedem apud Inferos expectare ob comminationum Divinarum veritatem cogerentur, quamvis non desint, qui eas non solùm vocent in dubium, sed cacchinnis etiam excipiant, Atheorum sodalitio adscripti, suo olim malo experturi, cujus metu à malo abstrahi non potuerunt. In *quarta* Notatione Doctor Lovanienſis manifestè iterum à Sententia Bellarmini discedit, nec ita obscurè ad partes Evangelicorum, eorumque inter Moralis Doctrinæ, de quâ ante, adversarios, Attritionem ex metu gehennæ in Pœnitentiâ insufficientiæ arguentes, concedit. Dicit, Augustinum sæpè loqui *de timore infructuoso & ignavo*, qualem adscripserit Judæ proditori, & cuivis nequissimo & crudelissimo Latroni, *quo sibi consulit pec-*

cati

cati timet, ne jam instet finis vitæ & dies Iudicii; & de hoc non esse Quæstionem, ubi de Attritione pœnitentiali agitur, sed de eo, *qui cum effectu movet ad confugiendum ad Dei Misericordiam* August. ad hunc timorē graviter adhortante: *Sic time Dominū, ut speres in Misericordiâ ejus; & placabis eum.* Atqui ita Doctor Lovanienſis, ſi hanc Auguſtini mentem timet, non aliis Evangelicis, non aliis cordatioribus Doctrinæ moralis hoſtibus, ſed Bellarmino, imò ſibimet ipſi, ut ex antedictis cōſtat, eſt contrarius, Attritioni ex metu Gehennæ ſufficientiam adſcribentibus. In *quintâ* Notatione eandem recoquit crambem, dum Auguſtinum ait loqui de timore ineffi caci ac habeti, de quo tamen Bellarminus etiam agit, & qui hic in actu Attritionis pœnitentialis attenditur, *quo videlicet peccator ita punientem timet Deum, ut ſolius pœnæ fugiendæ causâ*, ita Bellarminus, *à peccatis perpetrandis caveat, & de perpetratis doleat*, quod poſtremum inprimis ab homine pœnitentiam agente & peccatorum remiſſionem expetente requiritur. Hunc timorem ſi Doctor Lovanienſis, & quidem, ut videri vult, ex Auguſtini mente inſufficientem ſtatuit ad Attritionem, ſicut reverà omni modo eſt inſufficiens, videat, quomodo ſe ipſum liberet à contradictione, & quid reſponſurus ſit Bellarmini hyperaſpiſtis, iisque omnibus, qui juxta Theologiæ Moralis communiter receptæ præſcriptum hujus Gehennalis metûs ſufficientiam omnibus modis ſatagunt defendere, nobis repetitâ hâc Evangelicæ Veritatis confeſſione in rejiciendo timore ſervili & exindè profectâ Attritione contentiſſimis. In notatione *Sextâ* ſecum ipſo iterùm pugnat. Rejecit ſuprà in primi ex Auguſtino teſtimonii pro Attritione ex metu Gehennæ vindiciis Lutheri diſtinctionem inter peccatum *externum & internuum*, ſtatuentis ex Auguſtini Sententiâ, hominem ex timore, nimirùm Gehennali, *continere quidem ſe à peccato*, ſed externo tantum; non autem interno, multis ex Auguſtino, quamvis impertinenter adductis. Hic autem ſui ac ante à ſe dictorum immemor non potuit negare, Auguſtinum admittere, *externum quoque peccatū ſtare cum timore ſervili poſſe*. Si externū, cur non potius iternum. Et ſi quodcunq; ſive externum, ſive internum cur ſcripſit contra ſemetipſum Doctor Lovanienſis: *Abſit, ut ſenſerit Auguſtinus, quod actus, qualis eſt Attritio ex metu Gehennæ, qui ſine peccato eſſe non poteſt, locum præparet charitati?* Ita circumagi in gyrum homines eſt neceſſum, ubi pedem figant, non habentes. In notatione *ſeptimâ*, de Amore Dei virtuali, diſtincto ab amore Dei expreſſo & formali, contra P. *Lupum*, ſuæ communionis hominem agens, manifeſtè in turbido piſcatur, cauſatus, quòd, ſicut ille, & quidem, ut videri voluit, ex Auguſtini mente, ſcripſit, *ad opera bona & Legis Divinæ impletionem ſufficere amorem Dei virtualem*, negans, *ſufficere eum in dolore de peccatis*, nullâ explicatione addita, quid intelligat per hunc amorem DEI virtualem; ita ſibi quoque liceat eadem uti diſtinctione, etſi non explicata, in ſenſu Auguſtini explicando, *quando is pro Pœnitentiâ requirit DEI dilectionem*; & ſicut ipſe explicet Auguſtini Sententiam de amore virtuali in ſuo ſenſu, ita ſibi etiam liceat explicare in ſenſu ante, ſed non niſi obſcuriſſime explicato. Vide, Lector amice, quo hi fratres Cadmæi modo in tenebris ſecum ipſis pugnantes, ſeipſos mutuis conficiant armis, nulla diſtinctionum evolutione facta, omninò Lectoribus veritatem indagantibus exhibenda, niſi eos, quos informare debebant, in ſuſpenſo relinquere maluiſſent, & ita quidem, ut ipſismet Doctoribus difficile ſit, alterius mentem divinando tantùm adſequi, ne dicam, cum ratione & fundamento aliquid opponere, ſed aerem verberare cogantur, id eſt, inanem ludere operam. Quidquid autem ſit de hâc amoris diſtinctione, quam prolixius excutere Inſtituti ratio non permittit, & de cujus ſenſu, ut dixi jam, ejus defenſores nondum conveniunt, quovis eorum ſingularem ſibi mentaliter tanquam aliquod myſterium reſervante; quidquid etiam ſit de eâ Auguſtini Sententiâ, quâ juxta Doctorem Lovanienſem pro Pœnitentia requirit DEI dilectionem, in cujus ſenſu itidem alter alterum non intelligit; nobis iterùm ſufficiat hic repetere, quod Auguſtinum hactenus non ſemel pronuntiantem audivimus de iis, qui per timorem, videlicet ſervilem abſtinent à peccato: *Timent quidem, ſed non amant Juſtitiam.* Si Juſtitiam non amant, quâ ratione DEUM, Juſtitiæ authorem amare, etiam virtualiter tantùm, quomodocunque intelligatur, amare dici poſſunt? In Notatione *octava* gladium contra ſemetipſum nobis iterùm præbet. Dicit, Auguſtinum ſæpè intelligi poſſe (an etiam debere?) de periculo, *quod in magnis præſertim peccatoribus meritò timetur, ne dum timent, pœnam non timeant efficaciter, adeòque in animo maneat prava adfectio ad peccatum.* Atqui hoc eſt pro nobis, dum Attritionis ex ſolo metu Gehennæ inſufficientiam accuſamus. Neque adeò impertinens videtur eſſe *P. Lupi*, quem tamen defendendum non ſuscipimus, diſtinctio

NB.

tinctio inter peccati cupiditatem *patentem & latentem*; cùm experientia constet, plurimos ità cupiditates suas coram hominibus occultare, ut ne oculatissimi quidem cordis pravitatem internam, quæ externâ Pietatis specie tegitur, penetrare studio omni adhibito possint; quamvis etiam sine hâc distinctione res sit satis aperta, Doctore Lovaniensi agnoscente, Attritionem ex solo metu Gehennæ omnem animi prävitatem & malos in eo adfectus non exhaurire, quo ipsomet iterùm confirmavit distinctionem Lutheri inter peccatum externum & internum, quam suptà tamen superciliosè rejecerat. In Notatione *nona* itidem nobis arma suppeditat, quibus contra ipsum uti licet. Dum enim agnoscit, & ex mente quidem Augustini, minus perfectum esse, *detestari peccata ex motivo pœnæ, quàm ex amore Justitiæ aut DEI*, duas Justitiæ & Perfectionis Christianæ partes statuens, unam, declinare à malo, alteram, facere bonum, *ita ut licet ex metu pœnæ declinetur malum, ex illo tamen fieri non possit bonum*; ulterius responsum nobis præbet ad ea, quæ in Notatione *tertia* ex mente Evangelicorum, falsò quamvis proposuit, Augustino testimonium veritati exhibente, dum *aliud esse desiderium præmii, aliud esse formidinem supplicii* notanter pro innocentiâ Evangelicorum scripsit, quod iterum satis hic esse potest. In Notatione *decima* & ultima suis nititur hypothesibus, quibus, etsi non ex debito demonstratis, multa superædificat, quæ suâ mole ruunt. Huc pertinet, quod dicit, eum, qui exortis Concupiscentiæ motibus & desideriis, quæ vocat, indeliberatis non consentit, *verè iis resistere*, & qui eosdem concupiscentiæ motus pravos compescit, ligat, reprimit, frænat, *ab omni liberum esse peccato*; item quod exempli loco de Adamo in Statu Innocentiæ, ut vocatur, adhuc constituto scribit, *fuisse in Eo frænum & ligamen concupiscentiæ, quo DEI munere speciali in illo repressa fuerit & refrænata concupiscentia*, de quibus infrà suo in loco ex Augustini Sententiâ agetur. Hic in antecessum & in genere tantùm repeto, quæcunque Doctor Lovaniensis hisce hypothesibus ad confirmandam thesin suam de Attritionis ex metu Gehennæ sufficientia superstruxit, fundamentis non consistentibus, id quod, ut dixi, infrà probabitur, per se cadere, nullumq; adeò venire alicujus rationis vel demonstrationis in censum. Et hactenus de decem responsionis ad Augustini contra metum Gehennalem testimonia, à Doctrinæ Moralis hodiernæ antagonistis, ê variis Ejus Scriptis singulari studio collecta capitibus, quibus Doctor Lovaniensis, & qui Eum orbi Christiano commendavit, Doctrinæ Moralis novissimus hyperaspistes, *Honoratus Fabri*, rem totam dedisse confectam sibi videntur, è quorum brevissimo, quantum fieri potuit, examine Lector qualicunque etiam Judicio pollens, modò Veritatis sit sincerè studiosus, & à partium studio vel præconceptis opinionibus & præjudiciis alienus, facili operâ intelliget, quot principiorum petitionibus, quantis Elenchi ignorationibus, id est, Status Controversiæ perversionibus & pro lubitu mutationibus, nec non pluribus hic & ibi contradictionibus semetipsos ultrò conficientibus laborare habeant necessum, qui malè receptam de Attritionis *ex solo metu Gehennali* ad Pœnitentiam, & ad impetrandam peccatorum remissionem sufficientia Sententiam ex Augustino præprimis defendere, & clarissimis Ejus contra hanc doctrinam testimoniis obviam ire, id est, si rem nomine proprio licet exprimere, ea obscurare laborant; illustri hoc specimine ideò explicatius hic proposito, ut quid de integro Theologiæ Moralis systemate, qualiter hodiè non sine cordatiorum gemitu, nec absque simpliciorum scandalo, & quod præcipuum est, cum plurimo animarum Christi merito redemtarum periculo, in publicis multorum Scriptis, singulari Elogio Censorum nimis benignorum commendatis docetur, homini sinceram ex Verbo DEI veritatem quærenti, ex Augustini etiam, *Doctoris* apud adversarios utplurimùm æstimatissimi Sententiâ sit habendum, ne speciosо *Theologiæ Moralis* titulo seduci, & ad opiniones justo benigniores, non tamen nisi rigidissimum severissimi Judicis tribunal post se trahentes, & Ignem Gehennæ, cujus solo metu & ex eo Attritione, medio omni ex parte imperfectissimo, frustra *Dei* gratia quæritur, pro clausula adferentes, abripi se patiantur, qui talia legunt & audiunt, eo Theologiæ Moralis compendio tanquam sufficientissimo contenti, quod Summus Legislator non in duodecim, sed duabus tantùm Tabulis omnibus in universum hominibus loco normæ omnium actionum non in obscuro, sed Solis mensâ quasi, verbis non ambiguis, sed apertissimum exhibentibus sensum proposuit, & ne quid difficultatis super ullâ ratione esset, in utroq; Testamento ita perspicuè explicavit, ut, si mens devota & attenta accedat, omnia exindè ad Vitæ & officii Institutum observatu necessaria, tanquam ex fonte perennifluo possit haurire, DEIq; voluntatem sanctissimam & quoad facienda, & quoad fugienda pro hujus vitæ modulo

modulo sufficienter agnoscere. Quamvis autem, ut illud etiam addatur, Doctor Lovanienſis de his decem recenſionibus ſuis gloriari fuerit auſus, *quamlibet earum longè minus tortam eſſe & violentam, quàm ea ſit, quam adverſarii* Attritionis in tantum commendatæ *adhibere cogantur*, quod quo jure quâve injuriâ ſcripſerit, Lectoris æqui judicio commiſſum eſto; fateri tamen debuit, quod non planè nullum Veritatis documentum eſt; *hâc vel ſimili ratione exponendum eſſe Auguſtinum, ne Synodo Tridentinæ & communi Patrum ac Doctorum ſenſui, ac ipſi rationis dictamini contrarius videatur*, non attendens Scripturæ & revelatæ in eâ Veritatis authoritatem, quæ tamen ante omnes alios reſpectus hic quam-maximè & præprimis debuit attendi. Imò & illud nobis non parvum præbet præjudicium, quod idem Doctor Lovanienſis iterum contra ſemetipſum, & omnes in univerſum Attritionis ex ſolo Gehennæ metu defenſores ſubjunxit: *Licet in Auguſtino aliqua reperirentur loca ſaltem in ſpeciem difficilia, noſtræ hoc non obeſſet Sententiæ, cùm etiam contra puncta ab Eccleſia definita, ut in materia* **Libertatis, Gratiæ, Euchariſtiæ**, *&c. paſſim objiciantur ex Auguſtino teſtimonia, ſaltem in ſpeciem difficilia.* An enim hæc Sententia de Attritionis ex ſolo Gehennæ metu ad Pœnitentiam & impetrandam remiſſionem peccatorum ſufficientia non pertinet inter puncta ab Eccleſiâ definita, quam Doctor tamen Lovanienſis ideò ex Auguſtini authoritate ſumſit confirmandam, ne Synodo Tridentinæ, in qua Eccleſiam eſſe locutam nemo Papiſtarum audet dubitare, contrarius videatur? Quod verò attinet paritatem in materia *Libertatis, Gratiæ, Euchariſtiæ*, &c. de iis partim in antecedentibus jam eſt actum, partim in ſequentibus etiam porrò agetur, & bono cum DEO uberius oſtendetur, non ſaltem difficilia in ſpeciem in Auguſtini Scriptis legi teſtimonia, ſed apertiſſimè contraria hypotheſibus, quæ hodiè à plerisq; Romanenſium ex nutu & decreto Synodi Tridentinæ, & quidem ſub Auguſtini utplurimùm authoritate defenduntur. Nunc reſtaret, ut, quæ ex citatis ſuprà Theologorum antehàc Duacenſium, *Eſthii & Sylvii* antitheſibus ad mentem Auguſtini juxta Editorum Sententiam formatis ad Veritatis confirmationem inſervire videntur, in gratiam & ulteriorem ejus illuſtrationem excerperentur; ſed ne caput hoc excreſcat, ac Lectoris judicio diffidere nimis videar, ei hanc quoq; operam relinquo commendatam, ad alia DEO duce faciens tranſitum.

Prætermittere autem nequeo, cùm interea ad manus meas venerit *Joh. Launoji*, Sorboniſtæ Pariſienſis, liber *de Mente Concilii Tridentini contra Contritionem & Attritionem in Sacramento Pœnitentiæ*, hujus autem Scriptoris opera apud eruditos ſint rariora, exindè quædam excerpere, ad Inſtitutum præſens, nominatim verò Auguſtini authoritatem pertinentia, quaſi loco Adpendicis, & quæ antè prolixius dicta non parum poſſunt confirmare. In genere autem de hoc opere Launoji Sorboniſtæ prænotandum eſt, quod ipſemet in titulo ejus notanter monuit Lectorem, demonſtrari in eo, *Synodum Tridentinam duplici Theologorum de Contritione & Attritione opinioni nullum feciſſe præjudicium, ſed utramq; ſcholæ liberam reliquiſſe.* Quò hæc obſervatio pertineat, & quorſum hic labor Sorboniſtæ reſpexerit, Lectorem eruditum non latet, qui, quales Controverſiæ non ſolùm tempore Synodi Tridentinæ, ſed etiam ante Annos viginti, & quod excurrit, inter fratres Cadmæos de hâc ipsâ Quæſtione fuerint agitatæ, non habet incognitum, de quo antecedens ampliſſima Deductio ſatis teſtatur. Hanc autem libri inſcriptionem notatu digniſſimam ubi Author in priore libri parte octo diverſis rationibus ſtabilire laboravit, ultimæ hoc itidem notatu digniſſimum præſcripſit Lemma, *Quod ſi quæſtio hæc fuiſſet in Concilio ad definiendum propoſita, ex rerum definiendarum Legibus Patres ſecundum Contritionem potius, quam ſecundum Attritionem judicâſſent.* Ut conjecturam hanc faciat verè probabilem, utitur *Suarezii* ingenua confeſſione, ſcribentis, *opinionem de Attritione non eſſe certam, & poſſe eam eſſe falſam; imò nec valdè antiquam eſſe, nec multùm communem*, illo nimirùm tempore, quo vixit *Svarezius*, ſcilicet ſub exitum Seculi ſuperioris & initium hujus; à quo demùm tempore ſecundùm *Launoji* obſervationem *opinio pugnantium pro Attritione crevit plurimum.* En ætatis canam authoritatem! Inter complures verò Authores, quos è prioribus & poſterioribus Seculis numero ſatis magno collegit Sorboniſta, teſtes nimirùm Contritionis neceſſariæ ad impetrandam remiſſionem peccatorum, Auguſtinus quoq; noſter tribus teſtimoniis pro Contritionis neceſſitate munitus ſiſtitur, hic etiam porrò tanquam Confeſſor Veritatis Evangelicæ ex ore Adverſarii audiendus. *Primum* ex opere Sermonum de Verbis Domini in Evangelium Matthæi ita habet: *Qui confitetur, foras prodit; foras* Serm. 8.

prodire

prodire non posset, nisi viveret; vivere, non posset, nisi resuscitatus esset. Ergò in confessione sui accusatio, DEI est laudatio. Dicit ergò aliquis, quid prodest Ecclesia, si jam Confessor voce Dominicâ resuscitatus prodit; quid prodest Ecclesia confitenti, cui Dominus ait, Quæ solveritis in terrâ, soluta erunt & in Cœlo? *Ipsum attende Lazarum. Cum vinculis prodit. Jam vivebat confitendo, sed nondum liber ambulabat vinculis irretitus. Quid ergò facit Ecclesia, cui dictum est.* Quæ solveritis, erunt soluta; *nisi quod ait Dominus continuò ad discipulos,* Solvite illum, & sinite abire? *Secundum* ex libro quinquaginta Homiliarum,

Homil. 27 *Illa Pœnitentia luctuosa grave vulnus est. Adulterium fortè commissum est, fortè Homicidium, fortè Sacrilegium aliquod. Gravis res, grave vulnus, lethale, mortiferum, sed omnipotens Medicus. Jam post suggestionem facti, & delectationem, & consensionem, & præparationem, quasi quatriduanus putet mortuus. Sed nec ipsum Dominus deseruit, sed clamavit,* Lazare, veni foràs. *Cessit voci Misericordiæ moles Sepulturæ, cessit Mors vitæ, cessit Infernus superno. Elevatus est Lazarus, processit de Tumulo, & ligatus erat, sicut sunt homines in confessione peccati agentes Pœnitentiam. Jam processerunt à Morte; nam non confiterentur, nisi procederent. Ipsum confiteri ab occulto & tenebroso est procedere. Sed quid ait Dominus Deus Ecclesiæ suæ?* Quæ solveritis in terrâ, soluta erunt etiam in Cœlo. *Proindè Lazaro procedente, quia Dominus implevit Misericordiæ suæ bonum, ad Confessionem producere mortuum latentem & putentem, jam cætera implet Ecclesiæ ministeria,* Solvite illum, & sinite abire. *Tertium* ex opere eodem, *Judicet homo seipsum* in istis (peccatis, quæ „

Homil. ult. ex cap. 5. Galat. enumerantur) voluntate, dum potest, & mores convertat in melius, ne, cùm jam non poterit, etiam præter voluntatem judicetur à Domino; & „ cùm ipse in se protulerit Medicinæ severissimæ, sed tamen Medicinæ Sententiam, ve- „ niat ad Antistites, per quos illi in Ecclesia claves ministrantur, & tanquam bonus jam „ incipiens esse filius, Maternorum membrorum ordine custodito, à Præpositis Sa- „ cramentorum accipiat Satisfactionis suæ modum, ut in obferendo Sacrificio cordis „ contribulati devotus & supplex id agat tamen, quod non solùm illi prosit ad recipien- „ dam Salutem, *sed etiam cæteris ad exemplum.* Hæc Launojus ex Augustino, quæ suprà adductis omninò fuerunt adjungenda.

Ab illo tempore nova inter *Mariolatras* nuper demum orta est controversia, novum videlicet specimen illius *Concordiæ discordis*, quam Evangelicis Doctoribus crebrò solent objicere, qui se invicem mutuis semper tantum non omninò interimunt vulneribus. Occasionem Schismati huic præbuerunt edita *Gandavi* primùm *Monita*, uti vocantur, *salutaria*, sub nomine *B. Virginis Mariæ, ad suos cultores indiscretos*, & quidem cum *facultate ordinarii librorum Censoris* ibidem, & *adprobatione Colonienſi*. Quos animorum motus hæc dederint Monita, notius est Eruditis, quàm ut hic prolixius veniat recensendum; prostant enim Scripta non ab uno Mariolatrâ iisdem opposita. Motus indè Author necessum habuit *Epistolam* pro iisdem scribere *Apologeticam, Mechliniæ*, itidem cum *ordinarii Censurâ* publicatam; quæ tamen Motus hosce adeò non sedavit, ut in majorem potius excreverint molem & nervum. His non impeditus, sed magis commotus *Tornacensis Episcopus* edidit *Epistolam* ad subjectos Diœcesis suæ, quos vocat, fideles *Pastoralem*, Gallico primum, pòst Latino Idiomate *Insulis* impressam, in quâ ad secundum libelli articulum, in quo de *Amore DEI super omnia* disseritur, hujus etiam Quæstionis injecit mentionem, hic quoque ex abundanti in gratiam Lectoris in-

pag. 34. & seqq. serendam. Hæc autem verba sunt: *Qui docent*, Attritionem, etiam eam, quæ ex solo „ pœnarum timore oritur, in Sacramento ad Justificationem sufficere, sentiunt, pœni- „ tentem tandem *ex attrito fieri contritum*, hocque vulgare & celebre est apud plu- „ res Theologos Scholasticos effatum; cujus, ni fallor, Sensus est, peccatorem sub- „ ità vi Sacramenti transire à statu & habitu timoris ad statum *habitumque charitatis*, „ Addit Episcopus Pastor, *Vix sanè Miraculum istud intelligitur, quo fit, ut pœnitens nullo actu interno producto, continuò tamen ad novum istum Sanctitatis gradum sublevetur.*

II. Cor. 3. *Paulus equidem ait*, Nos Gloriam Domini speculantes transformari in Imaginem eandem, à claritate in claritatem; *indeque forte similem aliquam in Pœnitentia* transformationem *à timore ad Amorem meditati sunt Attritionis imperfectæ defensores, ut sese ab intricatissimis, quas eorum parit opinio, difficultatibus expediant. Cùm enim hinc doceat Apo-*

I. Epist. 3. *stolus Johannes*, eum qui non diligit, manere in Morte; *& Paulus ei*, qui non amat Do-

I. Cor. 16. minum nostrum Jesum Christum, *dicat anathema; indè ipsi doceant, peccatorem in Sacramento per solam* Attritionem *ex timore duntaxat conceptam, ac omnis proindè Amore expertem justificari, hoc est, resurgere à peccato, ac proindè vivere, nec manere in Morte, aut*

Anathe-

Anathemati subjacere, timent, ne sua deflectat Sententia ab Apostolorum doctrina, à quâ tamen nefas est recedere. Ut autem ista evanescat oppositio, stetq; immota & inconcussa Veritas Evangelii, nec tamen cogantur mutare sententiam, ingeniosam hanc Misericordiæ machinam excogitarunt, ut justificatus subitò transeat ab Attritione ad Contritionem, & à timore erumpat repentè in Amorem, si non formaliter, uti loquuntur, certè æquivalenter, quo votabulo totum se Mysterium aperire Suarez *arbitratur, ait enim, hominem fieri ex attrito contritum quasi æquivalenter, seu quoad ultimum effectum, qui est Gratia & Remissio peccati.* Pergit Episcopus Pastor, *Quantum vis ista* Suaris *interpretatio sit subtilis, sanè differt longè hæc, quam excogitavit,* transformatio *Pœnitentiæ ab illâ transformatione, quam circa Fidem proponit Apostolus. Nec enim transformamur à claritate in claritatem, nisi productis variis actibus internis, qui tot veluti gradus intelliguntur esse, quibus ad eum demum adscendimus statum, in quo Spiritus Domini auxilio gloriam DEI facie revelatâ speculamur.* Suarez *autem, aliique ejus Adsectæ Theologi sentiunt,* attritum fieri contritum, *hoc est, peccatorem ab eo transire statu, in quo non diligitur Deus, ad statum, in quo diligitur Deus, sine actus mutatione; & hoc me non intelligere, fateor perlibenter,* scribit Episcopus Pastor, paucis subjungens interpositis, quæ quam maximè huc pertinent: *Sancti Patres,* Augustinus, *Gregorius Magnus, aliique, qui hanc materiam pertractarunt, peccatorem non nisi per Amorem ad Deum reverti arbitrantur. Eandem Doctrinam sequuntur* Thomas, *multiq; percelebres Scholastici. Ita se sentire non ita pridem in Conventu Provinciæ suæ declarârunt eximii Ecclesiæ Gallicanæ Episcopi. Facultas Lovaniensis, Ecclesiæ Belgicæ Theologis haud dubiè veneranda, solemni Decreto censuit, neminem absque Amore, etiam in Sacramento, cum DEO redire in Amicitiam.* Suarez *ipse satis apertè innuit, suam ipsius sententiam nec antiquam esse, nec periculo vacare; quamvis ab eo tempore, quo scribebat* Suarez, *turba recentiorum Scholasticorum, qui confertim easdem à se invicem opiniones sunt mutuati, audacter tritam & vulgarem reddiderit.* Ita Pastor Episcopus, qui in sequentibus contra Attritionem suis plura suggerit, non inutiliter ibi legenda, quæ prolixius huc exscribere præter Instituti rationes esset.

T. IV. in III. Qu. 85. Art. 1. Disp. V. Sect. 3. num. 13.

Ibid. Qu. 90. Disp. 15. Sect. 4 n. 17.

LIBRI TERTII
DE POENITENTIA,
CAPUT SECUNDUM, & seqq.
De
Confessione omnium peccatorum mortalium speciali.

NOn una hic Controversia tractatur, sed multiplex, nimirùm an Sacerdotes in administrandâ clavium potestate sint propriè dicti Judices, an Confessio omnium peccatorum mortalium in specie sit necessaria, an ea nitatur Jure Divino, & quæ plures hic & ibi adnectuntur; quas tamen Bellarminus utplurimùm more suo ita confundit, ut mox in hujus, mox in illius confirmatione occupetur, adeòque & hic in turbido piscari voluisse videatur. Dum verò, ne quid prætermittamus, quod ad præsens Institutum pertiner, observare necessum est, vestigia Bellarmini in vindicandâ & hic Augustini Sententiâ sequemur, eo ordine Sancti Patris testimonia colligentes, quo fuêre ab ipso proposita, subjuncturi pòst responsum. Et quidem judiciariam Sacerdotum potestatem demonstraturus ad ea provocat Scripturæ loca, quibus non soli Petro, sed cæteris etiam Apostolis, imò toti Ecclesiæ clavium Regni Cœlorum Christus concessit administrationem, hanc de iis Augustini subjungens observationem: *Nemo sibi dicat, occultè ago, apud Deum ago.* Ergò *sine causa dictum est,* Quæ solveritis in terrâ, soluta erunt in Cœlo? *Ergò sine causâ claves sunt Ecclesiæ DEI datæ? Frustramus Evangelium DEI, frustramus verba Christi.* Pòst ubi hanc potestatem ex Patribus etiam hæc loca explicantibus probare conatus est, sequentia augustissimi Doctoris verba exhibuit, locum Apocal. Johannæ, Vidi Sedes, & sedentes super eas, & Judicium est datum, ita enarrantis: *Non hoc putandum est de ultimo dici Judicio; sed sedes Præpositorum, & ipsi Præpositi sunt intelligendi, per quos Ecclesia nunc gubernatur. Judicium autem datum nullum melius videtur accipiendum, quàm id, quod dictum est,* Quæ ligaveritis in terrâ, ligata erunt in Cœlo. *Undè Apostolus, Quid mihi est, inquit, de his judicare, qui foris sunt? Nonne de his, qui intus sunt, vos*

Homil. 49 ex lib. 50. Homil.

lib. 20. de Civ. DEI, cap. 9.

judicatis? Addit rationes pro hâc Judiciaria Sacerdotum potestate Bellarminus, easque Augustini authoritate nititur firmare, è quarum serie hæc est prima: *Si judices non essent Sacerdotes, nec peccata verè remitterent, sed solum annuntiarent, verè remissa esse, nemo pateret ex eo solùm, quod Sacerdotem habere non posset reconciliantem; qui enim credit, ex adversariorum Sententiâ jam habet remissionem, etiamsi nemo sit, qui verbis id protestetur.* At apertè scribit Augustinus, aliquos reconciliari cupientes, & proindè credentes in Christum, in æternum perire, quod ante moriantur, quàm à Sacerdote potuerint absolvi:

Epist. 180. ad Honor. *Annon cogitamus*, inquit, *cùm ad istorum periculorum extrema pervenitur, nec est ulla fugiendi potestas, quantus in Ecclesiâ fieri soleat ab utroq; sexu, atq; ab omni ætate concursus, aliis Baptismum flagitantibus, aliis reconciliationem, aliis etiam Pœnitentiæ ipsius actionem, omnibus consolationem & Sacramentorum confectionem & erogationem; ubi, si desint Ministri, quantum eos sequatur exitium, qui de isto Seculo vel non regenerati exeunt, vel ligati? Quantus est etiam luctus fidelium suorum, qui eos secum in Vitæ æternæ requie non habebunt.* Succedit ratio Bellarmini pro judiciariâ Sacerdotum potestate secunda: *Si non aliter peccata remitteret Sacerdos, quam Divinas promissiones annuntiando, certè nonnisi frustrà ac ridiculè absolverentur surdi & ii, qui ob vim morbi sensibus sunt destituti. At in Ecclesiâ veteri non solùm surdi, sed ii etiam, qui ob vim morbi extra se erant positi, aliquando reconciliabantur, ut patet ex Augustino, citato primi de Conjugiis adulterinis libri capite ultimo.* Inter figuras utriusque Testamenti, quibus judiciariam hanc Sacerdotum potestatem confirmare conatur Bellarminus, provocat etiam, ad Historiam Lazari à Christo per insigne mi-

Joh. 11. raculum è Sepulchro suscitati, scribens: *Quod Dominus è Sepulchro prodire jussit Lazarum, & ab Apostolis solvi voluit funeralia illa vincula, quibus erat ligatus, Patres dicunt significari, peccatores Divinâ voce excitatos prodire foras per Confessionem, & ministerio sacerdotum liberari à peccatorum vinculis per absolutionem*, diversis quinq; laudatis ex Augustino locis. Quia autem Calvinus recensente Bellarmino mentiri eos dixit, qui scribunt, *Christum imperâsse discipulis, ut Lazarum dissolverent*; miratur ejus impudentiam Bellarminus, quod tam audacter Augustinum mendacii arguere non vereatur, scriben-

Serm. 8. & 44. de verb. Apost. tem, illa verba, *Solvite illum & sinite abire*, à Christo ad Discipulos fuisse dicta. *Addit,* „ nullo Calvinum argumento convincere Augustinum posse, siquidem in Evangelio „ tantùm legatur, *Dixit eis, Solvite illum, &c.* neque præcedat aliquid, undè possit col- „ ligi certò, illud pronomen, *eis*, non referri ad Discipulos; videtur enim illud, *eis*, re- „ ferri ad eos, quibus paulò ante dictum est, *tollite lapidem*, iisdem enim dixit, *tollite* „ *lapidem*, &, *solvite eum*. Porrò, *tollite lapidem*, dixit circumstantibus, non exprimendo hos aut illos; sic enim legimus, *JESUS ait, tollite lapidem*. Domino autem absolutè quid circumstantibus præcipiente, certè est credibile, Discipulos aut solos, aut „ cum primis obedivisse. Quare licet ex Evangelio non possit certò colligi, qui fuerint, qui solverunt Lazarum; magna tamen est conjectura, Apostolos fuisse. *Post alia* „ *qua subjungit, antecedentia ex parte emolliens:* Alioquin ad rem nostram nihil refert, „ utrum Apostoli, an alii quidam Lazarum solverint. Ut enim hæc Lazari solutio sit figura Absolutionis Sacerdotalis, satis est, si ii, qui Lazarum solverunt, in eâ re Christi „ fuerunt ministri, & Christo jubente id fecerunt. Hoc enim contendimus, eos duntaxat potestatem habere remittendi peccata, quibus id mandavit Christus; quem ad „ modum ii soli Lazarum de monumento prodeuntem solverunt, quibus dixerat Chri- „ stus, *solvite Eum*. Quare Augustinus alibi non nominat Discipulos, sed generatim „

Tract. 49. in Joh. Ministros, cùm de illis agit, quibus dixit Christus, *solvite Eum*. Insuper ex aliis N.T. locis, quibus eandem confirmari putat Sententiam, pro judiciaria nimirùm Sacerdotis potestate, illud etiam Jacobi oraculum commendat Bellarminus, quo graviter quosvis Christianos legitur cohortatus: *Confitemini alterutrum peccata vestra*. Et quia dissimulare non potuit, *Philippum Melanthonem* in Augustanæ Confessionis Apologia objicere

cap. V. illam particulam, *alterutrum*, utpotè quæ videtur cogere, ut dicatur, *Apostolum non loqui de Confessione Sacramentali, quæ soli fiat Sacerdoti, sed de Confessione offensionis, quæ Fratri fiat offenso ad obtinendam ab eo pacem & veniam*; facilè tamen solvi hanc objectionem

Homil. 12 ex lib. 50. Homil. putavit, quia præter alios Augustinus hunc locum de Confessione, *quæ Sacerdoti fiat*, simpliciter accepisse videatur, & expositore Beda, ut & Hugone de S. Victore voces illæ *alterutrum & invicem* accipiendæ sint, prout exigat consequentia verborum Scripturæ, ita ut, *Confitemini alterutrum*, nihil aliud sit, nisi, *Confitemini homines hominibus*, id est, *qui absolutione indigetis, confitemini illis, qui potestatem habent absolvendi.* In seqq. prolixam ex Patribus deductionem ad probandam hanc Sacerdotum potestatem judiciariam instituit Bellarminus, ex integris, ut gloriatur, duodecim Seculis suam demonstra-

monstraturus Sententiam, ex Augustino præsertim quinque adducens testimonia, huic Instituto inservitura, è quibus primum indè dicit desumtum, undè S. Patrem proximè ad Jacobi oraculum laudavit testem, verbis seqq. *Deus noster, quia pius est & misericors, vult, ut ea confiteamur in hoc Seculo, ne pro illis confundamur postmodùm in futuro.* Secundum ex eodem opere, aliâ tamen Homiliâ: *Non solùm post Pœnitentiam ab istis vitiis se homo servare debet, sed & ante Pœnitentiam, dum sanus est; quia si ad ultimum vitæ steterit, nescit, si* (fortè, an) *ipsam accipere Pœnitentiam, ac DEO & Sacerdoti sua confiteri poterit peccata.* Homil. 41

Tertium ita habet: *Tristis esto, antequam confitearis; confessus exulta, jam sanaberis. Non confitentis Conscientia saniem collegerat, apostema tumuerat, cruciabat te, requiescere non sinebat; adhibet Medicus fomenta verborum, & aliquando secat, adhibet medicinale ferrum in correptione tribulationis. Tu agnosce manum Medici, confitere; exeat in confessione & defluat omnis sanies. Jam exulta, jam lætare; quod reliquum est, facilè sanabitur.* In Psal. 66.

Quartum occupat locum, quod Bellarminus monet, Augustinum interfuisse Synodo Carthaginensi tertiæ, & Canonibus ejusdem cum cæteris subscripsisse Episcopis, & hinc Canonem illius trigesimum & primum sine dubio adprobasse, quem in antecedentib', ubi Conciliorum Decreta pro Judiciariâ hâc Sacerdotum in administratione Clavium potestate collegit Bellarminus, hoc verborum tenore laudavit: *Ut pœnitentibus secundum differentiam peccatorum Episcopi arbitrio pœnitentiæ tempora decernantur.* Hunc Canonem dum in Concilii Africani canone decimo repetitum inveniri monet Bellarminus, addit, *Dubium esse non posse, quin omnia in Confessione detegi peccata oporteat, si juxta peccatorum differentias pœnitentiæ tempora decernantur.* Quintum deniq; & ultimum desumit ex libro de *verâ & falsâ Pœnitentiâ*, de quo notat Bellarminus, quod *etsi non videatur esse Augustini*, non posse tamen negari, quin sit alicujus antiqui probatiq; Scriptoris, cùm ex eo & *Gratianus & Lombardus* multa in suos libros retulerint testimonia.

In eo sequentia in rem suam extare monet Bellarminus: *Quem pœnitet, omninò pœniteat, & dolorem lacrymis ostendat, præsentet vitam suam DEO per Sacerdotem, præveniat judicium DEI per confessionem; præcepit enim Dominus mundatis, ut ostenderent ora Sacerdotibus, docens, præsentiâ corporali confitenda peccata, non per nuntium, non per scriptum manifestanda.* cap. 10.

Et infra: *Qui confiteri vult peccata, ut inveniat Gratiam, quærat Sacerdotem ligare & solvere scientem, ne cùm negligens circa se extiterit, negligatur ab Illo, qui eum misericorditer monet.* Et iterum: *Si peccatum est occultum, sufficiat referre in notitiam Sacerdotis.* c. 11. & 14.

Porrò: *Consideret peccator qualitatem criminis in loco, in tempore, in perseverantiâ, in varietate personæ, & quali hoc fecerit tentatione, & in vitii ipsius multiplici executione.* Paulò post: *Omnis ista varietas est confitenda.* Post hæc adgreditur Bellarminus refellere solutiones *Chemnitii* ad loca Patrum, sed nimis generaliter, & pluribus prætermissis, quæ huc quam-maximè videntur pertinere, præsertim quod Augustini attinet authoritatem, cujus dum non semel *Chemnitius* in recensendis novem Confessionis Ecclesiasticæ generibus antehàc usitatis facit mentionẽ, committendum non est, ut id silentio involvatur. Excerpamus igitur, quæ Instituto huic inserviunt, & videamus, an Bellarmini generalis responsio sufficere possit? Ita autem Examinator Anti-Tridentinus secundum genus describit: *Est confessio fraterna, quæ proximo fit, quandò scilicet is, qui offendit proximum, pœnitentiâ ductus fatetur se peccâsse, & sibi petit ignosci. De eâ Christus*: Si septies in die peccaverit in te frater, & conversus fuerit ad te, dicens, pœnitet me; dimitte illi. Luc. 17.

Et Augustinus, quod Beda etiam allegat in Epistolam ad Colossenses, illud Jacobi, *Confitemini invicem delicta vestra*, de hâc Confessione interpretatur. *De quarto genere hæc habet*: Veteri Ecclesiæ in multo & frequenti usu fuit publica Confessio, quam Exomologesin vocârunt. Illis enim, qui essent deprehensi in publicis criminibus, quæ Excommunicatione, *sicut loquitur Augustinus*, erant plectenda, publicè erat confitendum; hoc est, rei manifestorum criminum coràm Ecclesiâ, quasi in publico accusabantur judicio. Ibi crimen erat agnoscendum apud Pastorem & Ecclesiam, & signis ostendendum externis, verè ipsos dolere, quod DEUM offendissent & Ecclesiam polluissent. Erat ibi usitata quædam recitatio criminum; tales enim non recipiebantur, nisi coram Ministris & Ecclesiâ essent professi, se delicta agnoscere, de iis dolere, petere veniam & promittere emendationem. *In descriptione sexti generis ita monet*: Cùm ardor ille factus esset remissior, & non invenirentur, qui vel sponte per seipsos delicta sua enormia quidem, non manifesta tamen & notoria coràm Ecclesiâ confessione publicâ manifestare, vel consilio Sacerdotis ea in publico Ecclesiæ conventu exponi vellent, imò in notoriis etiam criminibus propter confusionem publicæ Confessionis multi omnem potius Pœnitentiam spernebant; Tract. 56. in Johan.

remissa igitur tandem & prorsùs ferme abrogata fuit severitas publicæ Confessionis, & commutari cœpit in privatam, ita ut talia crimina privatim & secretò confiterentur Sacerdoti, qui licet crimen illud in specie non proderet Ecclesiæ, injungebat tamen delinquenti publicam Pœnitentiam, ut ipso facto coram Ecclesiâ in genere confiteretur & declararet, se grave aliquid commisisse. *Ita Augustinus inquit:* Illi, quos videtis agere Pœnitentiam, scelera commiserunt, aut adulteria, aut alia immania facta; indè agunt Pœnitentiam. *Tandem circa genus nonum & postremum hæc observat Chemnitius:* Illa, quæ hactenus ex Patribus, & in specie ex Augustino adnotavimus, ad ea potissimùm crimina spectant, propter quæ excommunicari aliquis merebatur, ut *Augustinus inquit*, sive palàm ea essent, sive clàm, sive tantùm voluntatis proposito commissa. Non dissimulandum est tamen, extare multas præterea à Sententias apud veteres, quibus populum exhortantur, ut alia etiam peccata Sacerdoti per Confessionem exponant. *Ita Augustinus eleganter hoc describit:* Si transgredimur in aliquo peccato, post Baptismum, ordinavit Deus nobis Pœnitentiam propter fragilitatem nostram. Ideò debemus confessiones nostras veraciter confiteri, & fructus facere dignos, i.e. præterita ne iteremus, secundum jussionem Sacerdotis Deum timentis; qui Sacerdos, ut sapiens Medicus, sua primùm sciat curare peccata, & aliena pòst detergere vulnera, & sanare, non publicare. Nos sequamur, perquiramus, & cum talibus consilium Salutis nostræ ineamus. *Addit Chemnitius*, Hanc tamen disciplinam veteres non fecerunt simpliciter Jure Divino necessariam ad peccatorum remissionem *impetrandã*. Bellarminus cæteris omnibus, quæ ex Augustino collegit *Chemnitius*, non attentis, de ultimo tantùm genere notat, in ejus descriptione duo proponi, unum negando, alterum adserendo, scribens: *Negat enim* Chemnitius, *S. Patres*, ET INTER EOS AUGUSTINUM, *commendare Confessionem privatam omnium peccatorum, ut necessariam Jure Divino. Adserit autem, eos commendare privatam aliquorum peccatorum confessionem, tanquam utilem Disciplinam ad rudium institutionem, ad remedium contra peccata futura, ad consilium, ad consolationem, ad signum veræ Pœnitentiæ. Ex his duobus*, addit Bellarminus, *id, quod adserendo proponitur, libenter admittimus; habet enim Confessio Sacramentalis illas utilitates, & alias præterea non paucas. Sed quod adsumitur negando, id omninò falsum esse dicimus, & à* Chemnitio *non modò non esse probatum, sed ne probari quidem potuisse. Patres enim, quos hoc adducit loco,* ET INTER EOS ETIAM AUGUSTINUS, *nihil aliud docent, nisi, confitendum esse Sacerdoti peccata ad eum modum, quo morbi ab ægrotis aperiuntur Medico. Ex hac autem similitudine non sequitur, Confessionem non esse debere omnium peccatorum, aut non esse necessariam Jure Divino; sed contrarium potius sequitur. Nam & morbi debent omnes necessariò aperiri Medico, & Jure Divino tenemur, non minus Animæ, quàm corporis Medicinam quærere. Quare*, ita porrò Bellarminus, *tametsi Patres, quos citat* CHEMNITIUS, *& inter eos iterum Augustinus, non disertis dicant verbis, Confessionem omnium peccatorum Jure Divino esse necessariam; neg, tamen disertis etiam verbis dicunt, eam non esse necessariam Jure Divino, quod quidem hoc loco sufficeret ad refellendam Chemnitii vanitatem.* Tandem ubi conatus est Bellarminus aliquot argumentis confirmare, *Confessionem esse Juris Divini*, ac argumenta in contrarium, inprimis etiam *Chemnitii* solvere, alicujus meminit ex Augustino testimonii, à *Brentio* in Confessione Württembergicâ laudati, ad quod itidem respondere tentavit, ne confessioni, quam dicunt Sacramentalem, obesse ullâ ratione videatur. Verba Sancti Patris hæc sunt: *Quid mihi est cum hominibus, ut meas audiant Confessiones, quasi omnes meos sanaturi sint languores? Curiosum genus ad cognoscendam vitam alienam, desidiosum ad suam corrigendam.* Subjungit Bellarminus, *Hoc nihil est aliud, nisi imponere simplicibus. Nemo enim illos legit libros, qui nesciat, Confessionem, de quâ loquitur* Augustinus, *non esse Sacramentalem, sed peccatorum præteritorum ac per Baptismum jam remissorum, ad eum finem institutam, ut indè cognoscatur & laudetur Misericordia DEI.*

lib. 1. de Symb. ad Catech. cap. 6.

Epist. III. ad Julian.

lib. 10. Conf. c. 3.

Et hactenus pro Confessione peccatorum specificâ ex Augustino Bellarminus, cujus testimonia ante, quàm Examini debito subjiciantur, prolixius monere non est necessum, in quo Controversiæ versetur Status, & quid Evangelici de peccatorum Confessione, partim DEO, partim Ecclesiæ & Ministris Ejus, partim proximo etiam offenso ad DEI præscriptum facienda statuant, utpotè de quo non solùm libri eorum Symbolici, sed & ipsa Praxis quotidiana, eaque non occulta, sed aperta satis testimonium sufficiens præbere possunt & debent. Id igitur solùm restat ostendendum, à quorum partibus stet Augustinus, an Evangelicorum, an verò Romanensium, id quod ex sequenti tractatione fiet manifestum. Et ut ab eo fiat initium testimonio, quod Bellar-

Bellarminus ipse collocavit in acie, ne quid de authoritate illarum *quinquaginta Homiliarum*, vel in genere, vel in specie dicam, ex quibus id est desumtum; adponam illud solùm pleniore Textu, ut mens Authoris eò clarius pateat. Ita autem ibi auditores legitur adlocutus: *Si non potuistis habere, vel noluistis pudicitiam conjugalem seu continentiam, & deviastis à proposito vel vinculo Conjugali, vel devotione Continentiæ, sit in vobis dolor & humilitas Pœnitentiæ. Apertius dico, nemo dicat, non intellexi. Qui post uxores vestras vos illicito concubitu maculâstis, si præter Uxores vestras cum aliquâ concubuistis, agite Pœnitentiam, qualis agitur in Ecclesia, ut pro vobis oret Ecclesia,* Nemo sibi dicat, &c. *Promittimus vobis, quod Ille negat; nonne vos decipimus? Jobus dicit*: Si erubui in populi conspectu mea confiteri peccata. *Talis justus thesauri Divini obrizi tali camino probatus ista dicit, & resistit mihi filius pestilentiæ, & erubescit genu figere sub benedictione DEI, quod non erubuit Imperator; erubescit nec Senator, sed tantùm curialis, superba cervix, mens tortuosa. Fortassis, imò quod non dubitatur, propterea Deus voluit, ut* Theodosius *Imperator publicam ageret in conspectu populi Pœnitentiam, maximè quia peccatum ejus celari non potuit; & erubescit Senator, quod non erubuit Imperator? Erubescit nec Senator, sed tantùm Curialis, quod non erubuit Imperator; erubescit plebejus sive negotiator, quod non erubuit Imperator. Quæ ista est superbia? Nonne sufficeret Gehennæ, etiamsi nullum esset adulterium?* Hujus testimonii partem primam, etsi ordine inverso, exhibet etiam *Gratianus* inter aliorum loca, quibus doceri dicit, *sine oris confessione & satisfactione operis neminem à peccato mundari posse, si tempus habuerit satisfaciendi.* Ante omnia autem, & in genere notari debet, agere *Augustinum*, vel quicunq; sub Ejus nomine hic latet, non de Confessione peccatorum privata, imò nullam planè expressam Confessionis qualiscunque, si Jobi verba excipiantur, fieri in his verbis mentionem, sed de Pœnitentiâ eorum publicâ, qui contra sextum Legis Decalogicæ præceptum adulterio se maculârunt, non privato tantùm Sacerdoti, sed coràm Ecclesiâ peccatum agnoscere tum temporis obligatorum. *Agite pœnitentiam, qualis agitur in Ecclesia*, inquit, ad exemplum Jobi provocans, qui *in populi conspectu* sua confiteri, id est, agnoscere ac testari ipso Pœnitentiæ actu non erubuit peccata; subjuncto etiam laudato nunquam satis exemplo Imperat. *Theodosii*, publicam in Ecclesiæ Mediolanensis facie, *Ambrosio* id urgente, facientis pœnitentiam. Quid autem hæc ad confessionem peccatorum privatam & specificam, pro quâ hic Bellarminus militat, & cum Eo plures alii? Quod autem illud *Augustini* attinet testimonium, quo Bellarm. ad demonstrandam potestatem Sacerdotum judiciariam usus est, de eo paucis notandum, explicâsse in eo S. Patrem illud Apocalypseos Johannææ oracului, quo post descriptionem ligationis Sathanicæ per integros mille Annos duraturæ, mentio facta est Sedium & sessionis super eas, & Judicii eam secuti, per id judicium intelligendo exercitium potestatis illius judiciariæ, quam Bellarminus hic adscribit Sacerdotibus, additâ allegatione verborum Christi *de potestate clavium*, & Apostoli de judicio circa eos, *qui foris* sint, ferendo. De utrisque, & Christi & Apostoli verbis videri debet, an ea Augustinus ritè ad propositum adplicaverit, & quidem ex Sententia testium Bellarmini domesticorum?

c. Agite, distinct. 1. de Pœnit.

cap. IV.

Ad oraculum in specie Apocalyptico-Johannæum notissimus arcani Sensus investigator *Ludovicus ab Alcasar*, post repudiatas suorum, *Riberæ* & *Viegæ* explicationes, quorum ille de omnibus Beatorum animabus in Statu Visionis Dei ac participationis Regni Gloriæ cum Christo jam constitutis; hic autem de tempore Judicii extremi, & hinc potestate judiciariâ, Sanctis, i.e. Apostolis, juxta Christi promissum, & Apostolicis Viris concessa, & post generalem resurrectionem exercendâ, omnibus etiam Sanctis & Justis communicandâ intellexit; post *Augustini* etiam, & quos Eum sequi dicit, *Primasii, Bedæ, Ruperti*, aliorumq; complurium laudatam interpretationem, sequentia notavit: *Verum est tamen*, Augustinum & Sectatores ejus non explicare, se de externâ Episcoporũ authoritate, & de publico Christianæ Religionis exercitio verba facere, quin imò videntur agere de eâ potestate, quam exercebant à primitivæ Ecclesiæ tempore. Sed *Augustinus* saltem & reliqui hunc locum referunt ad Episcoporum & Prælatorum authoritatem. Si autem consequenter loquendum sit, constitutâ declaratione eâ, quam in Dæmonis obligatione sectamur, explicandus omninò est locus de publica Episcoporũ & Romanorum præcipuè Pontif. authoritate seu majestate post publicam Christianæ Relig. professionem. Illa porrò verba, *judicium illis est datum*, illam fortassis habent ergiam, quasi dicatur, ipsi erant Judices, & potestatẽ è Cœlo habebãt; verũ denuò cessa illis fuit publica suæ authorit. exercitatio per magnitudinẽ & majestatem maximè congruentẽ. Itaq; gubernatores in Sellis sedere ita est accipiendũ, quasi res subsequuta protinus ad Draconis alligationem. Cum verò hujusmodi religatio non alia fuerit, quàm

quàm ipsum Draconem præpedire, ne Fidei Catholicæ publico usui obsistere posset in urbe Româ, hunc ipsum religionis Christianæ publicũ usum consecuta mox est Pontificum ac Prælatorum authoritas & administratio, atque hoc est, illos in Sedibus seu Thronis sedere, & potestatem à DEO sibi commissam exercere. Quamobrem jure possumus dicere, has Sellas sive thronos unâ ex parte esse Thronos antiquos, de quibus agitur cap. quarto, ex alterâ verò esse quodammodo novos, quod nova sit externa Majestas & amplitudo. Hoc autem perindè est, ac si dicatur, veteres Thronos in publico orbis loco fuisse collocatos, & tanquam cœlestes ac Divinos maximi fuisse habitos ac veneratos. Et si hoc pacto accipiamus prædictum Sedium locum, facilis est intellectu, & totius contextus consecutio manet aptissima, cùm tamen in aliorum explicationibus locus sit valdè obscurus & implicatus. Difficultatem latis ponderat *Riberæ*, quam verò Ipse tradit expositionem, nec *Viegæ* placet, nec ipsius met *Viegæ* explanatio facilior est. Pro nostrâ autem explanatione non militat solùm ipsius loci facilitas & cohærentia, verùm illa etiam inprimis ratio; nimirùm Apocalypsin prætermittere silentio non debuisse rem adeò præstantem & insignem, qualis est sublimis illa Majestas, quâ Pontifices in terra prius abjecti atq; demissi, postmodùm extollendi erant. Et eam fortassis ob causam contentus fuit Johannes dicere, *& vidi Sedes, & sederunt super eas*; nec ulterius exposuit, quinam in iis sedibus considerent. Ita enim innuit, eos ipsos, qui anteà contemti atque despecti erant, tantâ post Authoritate & amplitudine in regalibus Thronis considere; ex præcedenti autem tractatu supplendum necessariò erat, sermonem hic esse de Ecclesiæ principibus ac præpositis. Nam cùm de pace Ecclesiæ ageretur, necessarium erat, tam Thronos, quàm sessionem ad illud potissimũ revocari, quod in eâ elucere vel maximè debebat, nimirùm ad Pontificum authoritatem, reverentiam ac venerationem, quâ tanquam principes planè viri colendi *erant & observandi*. Hæc omnia ad limitandam vel potius extendendam Augustini explicationem, & hinc Bellarmini adplicationem *Alcasar* pro Rom. Pontificis, & Episcoporum authoritate, Johanni, & per Eum cunctis fidelibus præostensâ & præsignificatâ, quæ non indigna fuerunt visa, ut Lectori certas ob causas commendarentur, ac simul observaretur, num hæc Episcopalis dignitas quibusvis Sacerdotibus in clavium Ecclesiasticarum administratione constitutis possit adscribi, atq; hinc Augustini Sententia à Bellarmino laudata sine omni exceptione locum habere debeat. Et ut ex Interpretibus nostris aliquid accedat, *Cluverus*, è serie gestorum, tanquam verâ temporum clave, Apocalypsem Johannæ oracula illustrans, postquam Augustini Sententiam *Primasii* verbis exposuit de regimine Præpositorum in Ecclesia, notanter subjunxit: *Quibus præpositis noli eximere Magistratus Christianorum civiles, qui itidem cum Christo vincunt & regnant, sibenè* (forsitan, boni) *sunt Christiani, & partem regiminis obtinent in populo DEI, super illos præsertim, qui malunt in vetustate literæ, quàm novitate spiritus gubernari, quibus legemesse postam dicit Apostolus, cujus executor verè Magistratus est*; deindè *etiam super justos, ut eos defendant, & adversus improborum violentiam gladio sibi dato à DEO protegant, illos enim Christi subdelegatos potissimam in Mundo jurisdictionem tenentes, & cæteris ejus incolis dominantes isto videre licuit millenario, qui anteà Draconis tyrannidi per Imperium gentile fuerant subjecti.* Nunc ut de verbis Pauli etiam aliquid adjiciatur, quæ Augustinus ad suum propositum adhibuit, & quidem juxta Bellarmini mentem, ad demonstrandam potestatem Sacerdotum in usu clavium judiciariam, etsi *Cajetanus* quoq; in suis juxta sensum literalem Enarrationibus pronomen *Vos* putavit demonstrare dici posse *judices in Ecclesia Corinthiorum*, in proximè antecedentibus tamen generalius illud explicavit, scribens, 1. Cor. V. *Pronomen vos demonstrat homines, quùm Judicis exercent officium; commune siquidem est omnibus, eos judicare, qui comprehenduntur infra* (rectius, intra) *terminos suæ jurisdictionis.* Hæc prior Cajetani Sententia si obtineat, ad Ejus mentem non adeò pertinenter Augustinus his Pauli verbis in negotio præsenti usus videtur, de quo tamen S. Patri lis prolixior jam non est movenda, quia nec Bellarminus in his Pauli verbis pro judiciariâ Sacerdotum potestate demonstrandâ aliquod præsidium quæsivit, eoquemetipso Augustini adcommodationem insuper habuit, non omissurus, si quid ad rem conferre censuisset, nihil aliàs silentio involvens, quod ulla ratione judicavit posse Instituto infervire.

Ad ejus rationes authorit. August. firmatas nunc ut deveniamus, dum in *prima* ad istud S. Patris testimon. provocat, quo eos æternum sequi exitium statuit, *qui de Seculo hoc vel non regenerati exeunt, vel ligati, et si Baptismũ & reconciliat. flagitantes, Ministro tantùm Ecclesiæ destituti*; & contra semetipsum agit Bellarm. & id inde non probat, quod probare debebat. Contra semetipsum libri antecedentis c. post X. III. hoc Lemma præscribente:

Contritione

Contritione perfecta cum voto Sacramentum suscipiendi peccata ante Sacerdotis absolutionem remitti, illud sequentibus porrò confirmantem: *Catholici Doctores communi consensu docere solent, Contritionem, si perfecta sit, & votum Baptismi aut Absolutionis habeat adjunctum, omninò reconciliare hominem Deo & peccata remittere etiam ante, quàm reipsa Sacramentum percipiatur.* Si Bellarminus sui suorumq; verborum non immemor & oblitus ad hæc suum revocasset animum, & argumentatione hac sua & authoritate Augustini supersedere potuisset, imò debuisset, utpotè qua utraq; contradictionum non parce hactenus occurrentium auxit numerum, ac se iterùm sibimet ipsi stitit adversarium omninò irreconciliabilem. Sed & nullo planè modo probavit inde, quod probare habuit in animo. Nullam certe, ne minimam judiciariæ potestatis mentionem facit in his verbis Augustinus, nec quam ex iis nectit argumentationem Bellarminus, legitime potest ex iis deducere, ut sequatur, Sacerdotes in administratione & usu clavium Ecclesiæ ejusq; Ministris cõmissarum esse judices proprie dictos, ac præditos esse ea potestate judicaria, quæ cõmuniter eis præter, imò etiam contra Scripturæ ductũ adscribitur. Alia, quæ circa hoc August. testimonium merentur observari, partim in *Vindiciis Anti-Ottonianis*, partim suprà in Vindiciis hisce Augustinianis, ad Quæstionem, an *Pœnitentia sit Sacramentum proprie dictum*, indicata fuerunt, hic non cum fastidio repetenda. Cadit hinc ratio Bellarmini pro judiciariâ potestate Sacerdotum, quam, præter id, quod Augustini Sententia ad ejus demonstrationem impertinens est & hypothesibus Bellarmini contraria, Bellarminus etiam ita inconsequenter formavit, ut non videam quid indè possit concludi. Ratio nimirùm rationis & causa causæ requiritur, ut manifestum fiat, sequi, eos, qui peccata verè remittunt, esse judices propriè dictos. Quin & neq; contraria sunt, *peccatorum remissionem annuntiare, & verè peccata remittere*, cùm utrumque ab uno eodemq; fieri possit & soleat tempore; quemadmodum unus idemque minister vinculis corporalibus ligato liberationem è captivitate significare & simul à vinculis eum liberare potest, nullâ tamen potestate judiciariâ præditus, sed ministeriali tantùm, & quidquid agit, non suo, sed alterius nomine agens. Quæ in *secundâ* ratione ex Augustino adducit Bellarminus, ad rem quoq; præsentem non sufficit. Argumentatur Bellarminus ex consuetudine, quæ Augustini tempore in Ecclesiâ viguit, de quâ memorat Sanctus Pater, *quod ipsos, qui viventium conjugiis copulati adulterina retinent consortia, & corpore salvi in his permanentes non admittantur ad Baptismum, tamen si desperati & intra se pœnitentes jacuerint, nec pro se possint respondere, baptizandos putet, ut etiam hoc peccatum cum cæteris lavacro regenerationis abluatur*, addens pro ratione: *Quis enim novit, utrum fortassis adulterinæ carnis illecebras usque ad Baptismum statuerint detinere?* Subjungit porrò: *Si autem ab illâ desperatione recreati vivere potuerint, aut facient, quod statuerant, aut edocti obtemperabunt, aut de contemtoribus fiet, quod fieri etiam de talibus debet baptizatis. Quæ autem Baptismatis, eadem reconciliationis est causa, si fortè pœnitentem finiendæ vitæ periculum præoccupaverit; nec ipsos enim ex hâc vitâ sine arrhâ suæ Pacis exire debet velle Mater Ecclesia.* Atqui nihil in his Augustini verbis de potestate judiciariâ Sacerdotum, in actu officii circa usum clavis præsertim solventis ordinario occupatorum legitur, id solùm exhibentibus, quid Augustini tempore in usu fuerit circa eos, qui ob enormia, quæ perpetrârant, crimina, in quorum numero adulterium non minimum fuit, publicam in facie publicâ Ecclesiæ pœnitentiam agere, adque tempus præscriptum à communione Eucharisticâ abstinere debuerunt, ante finem impositæ iis Disciplinæ, & ante impetratam remissionem peccatorum, inque fidelium numero receptionem, vitæ periculum incurrerunt, morbo præoccupati, *intra se quidem pœnitentes*, non ita tamen, ut non externis etiam signis id aliquatenus manifestaverint, quamvis *pro se verbis respondere* impotes. Quid autem hæc iterũ ad ordinariam clavis, de qua præprimis hic agitur, solventis administrationem & judiciariam in ejus usu potestatem. Frustrà hinc risum movet Bellarminus, animal, ut in Scholis Logicorum juvenis adhuc forte circa descriptionem proprii in quarto, ut ajunt, modo audivit, risibile, dum per consequentiam risu dignam colligit. *Si non aliter peccata remitteret Sacerdos, quàm Divinas promissiones annuntiando, non nisi frustrà ac ridiculè absolverentur surdi & ii, qui ob vim morbi sensibus sunt destituti*, provocans ad Ecclesiæ veteris morem ex Augustini authoritate, qui tamen, ut ex verbis Ejus constat, neque de surdis agit, de quibus quid in hoc negotio statuendum censeant Evangelici, alibi indicatur; neq; etiam de iis, *qui ob vim morbi sensibus sunt destituti*, sed, quod longe aliud est, *qui desperati jacuerint, inter se tamen pœnitentes*, quod nemini certe cognitum esset, nisi externis quibusdam signis quacunque etiam ratione id docuerint, ut dixi, etsi lingua fieri non pos-

cõf Ægid. Coning. de Sacram. Tom. II. Disp. V. num. 29.

Vid. D. Balduin. de Caſ. Conſc. P. 456. ſeqq.

fit, cujus rei exempla pluries occurrunt, ut iis notum est, qui ex officii munere circa ægrotos & moribundos tantùm non quotidie occupantur.

A rationibus ad *figuras* ordo à Bellarmino observatus nos jam vocat, èque numero eorum ad quintam, quæ *historiam Lazari à Christo resuscitati* exhibet, ubi prætermissa Bellarmini invectiva in *Calvinum*, propter id, quod scripsit, *mentiri eos, qui dicunt, Christum discipulis imperasse, ut Lazarum dissolverent*, utpote quem *Dallæus* authoritate *Maldonati* defendit, agnoscentis, *dubium non esse Christum mandasse Iudæis, qui aderant, ut suis ipsi manibus quodammodò tangerent miraculum*, & simul monentis, *esse eam omnium bonorum Authorum sententiam*, Augustino, Gregorio & Bedâ exceptis, addito hoc notatu non indigno, *super arenam fabricare, qui super hunc locum fabricent Confessionem*, quam dicunt *Sacramentalem*; id quod *Cornelius à Lapide* etiam ingenuè fatetur scribens, *Iudæis Christum hoc jussisse, ut ipsi Lazarum contrectantes, miraculum à se factum, ejusque suscitationem manibus quasi tangerent & palparent*, Chrysostomo, Theophylacto, Euthymio citatis, Augustini de peccati vinculorum solutione ad *Symbolicam* referens Interpretationē, consentientibus Toleto, *Iansenio* Gandavensi, *Conzenio* & aliis; prætermissâ, inquam, Bellarmini contra *Calvinum* invectivâ, id solùm noto, ipsi quoq; Bellarmino vim veritatis expressisse, *non præcipuum in ejusmodi figuris fundamentum ad confirmandum Dogmata collocari debere, nisi in ipsâ explicentur Scripturâ, vel ex communi Patrum consensu, aut aliqua Ecclesiæ certa definitione constet, quorsum pertineant*; qui tamen addidit, *negari nullo debere modo, quin probabile argumentum indè sumi possit, quando magni*, quos laudat, *viri illas exponunt Allegorias*. Sed & illud porrò observari debet, Bellarminum, qui tam graviter contra Calvinum scripsit, mendacii eos arguentem, qui statuunt, *discipulis Christum imperasse, ut Lazarum dissolverent*, & prolixè satis ostendere conatus est, *magnam esse conjecturam, Apostolos Lazarum solvisse, etsi non possit certò colligi ex Evangelio, & credibile esse, Domino absolutè quid circumstantibus præcipiente, Discipulos aut solos, aut cum primis obedivisse*; postmodū re attentius considerata & animo à motibus liberiore, ultrò concessisse, *ad rem ipsam nihil referre, utrum Apostoli, an alii quidam solverint Lazarum, cùm satis esse possit, eos, qui Lazarum solverunt, in ea re Christi ministros fuisse, & Christo jubente id fecisse, & hinc eos tantum habere potestatem remittendi peccata, quibus id Christus mandavit.* At quis hoc unquam inter Evangelicos vocavit in dubium? Si hoc unum intendit probare Bellarminus, tantâ non opus fuit prolixitate. Verùm non sequitur, id quod Bellarminus intendit, eos, qui à Christo habent potestatem remittendi peccata, esse judices propriè dictos, nisi aliquam potestatem judiciariam adscribere velimus iis etiam, quibus in mandatis dedit Christus, ut Lazarum jam è Sepulchro resuscitatum & à mortis ligamine solutum à vinculis etiam lintearibus liberarent, non nisi ministerio functis, quod absurdissimum. Et si *Augustinum*, quæ consideratio huc pertinet propriè, de toto hoc negotio audiamus sententiam liberè dicentem, & iis quidem in locis, quæ Bellarminus ad suæ opinionis confirmationem laudavit, nihil omninò audiemus, quod Bellarmini causam juvare possit, cùm ubiq; Sanctus Doctor de hâc Lazari à vinculis solutione ita agat, ut potius ad publicam, tum temporis, ut dixi, usitatam Confessionem, quàm ad privatam respexisse videri possit, id quod manifestum erit, si ea breviter percurramus, mentem augustissimi Patris accuratius inspecturi, eo nimirum ordine, qui Bellarmino ipsi placuit.

Joh. 11.

Tract. 49. in Joh.

Primus autem ita habet: *Quomodo Lazarus processit ligatis pedibus, mirare, & non miraris, quia surrexit quatriduanus? In utroq; potentia Domini erat, non vires mortui. Processit, & adhuc ligatus est, adhuc involutus, tamen foràs jam processit. Quid significat? Quando contemnis, mortuus jaces, & si tanta, quanta dixi, contemnis, sepultus jaces; quando confiteris, procedis. Quid est enim procedere, nisi ab occultis velut exeundo te manifestare? Sed ut confitearis, Deus facit, magna voce clamando, id est, magna Gratia vocando. Ideò cū processisset mortuus adhuc ligatus, confitens & adhuc reus, ut solverentur peccata ejus, ministris hoc dixit Dominus*, Solvite illum, & finite abire. *Quid est*, solvite & finite abire? *Quæ solveritis in terra, soluta erunt & in Cælo.* Non dicam de Augustini applicatione, quam ipse Cornelius à Lapide dixit *Symbolicam*, illud tantùm moneo, non obscurè Eum intendere digitum ad publicam in publicis Ecclesiæ scandalis confessionem & secutam impleto Pœnitentiæ termino absolutionem, à qua ad privatam argumentari hic quidem non convenit. *Secundus* exhibet sequentia: *Quid prodesset Lazaro quia processit de Monumento, nisi diceretur*, Solvite eum, & finite abire? *Ipse quidem voce de Sepulchro suscitavit, Ipse clamando animam reddidit, Ipse molem terrenam impositam Sepulchro vicit, & processit ille vinctus. Non ergò pedibus propriis, sed virtute producentis fit in corde pœnitentis. Cùm audis, hominem*

in Ps. 101. Conc. II.

nem pœnitere suorum peccatorum, jam revixit; cùm audis, hominem confitendo proferre conscientiam, jam de sepulchro est eductus, sed nondum solutus. Quando solvitur? à quibus solvitur? Quæ solveritis in terrâ, erunt & soluta in Cœlo. *Meritò per Ecclesiam solutio peccatorum dari potest, suscitari autem ipse mortuus non nisi clamante intùs Domino potest; Deus enim hoc agit interius.* Neque de his Augustini verbis meum interpono judicium, sed id iterùm observo, quod præsenti inservit instituto, nimirùm, quod eos adloquitur Augustinus, qui audiunt homines pœnitentes & peccata confitentes. At non Sacerdotes Eum hic adloqui, sed suos in universum auditores, quis non videt? Manifestum est indè, non de privatâ hic agi Confessione & absolutione, sed publicâ. *Tertius* jam sequitur: *Mortuus est peccator, ille quam maximè, quem moles consuetudinis premit, quasi sepultus est* Lazarus. *Parum erat enim, quia mortuus, etiam sepultus. Quis eum resuscitabit, nisi qui lapide remoto clamavit,* Lazare, prodi foràs? *Quid est autem foràs prodire, nisi, quod occultum erat, foràs prodere? Qui confitetur, foràs prodit. Foràs prodire non posset, nisi viveret; vivere non posset, nisi resuscitatus esset. Dicit aliquis, quid prodest Ecclesia, si jam Confessor voce Dominica resuscitatus prodit? quid prodest Ecclesia confitenti, cui Dominus ait:* Quæ solveritis in terrâ, soluta erunt & in Cœlo? *Ipsum attende Lazarum. Cum vinculis prodit, jam vivebat confitendo, sed nondum liber ambulabat vinculis irretitus. Quid ergò facit Ecclesia, cui dictum est,* Quæ solveritis, soluta erunt; *nisi, quod ait Dominus continuò ad discipulos, Solvite illum, & sinite abire.* Eandem proponit Explicationem vel potius adplicationem Augustinus, quam in locis præcedentibus, ea tamen cum descriptione, ut & hic referri debeat ad publicam peccatorum confessionem, per phrasin, *foràs prodire*, satis clarè indigitatam, quæ non-nisi contradictoriè ad privatam trahitur, cùm sub fide silentii & sigillo, quod vocant, peccata confiteri & foràs prodire sint duo diversissima, & contradictio, ut Logicorum filii loquuntur, in adjecto, atque hinc deducta collectio absurdissima. *Quartus* aliquantò prolixius rem hanc tractat, de tribus mortuis agens, quos Christus suscitavit, exque hâc occasione tres peccatorum gradus faciens, quos cum illis per circumstantiarum adplicationem comparat, nobis hic tertium modò utrobique attendentibus, de quo ita Sanctus Pater: *Qui faciendo, quod malum est, mala etiam consuetudine se implicant, ut ipsa consuetudo mali non sinat eos videre quia malum est, fiunt defensores malorum, irascuntur, cùm reprehenduntur. Tales consuetudine malignâ pressit tanquam sepulti sunt; ita sepulti, ut de Lazaro dictum est,* jam putet. *Moles illa Sepulchro imposita ipsa est vis dura consuetudinis, quâ premitur anima, nec resurgere, nec respirare permittitur.* Et post aliqua: *Lazarus processit de monumento vivus, & ambulare non poterat; & Dominus ad discipulos,* Solvite eum & sinite abire. *Ille suscitavit mortuum, illi solverunt ligatum.* Sequentia non addo, quibus hæc ulterius illustrantur. Illud autem exindè patet, Augustinum in comparatione peccatoris, in cœno peccatorum sepulti, cum Lazaro ob quatriduanam ferè in Sepulchro moram fœtente, non obscure ad ea inter visibilis Ecclesiæ membra respexisse scandala, quæ fidelibus ob fœtorem creare solent nauseam, non-nisi publice curanda & per debitum sananda modum, tanquam vulnera in Ecclesiastico corpore intoleranda. *Quintus* super adhuc est, & is quam-maxime dignus observatu locus: *Est pœnitentia gravior atque luctuosior, in quâ propriè vocantur in Ecclesiâ pœnitentes, remoti etiam à Sacramentis participandi Altaris, ne accipiendo indignè judicium sibi manducent & bibant. Illa verò pœnitentia est luctosa. Grave vulnus, adulterium fortè commissum est, fortè homicidium, fortè aliquid sacrilegium. Gravis res, grave vulnus, et hale, mortiferum. Sed omnipotens Medicus, Iam post suggestionem facti, & delectationem, & confessionem, & perpetrationem quasi mortuus putet quatriduanus,* scilicet Lazarus. *Sed nec ipsum Dominus deseruit, sed clamavit,* Lazare, veni foras. *Cessit voci Misericordiæ moles Sepulturæ, cessit mors vitæ, cessit infernus superno. Elevatus est Lazarus, processit tumulo, & ligatus erat, sicuti homines in confessione peccati agentes Pœnitentiam à morte jam processerunt. Nam non confiterentur, nisi procederent. Ipsum confiteri, est ab occulto & tenebroso procedere. Sed quid Dominus suæ inquit Ecclesiæ?* Quæ solveritis in terrâ, soluta erunt in Cœlo. *Proindè Lazaro procedente, quia implevit Dominus suæ Misericordiæ bonum, perducere ad confessionem mortuorum latentem, putentem, jam cætera implet Ecclesiæ mysteria:* Solvite illum, & sinite abire. *Sed hoc Pœnitentiæ genus nemo sibi proponat, ad hoc genus Pœnitentiæ nemo se præparet; tamen si fortè contigerit nemo desperet.* Si nullus ex antecedentibus, hic ultimus certe locus, ex quo cæteri illustrantur, satis testatur, quæ mens augustissimi Doctoris fuerit circa adplicationem *Symbolicam* hujus de Lazari suscitatione miraculi ad confessionem peccatorum, àque iis absolutionem, videlicet, ut sæpe hactenus dictum, non ad privatam, sed publicam & solennem ac extraordina-

Serm. 8. de Verb. Dom.

Serm. 44. ibid.

Homil. 27 in lib. 50. Homil.

ordinariam, inque gravioribus Ecclesiæ scandalis usitatam. Ut adeò Bellarminus non ita sincerè Lectorem in Figuræ hujus ad demonstrandam Sacerdotum in ordinario clavium usu, qui ferè quotidianus est, potestatem judiciariam accommodatione ad Augustini authoritatem ablegaverit, fraudulenter pro more agens, quòd ipsa Sancti Patris verba non exhibuerit, omninò exhibiturus, nisi exindè plus damni, quàm utilitatis sperare, vel potius metuere debuisset.

Ad ea nunc progrediamur, quæ Bellarminus ex aliis N.T. locis ad probandam potestatem Sacerdotum judiciariam adduxit, ê quorum serie præprimis oraculum Jacobi
cap. V. huc pertinet, de quo præter ea, quæ *Gerhardus* noster in *Confessione Catholicâ* è Glossatore Juris Canonici, *Scoto*, *Erasmo*, *Cajetano*, ad ejus illustrationem collegit, sequentia aliorum Interpretum observari merentur, ut quid de Augustini Sententiâ habendum sit, è collatione eorum eò facilius patefiat. Et quidem *Jacobus Faber* Stapulensis hæc inter alia notavit ad illud: *Fiebat olim* invicem mutua offensarum confessio & fraterna re-„ conciliatio, Evangelicam sequendo doctrinam, mandante Domino, ut prius reconciliemur fratri, quàm nos nostraque DEO præsentemus. O magna DEI miseratio! si „ dimittis fratri in fide Verbi, & in eâ fide petit, dimissum est illi; hoc enim opus Fidei „ & charitatis esse oportet. Et talis olim erat inter fideles confessio. Nunc autem re-„ missâ Fide, aut prorsùs in plurimis extinctâ, quam Christus Jesus per suum Verbum & „ suum Spiritum exsuscitet, est alius confessionis peccatorum modus, quem etiam misericordiâ suâ acceptet; & parùm nunc fit, aut quod Jacobus hic monet, aut quod „ Christus ipse præcipit. Et certum est, quod olim in antiquâ Lege confessio peccato-„ rum Deo fiebat ad legis justificationem. Nova Lex addidit ad invicem & ad fratrem „ confiteri peccata. Undè fit, ut duplex in Sacris inveniatur Confessio, primâ DEO „ confiteamur corde, secundâ confiteamur peccata ad invicem, & offensum fratrem „ pariter & offendentem nobis reconciliemus, & in Signum reconciliationis oremus „ pro invicem. In locum secundæ modus ille confitendorum peccatorum, qui nunc „ est, successit, qui exerceri solitus est, cùm, ut verisimile est, homines plurimum à Fide „ lapsi, ad invicem offendentes & offensi, more prisco *non haberent confessiones*. Tres „ statuit in his verbis modos Confessionis; tribus distinctis temporibus eos adsignans, primum, quâ Confessio fiebat DEO, tempori Veteris Testamenti; secundum, quâ inter proximum offendentem & offensum instituitur mutua reconciliatio, prioribus Novi Testamenti Seculis; tertium, quâ Sacerdoti specificè peccata recensentur, posterioribus. Perspicuum indè fit, quid de Oraculo Jacobi senserit, & de illo insuper tempore, quo *Augustinus* in Ecclesiâ ore- & scripto-tenus docuit. Quamvis autem non fr ignotum, quid de hoc *Fabro Stapulensi* rigidiores in Papatu judicârint, nominatim Censores Romani & Hispani in suis, qui prostant, *Indicibus expurgatoriis*; non tamen defuerunt, qui Eum, dum adhuc vixit, in singulari pretio habuerunt, radios Evangelicæ Veritatis, quos hinc indè in Scriptis emisit, maximi æstimantes. Et hinc præsens quoque testimonium rejici non potest vel debet, quia post ipsum alii etiam non dissimilia multùm de hoc oraculo Jacobi scripserunt. Hinc *Balthasar Paes*, Lusitanus apertè: *Duplicem ex Sacris literis Confessionem deducunt Theologi, & de utrâq; Apostolum loqui hoc in loco adserunt.* Primam *adpellant consultricem & reconciliatricem. Fit autem, vel quando peccata, imperfectiones, infirmitates & conscientiarum angustias & scrupulos fratribus nostris retegimus, ut suis nos consiliis juvent, dirigant, & consolentur; vel quando mutuas offensiones libenter fatemur, ut invicem condonemus, atq; in Pacem & Concordiam redeamus. Huic Confessioni addenda est ea, quæ minimè Sacramentalis est, sitque propter humilitatem & in extremo casu, secularis*, de qua Cajetanus & ante eum *Augustinus*, cujus hac de re verba post audiemus. *Alia est Confessio Sacramentalis, de quâ simpliciter hunc præter alios intelligit locum Augustinus*, loco per Bellarminum citato. Quia autem Bellarminus ad *consequentiam verborum* provocat, ideò addit de suo & ex propria mente: *Cæterùm videtur locus intelligi simpliciter de oratione, ut exhortetur Apostolus hoc loco Christianos ad mutuas preces, quorum adserit maximam esse vim & utilitatem, & sic explicat hunc locum Author Sermonem ad fratres in Eremo*, qui à quibusdam putatur esse Augustinus, inter Ejus opera etiam exhibitus. Sufficere nobis hic potest, esse Theologos ex adversaria parte, qui de confessione, quam vocant *Reconciliatricem*, id est, mutuâ, interque offensum & offendentem reciproca hoc Apostoli oraculum intelligunt, ipsumque *Augustinum* verbis, ut dixi, postmodùm recitandis, agnoscere Confessionem, quam hic *Lusitanus* nominat *secularem*, in extremo necessitatis gradu non intermittendam, homini nimirùm Laico, si ordinarii

dinatii Sacerdotis non sit copia, faciendam; & si *consequentia verborum*, iterùm ad Augustini mentem, in hoc Apostoli Oraculo sit attendenda, quod Bellarminus etiam requirit, hæc de Confessione verba explicari debere de mutuâ & *reconciliatrice*. Utut autem hic Commentator cum aliis, & in specie cum Bellarmino, propriam *Augustini* Sententiam circa hoc Jacobi Oraculum referat ad Confessionem communi nomine dictam *Sacramentalem*, aliter tamen sensit *Esthius*, omninò super hâc re audiendus, ita scribens: *Tres sunt Apostolici hujus Præcepti expositiones, omnes aliquo modo probabiles. Quidam intelligunt de eâ peccatorum confessione, quâ culpam agnoscunt & veniam petunt fideles ab iis, quos aliquâ ad fecerunt injuriâ, uti faciendum præcipit Christus. Et quia multorum mutuæ sunt offensæ & injuriæ, dicunt, Apostolum jubere, ut eas mutuò libenter & fateamur & condonemus. Alii malunt eam intelligi peccatorum confessionem, quâ peccata fratribus reteguntur petendi consilii vel auxilii causa.* Matth. V. Consilii, *ut quùm Viri spirituales consuluntur de morbis peccatorum curandis atque inposterum evitandis, sicut intellexisse videtur Augustinus, loco per Bellarminum citato*; Auxilii, *quùm fratrum intercessione veniam consequi cupimus à DEO, quam causam non obscurè significavit Apostolus, dum subjunxit*, Et orate pro invicem, ut salvemini. *Porrò non pauci Scriptores Catholici interpretantur hunc locum de confessione peccatorum Sacramentali, quæ scilicet apud eos fiat, qui in Ecclesia potestatem habent remittendi & retinendi peccata. Favent huic Expositioni Origenes, Chrysostomus, Beda, Hugo de S. Victore*, Author libri Meditationum sub nomine *Bernhardi*, item Author opusculi de visitatione Infirmorum *inter Opera Augustini*. Et postquàm plura contulit ad hujus tertiæ Expositionis stabiliendam, ut ipse loquitur, *probabilitatem*, hæc notanter adjecit, *Sed quia prioribus etiam, secundæ præsertim, sua non deest probabilitas, atq; eam alii peræquè Catholici Scriptores tradiderunt, idcircò Lectori libera sit potestas è duabus, vel etiam ex tribus, eligendi quam voluerit.* Non pauca in his verbis habet *Esthius* notatu digna, interq; & præter alia id inprimis, quod Augustinus ei aliter, quàm Bellarmino videatur eodem in loco hoc Oraculum Jacobi intellexisse, quod non planè nullum in hâc re habere debet respectum. Ut taceam, Eum de potestate remittendi & retinendi peccata agentem abstinere ab hoc prædicato, quo *judiciaria* dicitur, ac insuper liberam relinquere Lectori potestatem è tribus, quas recenset & probabiles judicat, Expositionibus eligendi, quam voluerit. *Lorinus*, qui in suis, quos in plures utriusque Testamenti libros scripsit singulari studio, at non pari judicio Commentarios, nihil ex antecedentium Interpretum observationibus videri voluit prætermisisse, meminit quidem, *Salmeronem* confirmasse hanc de Confessione Sacramentali Sententiam authoritate *Paschasii & Augustini*, sed addit, *neutrum apertè satis id exprimere*; Serarium quoque præter alios Patres citasse Augustinum, *at de Sacramentali Confessione solum Hugonem & Bernardum clarè scripsisse*, ad id quamvis Augustini provocans testimonium, quod Bellarminus ex eodem opere Homiliarum primo statim loco commendavit, & de cujus sensu in principio responsionis jam fuit dictum. Subjungit autem in sequentibus: *Non respuo confessionem* „ auxilii vel consilii causa, quâ quis vel æger corpore, vel etiam sanus manife- „ stet pio, perito ac fideli amico Conscientiam & peccata, horumque Origines & „ causas; aut illam, quâ quis agnoscat culpam, veniamq; poscat ab eo, quem offendit; „ aut quando in vitæ versatur discrimine, nec suppetit Sacerdos, humilitatis & meriti „ majoris gratiâ aliis se aperit, precibus eorum se commendans, quod commendat Au- „ thor de vera & falsa Pœnitentiâ apud Augustinum. *Et post aliqua:* At optionem non „ facilè dederim, ut facit *Esthius* hoc loco, ab eâ recedendi Sententia, quæ Sacramen- „ talem hinc probat confessionem, cùm sit adeò communis & recepta; quamvis etiam „ neminem adstringendum putem, ut evidenter (NB.) ac necessariò id indè colligi fa- „ NB. teatur, ut rectè admonent nostri Vasquez & Suarez, volentes tamen, minimè conte- „ mnendũ esse hunc locum pro eâdem *Confessione Sacramentali*. Colligi iterùm ex his varia possunt, argumentationem Bellarmini ex hoc loco & Augustini authoritate infringentia, Lectori judicare perito satis obvia. Accedat nunc ex recentissimis Interpetibus, Lovanienſis non ita pridem Doctor, *Fromondus*, sequentem huic Oraculo adscribens paraphrasin: *Confitemini alterutrùm, non Deo tantùm, sed unus alteri, nempè homo homini, potestatem ad remittendum peccata à Christo habenti, si Confessio facienda sit Sacramentalis; aut etiam confitemini non habenti illam potestatem, si confessio ad mutuam reconciliationem, ad consilium, consolationem, vel Orationis adjutorium fiat, aut certe etiam in Pœnitentiæ aut offensi Numinis signum, quomodo olim ante Christi adventum & potestatem clavium hominibus data confessio peccatorum fieri solebat.* Confitemini alterutrum peccata vestra, *gravia quidem*

quidem Presbyteris, sicut in Lege maculas gravioris lepræ Sacerdotibus oportebat ostendere, ut Beda docet; Levia autem, inquit, & quotidiana coæqualibus confiteri possumus, non tamen quasi Laici aut Clerici nondum Sacerdotes possint confitentes absolvere à peccatis, cùm potestate clavium careant, sed quia Orationibus suis, consolatione aut consilio pœnitentes juvare possunt. Hinc olim in necessitate, cùm Sacerdos abesset, mos fuit, peccata etiam mortalia confiteri Laicis, ut patet ex Gratiano & Thoma. Nullam Augustini quidem facit mentionem *Fromondus* expressam, sed tamen ad ea provocavit *Gratiani* (addo, & *Lombardi*) verba, quæ alii etiam ex libro de *vera & falsa Pœnitentiâ* sub Augustini nomine commendarunt, de quibus statim agemus, ubi id adhuc tantùm monuerimus, *Franciscum Carriere*, Minoritam, post omnes ferè alios agnoscere cum *Balthasare Paes* suprà laudato, *duplicem Confessionem ex Scriptura deducere Theologos, & de utraque hoc in loco loqui Apostolum asserere; addere usitatam apud Religiosos, quam vocant capitularem, cui Superior adjungere soleat communem vel singularem pœnitentiam ad imperfectionum correctionem*; fateri etiam, vel le aliquos, *hic à Jacobo præcipi Confessionem non Sacramentalem, deficiente Sacerdote in articulo Mortis Laico faciendam, ac proindè tunc Laicum posse absolvere*; contra quam Sententiam etsi Minorita excipiat, *quod, cùm Laicus non habeat potestatem clavium, quæ ad Absolutionem requiritur, confessio autem fiat propter absolutionem, confessio non Sacramentalis nunquam fuerit præcepta*, ad Augustini provocans testimonium, ex eodem libro de *vera & falsa Pœnitentiâ* desumtum, undè Bellarminus etiam aliqua desumsit; nihil tamen id proficere, manifestum erit, ubi id accuratè inspexerimus, de quo cùm *Velosillus*, Lucensis antehàc Episcopus, *Advertentiarum* in præcipuos quosdam Ecclesiæ Doctores *Theologico-Scholasticarum* sub initium hujus Seculi Editor, speciatim agat, lubet id exindè huc transscribere, ac videre, quid circa illud duxerit observandum. Sequentia autem Is ex Augustino verba exhibet, quæ & Gratianum & Lombardum quoq; cum pluribus aliis laudare jam dixi: *Qui confiteri vult peccata*, ut inveniat gratiam, quærat Sacerdotem ligare & absolvere scientem, ne cùm negligens circa se extiterit, negligatur abilo, qui eum misericorditer monet, & petit, ne ambo cadant in foveam, quam stultus evitare noluit. Tanta itaque vis est Confessionis, ut si Sacerdos deest, confiteatur proximo. Sæpè enim contingit, quod pœnitens non potest confiteri coram Sacerdote, quem desideranti neque locus, neque tempus offert; etsi ille, cui confitetur, potestatem solvendi non habet, sit tamen dignus veniâ ex desiderio Sacerdotis, qui socio confitetur turpitudinem criminis. *Ut objectioni ex hoc Augustini loco faciat satis, tres format Conclusiones, quarum tertia hæc est:* Quondam in Ecclesiâ usus viguit confitendi Laicis in absentia Sacerdotis, ingruente saltem necessitate. Hoc constat ex loco Augustini citato. Valdè tamen probabile est, quod nunquam fuit in usu, Laicis confiteri peccata occultissima & gravissima, quæ alicujus essent infamiæ. Nam cùm illic nullum esset Sacramentum, neque absolutio à peccatis, nec collatio Gratiæ; & cùm credibile sit, talem Confessionem nunquam fuisse in præcepto, vix suaderi potest, quod homines sponte sua, & sine aliquo fructu sua panderent pudenda. *Nam* ratio Thomæ & Doctorum omnium, quæ ex similitudine Baptismi ducitur, nihil concludit; nam Baptismus est Sacramentum necessitatis simpliciter, potissimum infantulis, quibus ante usum rationis nulla patet via, nisi per ipsum. Et ideò concedimus, quod in extremâ necessitate potest quis à Laico baptizari; cum verò Sacramentum hoc non competat, nisi adultis, quibus Contritio sufficit, & si sint attriti, per Confessionem Laico factam fieri nequeant contriti; Ratio similitudinis non est efficax, ut Laicus in necessitate fiat perindè Minister pœnitentiæ sicut Baptismi. *Pergit in illustrandâ magis hâc Propositione sua Velosillus*: Quod si quispiam objiciat verba Augustini *à Gratiano etiam (addo iterum, & Lombardo) relata*, licet Laicus, cui fit Confessio, potestatem absolvendi non habeat, pœnitens verò sit dignus veniâ, quia ex desiderio Sacerdotis socio confitetur; posset quis decipi, existimans, desiderium illud idem valere, ac si confiteretur Sacerdoti: Et Thomas ait, quod quamvis Laicus ille Sacramentum non potest perficere ut Sacerdos, quia non potest absolvere, tamen Sacerdotis defectum Summus supplet Sacerdos; caveat Lector, ut sic intelligat, quod Deus tunc eandem conferat gratiam, quam conferret per Sacramentum, ut quod, si talis tantum esset attritus, ejus attritio fieret Contritio, quia ubi non est Sacramentum, Gratia alia speranda non est, quàm quæ respondet actui detestationis; sed sensus est, quod si ille accedit contritus, DEUS suam acceptat voluntatem, quia habere non potest copiam Sacerdotis. *Præterea*, confitendi humilitas & erubescentia illi meritum augebunt,

in Tom. IV. Quæst. 29. P. 407.

c. Quem pœnitet. distinct. 1. de Pœnit.

augebunt, & poterit ab illo consilium accipere & suis curandi morbis medelam; Laicus tamen ille pœnitentiam Sacerdotalem injungere non potest, nisi per modum consilii. Tandem post evolutionem (si non potius involutionem) aliquot dubiorum hic occurrentium pro Augustino, vel magis contra Eum respondet: *Quando dixit, tanta vis est Confessionis, ut si deest Sacerdos, confiteatur proximo, Thomas eum exponit, dicens, nullum insinuare præceptum, sed solum commendationem Confessionis, quæ tanta sit, ut possit Laico fieri. Et licet in solutione ad primum Augustini mentem explicans dicat, quod, quando imminet necessitas, debet pœnitens in absentiâ Sacerdotis Laico confiteri, verbum* debet *non præceptum sonat, ut nonnulli ex Summistis arbitrantur, sed decentiam, quæ à tempore Augustini usque ad Thomæ tempora erat frequentius in usu.* En acumen, Lector, omni laude dignum! Episcopus certè hic non nisi suis innititur hypothesibus, petitque principium ferè in infinitum, ea tanquam concessa præsupponens, quæ quàm maximè adhuc sunt controversa, & de quibus in utramque hactenus disputatur partem. Huc pertinet, quod pro omni ex parte indubio habet, homini in casu necessitatis & in defectu Sacerdotis ordinarii peccata Laico confitenti nullam à peccatis absolutionem, nullamq; omninò Gratiæ collationem per illius Laici ministerium conferri aut expectandam esse; quasi Deus hanc Gratiæ in Evangelio omnibus verè pœnitentibus promissæ collationem ita Sacerdotibus propriam esse voluerit, ut non etiam per Laicos eam in casu prætensæ necessitatis posset dispensare, imò etiam homo verè pœnitens omni hominum aliorum auxilio destitutus, Deo peccata confitens & ad Gratiam Ejus merito Christi nixam confugiens, vi factarum Promissionum de impetrandâ, quin & impetratâ jam eorum remissione & cum Deo reconciliatione non possit esse certus & omninò indubius. Quod verò rationem, cujus ex Thomâ & omnibus aliis Doctoribus facit mentionem, quæ ex similitudine Baptismi ducitur, nihil concludere existimat *Velosillus*, apertè supra vindicato Augustini testimonio, quod Bellarminus ad secundam rationem pro judiciariâ Sacerdotum potestate illustrandam ex primi de *Conjugiis adulterinis* capite ultimo adducit, est contrarium, utpotè in quo Sanctus Doctor expressè habet, *eandem esse reconciliationis*, nimirùm cum Deo, *quæ est Baptismatis*, causam.

Distinct. 17. Quæst. 3. Artic. 3. ad prim.

Inter postulata etiam, quæ hic nullum planè locum habere possunt, referendum venit, quod dum cum aliis statuit, & Contritionem sufficere ad impetrandam remissionis peccatorum gratiam, & hominem attritum per Confessionem Sacerdoti factam fieri contritum, hâcque etiam ratione remissionem peccatorum impetrare; è contrario autem de attritione cum peccatorum confessione homini Laico factâ statuit, eâ hominem fieri non posse contritum, atque hinc nullam habere spem impetrandæ remissionis peccatorum; quod nihil est aliud, quàm docere Remissionis peccatorum gratiam omnibus verè pœnitentibus in Evangelio promissam non-nisi à personâ Sacerdotis dependere, nihilque Deo hujus Gratiæ supremo Dispensatori adscribendum esse, nihil etiam super amplius esse, quod ad ipsa reconciliationis media Divinitus præscripta possit aut jure debeat referri. Omninòque perversissima est Glossa, quâ *Thomæ* verba satis clara, *Sacerdotis in terrâ defectum supplere Summum in Cœlis Sacerdotem Christum*, negat esse intelligenda, quod Deus tunc eandem conferat Gratiam, quam conferret per Sacerdotem, statuens, *non aliam sperari debere Gratiam, quàm quæ actui detestationis respondeat*; dum nulla plane proportio inter actionem hominis pœnitentis & Dei peccata remittentis intercedat, hic non nisi Gratiâ locum habente, omni respectu meriti sepposito. Neque etiam excusari potest, quod, dum idem Thomas ad mentem *Augustini* docuit, pœnitentem debere in absentiâ Sacerdotis, imminente nimirùm necessitate, Laico confiteri, contra jus omne, in primis Grammaticum vel potius Etymologicum, verbum *debere* in decere, ac debitum in decentiam ausu temerario mutare conatus est Episcopus, potestatem habens ex officio clavium Ecclesiæ, nullam Grammaticæ vel Etymologiæ; & sicut in illo Munere obligatus ad præscriptum cœlestis clavigeri, ita in hujus usu ad propriam verborum significationem ex suo sensu vel dissensu non confundendam aut permutandam. Bene tamen est, quod *Lucensis* hic Præsul, inter advertentias vel potius inadvertentias non paucas, hinc inde etiam lucis Evangelicæ radios sparsit, & dum eripere nobis Augustinum voluit, Eum non uno Veritatis testimonio cinctum sistere coactus est. Eminet ante cætera Propositio ipsa, quâ non potuit diffiteri, *quondam in Ecclesiâ usum viguisse confitendi Laico in absentiâ Sacerdotis, ingruente saltem necessitate.* Si quondam, dicant Antiquarii Novatorum accusatores, cur

non hodiè etiam? Id enim quod olim fuit non modò licitum, sed etiam efficax medium ad impetrandam remissionis peccatorum gratiam, cur hodiè sit illicitum & inefficax, nulla sufficiens dari potest causa. Et si nullum exindè habuissent fructum pœnitentes, credendum non est, Ecclesiam per suos Antistites hunc usum fuisse adprobaturam aut concessuram, ut Sacerdotum munere fungerentur ii, quibus id mandatum non est. De cætero, si ab Augustini ætate usque ad tempora *Aquinatis* hæc Laicalis confessio frequens in usu fuit, abolitionem ejus oportet esse nimis recentem, & hinc nullo planè modo inter orthodoxæ Antiquitatis documenta referendam. Accedit, quod, si ex augustissimi Doctoris Sententiâ Confessionis peccatorum tanta est commendatio, *ut Laico etiam fieri possit*, hodierni hujus Confessionis Laicalis contemtores non parvam huic Elogio inferant injuriam, ritè eam fuisse abolitam statuentes, omnemque ei fructum detrahentes, quæ ad hominem hactenus observâsse sufficiant, inposterum quoque suum habitura usum.

Ea nunc sequuntur ordine *Augustini* testimonia, quæ Bellarminus non tam ad probandam Sacerdotum potestatem judiciariam, quàm ad demonstrandam confessionis omnium peccatorum, præprimis mortalium specificæ necessitatem adduxit, de quibus, quantum fieri potest, breviter, ut Lectori & hic fiat manifestum, nihil ea ad rhombum.

Homil. 12 ex lib. 50. Homil. Et *primum* quidem nihil omninò habet expressum de confessione peccatorum homini faciendâ, sed quæcunque habet, ad confessionem peccatorum Deo faciendam referri possunt, imò etiam debent. Hinc in eodem Sanctus Pater, si modò is Pater est laudati fœtûs, sequentia addit: *Sanat te Deus, confitere tantum vulnus tuum. Iaces sub manibus Medici, patienter implora auxilium. Fovet, urit, secat; æquanimiter tolera, tantum noli attendere, nisi ut saneris. Sanaberis autem, si ostendas te Medico; non quia Ille non videt, si tu te abscondas, sed ipsa confessio initium est sanitatis.* Indubium est omninò, sermonem hic esse de Medico non terrestri, sed cœlesti, de eo nimirùm, qui ægroti morbum agnoscit antè, quàm ægrotus eum indicat. Nulla autem planè mentio fit specificæ peccatorum confessionis, Sacerdoti tanquam Judici faciendæ, id quod Bellarminus tamen sumsit demonstrandum. *Secundum* majori quidem probabilitate rem hanc agere videtur, sed si in loco,

Homil. 41 ibid. undè est decerptum, accuratius perpendatur, aliud planè adparebit. Videlicet, loquitur ibi Doctor augustus, si non alius sub ejus nomine, de iis iterùm, qui publicam agere tùm tenebantur in Ecclesiæ conspectu pœnitentiam, suaque, quibus scandalum aliis præbuerunt, peccata non solùm Sacerdoti, sed per eum, imò & ore proprio cunctis in Ecclesiâ fidelibus confiter; Patet hoc ex integro Sermonis contextu, in quo non semel publicæ hujus Pœnitentiæ mentio occurrit. Hinc multâ cum observatione ibi legitur: *Qui violavit Sacramentum* Baptismi, *malè & perditè vivendo, & ideò remotus est ab Altari, ne judicium sibi manducet & bibat, mutet vitam, corrigat se, & reconcilietur, cum vivit, dum sanus est; expectet* (fortè rectius expetat,) *etiam tunc reconciliari, quando mori incipit. Experti sumus, multos exspirasse, expectantes reconciliari.* Plura ibi in hanc rem extantia addantur, & constabit de veritate responsi contra allegationem Bellarminianam. *Tertium*

in Psal. 66. vel 67. Bellarminus quidem insigniter suo inservire putavit Instituto, in quo, dum Augustinus Deum Medico comparavit, homini apostemate laboranti & multâ sanie inquinato, fomenta verborum & medicinale ferrum adplicanti, ut eum à sanie & apostemate liberet, hanc proposito commodam adscripsit glossam: *Certè omnis sanies omnia significat peccata, & sicut ex apostemate omnis sanies, quam diligentissimè exprimenda est, ita judice Augustino omnia peccata in confessione sunt aperienda.* Sed & hoc testimonium ritè inspectum Bellarmini glossam, quatenus ad rem ipsam pertinet, refellit & omninò repudiat, Augustino & hic agente non de peccatorum confessione homini, sed DEO faciendâ, verbis proxime antecedentibus id fine omni exceptione exigentibus. Interpretatur nimirum Sanctus Doctor ea Regii Psaltis verba, quibus cunctas gentes, ad Ecclesiam & Salvificam DEI cognitionem, per Verbi prædicationem vocatas ad spiritualem ex hujus Beneficii gratâ consideratione exhortatus est lætitiam dicens, *Lætentur & exultent gentes. Vnde? per ipsam confessionem. Quare? quia bonus est, cui confitentur. Ad hoc exigit confessionem, ut liberet humilem; ad hoc damnat non aconfitentem, ut puniat superbum. Ergò tristis esto, antequàm confitearis &c.* Vides, mi Lector, Augustinum hic loqui de confessione ei faciendâ, qui bonus est, adeoque non de confessione hominibus faciendâ, qui sunt mali, nullam sibimet ipsis & à semetipsis bonitatem adscribere audentes. *Quartum* nunc sequitur testimonium, quod in specie Augustini solius authoritate non nititur, sed totius Synodi *Carthaginensis* ordine

&

& numero post Nicænam tertiæ, cui Augustinus ipse interfuit, & conditis ibi Canonibus cum aliis pluribus Episcopis subscripsit. Sed neque illud quidquam pro privatâ habet confessione, agens, quod ipse tenor verborum ostendit, de publicâ iterùm Pœnitentiâ, in quâ Episcopi nomine totius Ecclesiæ cum pœnitentibus *secundum differentiam peccatorum* egerunt, dùm in privatâ quilibet Sacerdotes, & ut hodiè audiunt Confessarii sunt actores, rem non nisi in casibus quibusdam reservatis ad Episcopum deferentes. Ut adeò hic Canon causam Bellarmini pro confessione peccatorum specificâ, sicut hodiè in usu est, nihil juvet, utpotè quæ tum temporis tam rigorosè & tanquam aliquid necessarium ad impetrandam eorum remissionem, non requirebatur; ad quem è contrario modum illa Ecclesiæ antiquioris disciplina circa lapsorum pœnitentiam publicè agendam apud Romanenses omninò dispalluit, ut nulla ferè super amplius sint ejusdem documenta, utut nullibi non antiquarum Ecclesiæ consuetudinum observationem contra hæreticos, quos vocant, novatores soleant crepare. *Quintum* & ultimum exindè est desumtum, undè in proximè antecedentibus locum de Confessione peccatorum Laico faciendâ contra *Velosillum* vindicavimus, nimirùm ex libro de *verâ & falsâ Pœnitentiâ*, de quo, etsi Bellarminus ipse fatetur, *non videri eum esse Augustini*; tamen quia & *Gratianum* & *Lombardum*, novitios quamvis Scriptores, & ab Augustini ætate multùm remotos, non pauca exindè monet excerpsisse, inter quæ etiam pleraque sunt à Bellarmino hic laudata, ex abundanti, & ne causæ videamur diffidere, quid de eo habendum sit, paucis ostendemus. Dum verò multæ sunt hujus testimonii particulæ, ne de quâvis singulatim agendo nimis prolixè diffundamur, in genere saltem monuisse satis esse potest, nullam earum specificam omnium peccatorum mortalium confessionem ab homine privatam agente pœnitentiam requirere, verùm omnes & singulas suum habere respectum ad publicam, de quâ cætera etiam pleraque Sancti Patris, & quæ sub Ejus nomine veniunt, testimonia loqui, jam est ostensum. Hinc dum dixit vel scripsit, *Pœnitentem repræsentare vitam suam Deo per Sacerdotem*, nihil aliud voluit intellectum, quàm repræsentationem peccatorum Dei in facie & conspectu Ecclesiæ factam per Sacerdotem, qualis in publicâ reconciliatione fieri consuevit ante, quàm lapsi in numero fidelium Pœnitentiæ publicitùs injunctæ peracto tempore reciperentur. Pertinet huc, quæ in sequentibus leguntur: *In hoc, quod per seipsum dicit Sacerdoti, & erubescentiam vincit timore offensi, fit venia criminis; fit enim per confessionem veniale, quod criminale erat in operatione. Et si non statim* (nota hic, Lector, moram in Pœnitentiâ publicè agendâ) *purgatur, fit tamen veniale, quod commiserat mortale; multum enim Satisfactionis obtulit, qui erubescentiæ dominans, nihil eorum, quæ commisit, nuntio DEI denegavit.* NB. Quæ verba postrema etsi non parum conferre videntur ad evincendam peccatorum confessionem specificam, non tamen extra terminos Instituti, publicæ nimirùm Pœnitentiæ, de quâ Augustinum, vel quicunque hujus libri author est, agere hic monui, debent aut possunt extendi, nisi vim integro textui inferre velimus. Ita dum porrò jubet, *ut, qui confiteri vult peccata, quærat, Sacerdotem*, jam antè est ostensum, de tali confessione peccatorum esse sermonem, quæ in defectu Sacerdotis etiam Laico fieri possit, quod tamen *Velosillus* non de omnibus in universum peccatis, in specie *occultissimis & gravissimis* voluit intellectum, ut vidimus. Accedit, quod idem sub Augustini nomine Scriptor de peccato nominatim occulto agens & scribens, *sufficere, ut id in notitiam Sacerdotis referat*, juxta Glossam marginalem loquatur quidem de Confessione privatâ ad differentiam publicæ, nullâ tamen mentione factâ Confessionis specificæ, lectorem simul statim ad publicæ iterùm Pœnitentiæ modum & usum docens, verbis sequentibus: *Docemur, publicè peccantibus non proprium, sed Ecclesiæ meritum sufficere. Sic itaque mortuus jaceat, sicque se mortuum ostendat, publicè mortem suam prædicando, publicè fructus Pœnitentiæ ostendendo, ut turba ploret amissum, & defleat, quem dolet mortuum. Istis lacrymis movebitur Dominus, qui unicum reddidit Matri filium. Si nimis perseveraverit, si mortuum se per fructus pœnitentiæ non declaraverit, tantò plus addere oportet, undè lacrymis excitetur non Marthæ solùm, sed etiam Mariæ. Tantum se adfligat, tantum se dolere & se mortuum sentire ostendat, ut audientes & contemplantes orent veniam, quorum Ecclesia miretur* (fortè, imitetur) *fletum. Qui enim multos offendit peccando, placare multos oportet satisfaciendo, ut Ecclesia prius offensa per culpam, in conversione flectatur per Misericordiam, orans pro ipso, quem dolebat defunctum, undè DEus flecteretur ad veniam, qui prius adhibuit Misericordiam.* Adplicavit nimirùm hic quoque Doctor augustus, vel quivis alius ad exemplum ejus, quam suprà ex Sermone post quadragesimum

quarto de *Verbis Domini* habuimus, de tribus mortuis, quos Christus in Historiâ Evangelistarum excitâsse legitur, & *de tribus peccatorum gradibus tractationem*; resuscitationem filiæ Jairi ad Pœnitentiam coràm Ecclesiæ Sacerdotibus tantùm, filii autem Viduæ & Lazari ad publicam in notoriis Ecclesiæ scandalis referens, quam his porrò verbis commendavit: *Laboret pœnitens in Ecclesiâ esse, & ad Ecclesiæ unitatem tendere; nisi enim unitas Ecclesiæ succurrat, nisi, quod deest peccatori, suâ compleat opitulatione, de manibus inimici non eripietur anima mortui. Ideòque nemo dignè potest pœnitere, quem non sustineat unitas Ecclesiæ.* Porrò ad circumstantias non tam ipsius peccatorum publicæ confessionis, quàm ad ipsius & totius Pœnitentiæ pertinet, quod Bellarminus urget insupet, Augustino ad serium Pœnitentiæ studium sequentibus hortante verbis: *Consideret qualitatem criminis in loco, in tempore, in perseverantia, in varietate personæ, & quali hoc fecerit tentatione, & in multiplici ipsius vitii executione. Oportet enim pœnitere fornicantem secundum excellentiam sui Status aut officii, & secundum modum operis sui, & qualiter turpitudinem suam peregit, si in loco sacro, si in tempore orationi constituto. Consideret, quantum perseveraverit, & defleat, quod perseveranter peccaverit, & quanta victus fuerit impugnatione. Sunt enim, qui non solùm non vincuntur, sed ultrò se obferunt peccato; nec expectant tentationem, sed præveniunt voluptatem, & pertractant secum, quàm multiplici actione vitii delectabiliter peccent.* Omnis ista varietas confitenda est & deflenda, *ut cùm cognoverit, quod peccatum est multum, Deum citò inveniat propitium. In cognoscendo augmentum peccati, inveniat se, cujus fuerit ætatis, cujus Sapientiæ & ordinis, & statum omnem alterius non peccantis. Immoretur in singulis istis, & sentiat modum criminis, purgans lacrymis omnem vitii qualitatem.* Quæ omnia & plura ibi extantia satis manifestum faciunt, agi hic non tam de publicæ peccatorum confessionis, quam ipsius Pœnitentiæ in publico Ecclesiæ conspectu circumstantiis, à quâ ad privatam & ordinariam argumentari hic quidem non licet.

Et hactenus etiam de hoc Augustini, si modò Augustini testimonio, in cujus parte prima dum mentio fit mandati Dominici leprosis dati, *ut ostenderent ora Sacerdotibus*, quo Christum docuisse dicitur, *præsentia corporali confitenda esse peccata, non per nuntium, non per scriptum manifestanda*; occasione ejus prætermittenda non videtur ea controversia, quæ inter Cadmæos fratres hodiè etiam post Decretum Clementis octavi & post Statutum Pauli Quinti, de *Confessione Epistolari* circa sententiam *Suarezii* non absque singulari animorum motu agitatur, nobis hic post ea, quæ de absolutione moribundi & jam mortui ante præviam peccatorum confessionem, ex *Caramuelis Theologia Fundamentali* in Vindiciis primùm *Anti-Ottonianis*, pòst etiam in Vindiciis *Evangelico-Thomisticis* adducta fuerunt, ad ea solùm respicientibus, quæ Augustini attinent authoritatem, ad quam in specie opinionis Suarezianæ hyperaspistes, *Athanasius Solerius*, Doctor Comitanus contra quosvis ejusdem impugnatores provocavit, peculiari Scripto, quod ultimo & posthumo Operum *Suarezii* Tomo de *vera intelligentia auxilii efficacis, ejusque concordia cum libero Arbitrio* adnexum est, commendans non solùm pro ea duas Synodos Carthaginenses, tertiam videlicet & quartam, in quarum illa legitur: *Ægrotantes, si pro se spondere non possunt, cum voluntatis eorum testimonium sui dixerint, baptizentur, similiter & de pœnitentibus agendum est*, quæ Lectio ibidem ex *Ivone*, *Gratiano*, *Burchardo* & aliis defenditur; in hac autem: *Is, qui Pœnitentiam in Infirmitate petit, si casu, dum Sacerdos ad eum invitatus venit, oppressus infirmitate obmutuerit, vel in phrenesia versus fuerit, dent testimonium, qui eum audiverunt, & accipiat pœnitentiam. Et, si continuò creditur moriturus, reconcilietur per manûs impositionem, & infundatur ori ejus Eucharistia. Si supervixerit, admoneatur à suprà dictis testibus, petitioni suæ satis factum, & subdatur statutis Pœnitentialibus* &c. has Definitiones eò majoris æstimans, quia Augustinus eis subscripsit, & hinc authoritate sua aliquam eis conciliavit probabilitatem, ex eis quasi similibus & comparatis ad Instituti rationem argumentatus; sed etiam in defensione eorum contra *Melchiorem* inprimis *Canum*, excipientem, *pertinere hæc ad eos duntaxat, qui prius fuissent confessi*, utens Augustini ipsius authoritate, in hoc negotio omnes comprehendentis peccatores, *qui Signa Pœnitentiæ præmiserint, & voluntatem confitendi expresserint*, de qua Augustini Sententia ita porrò scripsit: *Admittit, eandem esse rationem Sacramenti Pœnitentiæ in homine fideli per ægritudinem oppresso, ac Baptismi in Catechumeno aquè jacente & per morbum oppresso; ita ut neque jam renatus possit absolutionem petere, neque Catechumenus Baptismum. Qua paritate supposita cum Augustinus concedat, tutum esse absolvendum, etiamsi nihil petat, ac ne Confessionem quidem vel Confessarium.*

Homil. 41 ex lib. 50. Homil. & lib. I. de adult. cõjug. c. ult.

Quis

Quis enim novit (*inquit Sanctus Pater de talibus Catechumenis, & idem dici potest de renatis,*) utrum fortassis adulterinæ carnis illecebras usque ad Baptismum statuerant detineri? Q.d. *Præsumi piè potest de tali Catechumeno sic jacente, quod dolorem conceperit de peccato Conjugii adulterini, quo se inquinavit, atque adeò in tantâ necessitate potest baptizari, etiamsi Baptismum non petierit. Similiter ergò in iisdem circumstantiis, qui jam renatus est, posset absolvi ob præsumtam in eo absolutionis consequendæ voluntatem, quæ continet directionem peccatorum & expositionis eorum ad claves.* Addit notanter laudatus opinionis Suarezianæ Defensor: *Vereor tamen, ne hic locus Augustini plus ferat, quam hic intendamus, itaut de Ejus sententiâ is etiam possit absolvi, qui nullum externum signum dedit sive doloris, sive voluntatis confitendi, quod Augustinus insinuat; passim repudiatur tamen, nec immeritò.* Tandem, ut objectioni de periculo, quod hoc casu imminere posset, irritandi nimirùm Sacramenti, atque adeò Sacrilegii in ejus confectione admittendi occurrat atque ostendat, periculum illud esse prorsus inane, subjicit: *Exulat Sacrilegium ab eo operandi modo propter sententiæ probabilitatem, ex quâ elicitur operatio. Et cùm homo non sit propter Sacramenta, sed è contrario Sacramenta sint propter hominem,* juxta effatum Augustini; *præstat Sacramentum exponere periculo invaliditatis, si fortè reipsâ opinio, ex quâ Sacramentum conficitur, esset falsa; quàm exponere hominẽ irreparabilis damni periculo, si fortè reipsâ opinio, ex quâ Sacramentũ conficitur, esset falsa; quàm exponere hominẽ irreparabilis damni periculo, si fortè reipsâ opinio, ex quâ Sacramentũ admovetur, vera esset. Salvaretur enim homo, adhibito tali remedio; eò autem non adhibito, in sempiternum rueret exitium.* Nostrum & hic non est, quamvis non adeò tantas inter Cadmæos, ut dixi, fratres componere & ad liquidum componere lites, quas ne Summi quidem, ut audiunt vulgò, Pontifices per Decreta & Constitutiones suas finire potuerunt, semper hic & ibi quibusdam in residuo manentibus, quibus opinionis suæ tenaciores se salvari posse contra Antagonistas existimârunt, & hinc re in suspenso relictâ, utrâque parte suis inhærente vestigiis, suisque omni modo hypothesibus inserviente. *Augustini* Sententiam quod concernit, quam *Suarezianæ* partis Vindex citatus hinc indè ventilat, de eâ jam ante aliquid in Examine Rationis secundæ, quam Bellarminus ad demonstrandam Sacerdotum potestatem judiciariam adduxit, dictum est, neque præsens Institutum aliquid amplius requirit. Quid verò de ipsâ hâc Controversiâ ad analogiam Evangelicæ Veritatis dici debeat, ex hactenus adductis Lectori studioso incognitum esse non potest. Fervet autem, ut monui, inter partes adhuc contradicendi studium, Lojolæ sociis pro *Suarezio* contra quosvis acriter pugnantibus, quod non ita pridem *Theophilus Raynaudus* tractatu singulari, & contra *Vincentium Baronem*, Ordinis Cyriacorum, nuper post omnes alios ferè *Honoratus Fabri*, sub nomine *Pithanophili*, sexto de *opinione Probabili* Dialogo ostenderunt, ut *Andream de Mendo*, opinionum nimis & minus benignarum Stateristam, cum hujus generis pluribus jam non prolixè commendem, cùm nullus ferè sit inter novitios Scriptores, cujus non in hoc ulcere manus conspiciatur, certamine quasi instituto, & omni studio in id collato, ne unquam Sententiæ inter se pugnantes earumque defensores convenire videantur.

v. Ephem. Gallic. T. II. p. 102. & 103.

Nunc nihil videtur amplius restare, quàm ut testimonium *Augustini* desumtum ex libris Confessionum, contra necessitatem confessionis peccatorum hominibus faciendæ, quo *Brentium* in Confessione Württembergicâ usum Bellarminus suprà monuit, verbo saltem contra Bellarmini Glossam vindicetur. Dicit, hoc uti testimunio, *nihil aliud esse, quàm simplicibus imponere*, cum nemo illos Augustini libros legat, qui ignoret, Confessionem, de quâ loquitur Augustinus, *non esse Sacramentalem, sed peccatorum præteritorum, ac per Baptismum jam remissorum.* Atqui non quæritur, de quâ peccatorum confessione hic & ibi in laudatis Confessionum libris agat Augustinus, sed qualis intelligi debeat in verbis à *Brentio* citatis. Ea certè non nisi generalia sunt, & non solùm respiciunt peccata ante, sed & post Baptismum. Hinc ibidem S. Pater ad Deum: *Quo fructu, Domine, Deus meus, cui quotidiè mea confitetur Conscientia, spe Misericordiæ tuæ securior, quàm suâ innocentiâ; quo fructu, quæso, etiã hominibus coràm te, confiteor per has literas, adhuc quis ego sim, non qui fuerim; nam illum fructum vidi & commemoravi, sed quis adhuc sim? Ecce, in ipso tempore confessionum mearum & multi hoc nosse cupiunt, qui me noverunt, & non me noverunt, qui ex me vel de me aliquid audierunt. Sed auris eorum non est ad cor meum, ubi ego sum, quicunque sum. Volunt ergò audire confitentem me, quid ipse intus sim, quo nec oculum, nec aurem, nec mentem possunt intendere; crediturі tamen volunt, numquid cogniturі? Dicit enim eis Charitas, quà boni sunt, non mentiri me confitentem de me, & ipsa in eis*

credit mihi. Addantur sequentia, & adparebit, Doctorem augustum non solùm de confessione peccatorum ante, sed & post Baptismum hic agere, ac Bellarmini glossam hic nullum habere locum. Liceret nunc post non planè nullam in hâc Quæstione ventilandâ moram canere receptui, postquam omnia hactenus excussa sunt, quibus specificam peccatorum mortalium confessionem Bellarminus probare voluit necessariam. Sed ante, quàm id fiat, duo adhuc loca ex Augustino commendari debent studioso Lectori, ex quibus manifestum erit, Sancto Patri necessitatem hanc non fuisse tantam, ut non crediderit, etiam sine expressâ peccatorum confessione earum remissionem à Deo impetrari posse. Prior locus exhibet casum de homine post actam in publico Pœnitentiam iteratò peccante, & à Pœnitentiâ secundùm agendâ juxta consuetudinem tùm in Ecclesiâ receptam excluso. Verba huc pertinentia, quæ *Gratianus* etiam cum *Lombardo* exhibet, sunt sequentia: *In tantum aliquando hominum iniquitas progreditur, ut etiam post actam Pœnitentiam, post Altaris reconciliationem, vel similia vel graviora committant; & tamen DEus facit etiam super tales oriri Solem suum, nec minus tribuit, quàm ante tribuebat, largissima Vitæ ac Salutis munera. Et quamvis in Ecclesiâ humillimæ Pœnitentiæ locus eis non concedatur, DEus tamen super eos suæ Patientiæ non oblivisciturr. Ex quorum numero si quis dicat nobis, aut date mihi eundem iterùm Pœnitentiæ locum, aut desperatum me permittite, ut faciam, quidquid libuerit, quantum meis opibus adjuvor, & humanis Legibus non prohibeor, in Scortis omnique luxuriâ, damnabili quidem apud Dominum, sed apud homines plerosque etiam laudabili; aut si me ab hâc revocatis nequitiâ, dicite, utrum mihi prosit aliquid ad vitam futuram, si in istâ vitâ illecebrosissimæ Voluptatis blandimenta contemsero, si libidinum incitamenta frenavero, si ad castigandum corpus meum multa mihi etiam licita & concessa subtraxero, si me pœnitendo vehementius quàm prius excruciavero, si miserabilius ingemuero, si flevero uberius, si vixero melius, si pauperes sustentavero largius, si Charitate, quæ operit multitudinem peccatorum, flagavero ardentius; Quis nostrûm ita desipit, ut huic homini dicat, Nihil tibi ista proderunt inposterum, vade saltem, vitæ hujus suavitate perfruere! Avertat DEus tam immanem sacrilegamque dementiam. Quamvis ergò caute salubriterque provisum sit, ut locus humillimæ illius Pœnitentiæ semel (tantum) in Ecclesiâ concedatur, ne Medicina vilis minus utilis esset ægrotis, quæ tantò magis est salubris, quantò minus fuerit contemtibilis; quis tamen audeat DEO dicere, Quare huic homini, qui post primam Pœnitentiam rursus se laqueis iniquitatis obstringit, adhuc iterum parcis? Quis audeat dicere ergà illos, non agi, quod Apostolus ait*: Ignoras, quia patientia Dei ad pœnitentiam te adducit? *aut istis exceptis esse definitum, quod scriptum est*: Beati omnes, qui confidunt in eum? *aut ad istos non pertinere, quod dicitur*: *Viriliter agite, & confortetur cor vestrum, omnes qui speratis in Dominum?* Quid ex hâc Augustini Sententiâ contra & privatæ & specificæ peccatorum confessionis necessitatem ad impetrandam eorum remissionem posit colligi, satis est manifestum. Nimirum sensit Augustinus, & ita sentiendum esse adductis rationibus docuit, homini etiam post primam in publico Pœnitentiam, & à secundâ ob causas non leves excluso, si corde seriò & verè pœnitenti se ad DEum convertat, non desperandum esse de remissione peccatorum, etiam si neque in publico, neque in privato ad eorum confessionem, & hinc neq; ad Sacræ Synaxeos usum cum cæteris fidelibus admittatur, tantam DEI prædicans super peccatores patientiam, tantam Ejus misericordiam, *ut moribus in hâc temporali vitâ emendatis non damnentur in æternũ*, quæ iterùm sunt augustiss. Doctoris verba. Jam si hoc casu August. benè speravit de eorũ salute æternâ, qui sine peccator. confessione hominis, nimirũ Sacerdoti factâ, & quidem in statu gravioris relapsus, à publicâ fidelium communione excluſi de hoc Seculo migrârunt; quid Eum putari debet judicaturũ, si audivisset, quod tamen non audivit, publicè doceri, tantã esse specificæ omniũ peccator. mortalium coram Sacerdote tanquam Judice confessionis necessitatem, ut sine eâ remissio peccatorum impetrari nequeat, præprimis cùm alibi tanto celebrârit Elogio confessionem soli Deo factam, de quâ posterior nunc locus nos informabit, quo tota hæc Tractatio absolvetur, Augustino Davidis confessionem Deo soli factam hâc exprimente paraphrasi:

Epist. 54. ad Maced.

Conc. II. in Ps. 31. vel 32.

Dixi, pronuntiabo adversum me injustitias meas Domino, & tu remisisti impietatem cordis mei. Dixi. Quid dixisti? Non jam pronuntiat, sed promittit, se pronuntiaturum, & ille (Deus) jam dimittit. Attendite fratres; magna res. Dixi, pronuntiabo, non, pronuntiavi, & Tu dimisisti; quia eo ipso, quod dixit, pronuntiabo, ostendit, quia nondum pronuntiaverat, (nimirùm voce) sed corde pronuntiaverat. Hoc ipsum dicere, pronuntiabo, pronuntiare est; ideò & Tu remisisti impietatem cordis mei. Confessio mea ad os nondum venerat, dixeram enim

enim, pronuntiabo adversum me; veruntamen Deus audivit vocem cordis mei. Vox mea in ore nondum erat, sed auris DEI jam in corde erat. Quod Sancti Patris testimonium ideò gratius iterùm esse debet, quia & à Gratiano & à Lombardo lectoribus est commendatum.

Ad priorem ex duobus his posterioribus locis, qui in Epistola ad Macedonium legitur, *Matthias Hauzerius* in altero *Epitomes Augustinianæ* Tomo quædam notavit, ut Augustini tempore Confessionem peccatorum Sacramentalem, qualis hodiè in Ecclesia Romanensi est usitata, obtinuisse Lectori persuadeat, hic breviter examinanda. *Dicit autem*, quâ est confidentia, hinc potius colligi, semper fuisse usum Pœnitentiæ secretæ seu Confessionis & Absolutionis Sacramentalis, præter illam publicam; *Primò*, quia dicit Augustinus, hanc publicam fuisse tantùm in Ecclesia pro criminibus manifestis; ergò supponit etiam in Ecclesia aliam secretam pro criminibus secretis, quæ sunt aliquando graviora, quàm publica. *Secundò*, quia bis vocat hanc humillimam; ergò videtur comparare cum alia minus humili, videlicet secreta. *Tertiò*, quia tribuit restrictionem illam Pœnitentiæ publicæ ante relapsum Providentiæ tantùm Ecclesiasticæ; ergò supponit aliam provisionem Juris Divini pro pœnitentibus, quæ ab Ecclesia restringi non potest. *Quartò*, quia adsignat rationem ita restringendi Pœnitentiam publicam, ne vilis Medicina minus utilis esset ægrotis; ergò tantum de Medicinâ Satisfactionis externæ coram Ecclesia, sine præjudicio Medicinæ Divinæ ab ipso Christo tanquam Medico & Mediatore institutæ. *Quintò*, quia expressè supponit, relapsis adhuc à DEO parci; ergò aliquo certo remedio Christiano, præter illam Pœnitentiam publicam, quod non potest esse nisi secreta Pœnitentia Sacramentalis, quia remedium pœnitentiæ tantùm internæ non est propriè Christianum, seu à Christo institutum. *Sextò* tandem, quia ex patientia DEI infert, quales oporteat homines esse erga homines, utique ad remittendum non offensas tantùm mutuas, sed peccata, quæ propriè sunt (talia) quatenus (sunt) contra DEUM, de quorum remissione hic agitur. Multùm sudando laboravit hic *Epitomator Anatomicus*, ne per commendationem Pœnitentiæ publicæ, Sacramentalem peccatorum confessionem, quam hodiè etiam communiter auricularem vocant, exclusisse videatur Augustinus, varia in medium proferens, quibus illam huic testimonio inferere conatus est, sed præter mentem Doctoris augustissimi, modò Quæstionis status, qui hic in controversiam venit, attendatur ritè. Ex antecedente nimirùm examine satis prolixo testimoniorum Augustini à Bellarmino citatorum constat, Sancto Patri nunquam in animum venisse illam Confessionem, quam Sacerdotes Romani hodie à pœnitentibus urgent, specificam nempe & circumstantialem, utpotè nullibi in Ejus operibus inventam. Ut autem rationes, quibus eam exprimere studuit, excuterentur paucis, observandum *ad primam*, concedi quidem posse, Augustinum commendando publicam pro publicis criminibus, supposuisse secretam pro secretis, sed nondum sequi, eam fuisse talem, qualem hodiè Pontifex obtrudit fidelibus, quæ verius Carnificina conscientiarum, quàm Medicina solatio indigentium vocari meretur. *Ad secundam*, præmitti quidem in Grammatica institutione ordinis ratione positivum & comparativum superlativo, sed non ita, ut non inveniatur superlativus sine utroque, hâc etiam regulâ inter eas habente locum, quas exceptionibus obnoxias esse constat; quamvis posito etiam, videri comparâsse Augustinum hanc humillimam cum minus humili, plurimùm porro sudandum sit, ut demonstretur, Eum per hanc minus humilem intellexisse Papæam & verè tyrannicam. *Ad tertiam*, agnoscimus discrimen inter restrictionem Divinam & Ecclesiasticam, latentes quoque, provisionem Divinam ab Ecclesia restringi non posse; sed hanc esse, quam vocant hodiè Sacramentalem, Bellarminus ex Augustino non potuit demonstrare, nec post Eum posthàc erit, qui hoc posset sufficienter ostendere. *Ad quartam*, statuimus itidem, hanc publicam peccatorum confessionem, de quâ agit Augustinus, nullum posse præjudicium facere Medicinæ à Christo institutæ; non constare tamen, hoc Elogio venire Papæam, utpotè quâ plus lædi Conscientias, quàm sanari, manifestum est. *Ad quintam*, præter & contra Historiæ veritatem dici, quod relapsis post Pœnitentiam semel actam publicè fuerit consultum per remedium Pœnitentiæ secretæ, cùm, si in pœnam peccati, non fuit indultum, quod majorem videbatur habere reconciliationis rationem, concessum credi non possit, quod minori cum difficultate erat conjunctum, quia in fraudem Pœnitentiæ publicæ illud omninò cessisset. *Ad sextam*, à patientia DEI erga homines argumentum sumi quidem ad reconciliationem mutuam, quin & ad Ecclesiasticam, sed cum ordinis

v. Dannh. Can. Logic. p. 123.

Divinitùs præscripti observatione debita, quem pro auriculari confessione nondum è Tabulis Canonicis, neque ex Augustino demonstrarunt hactenus Papicolæ.

LIBRI QVARTI DE POENITENTIA,

CAPVT SECVNDVM,

De Quæstione,

An remissâ culpâ maneat debitum luendæ pœnæ?

CIrca hujus controversiæ statum notari debet, ab utraque parte concedi, non semel etiam venire in quæstionem, annon aliquandò vel sæpius post remissionem peccatorum DEUS aliquas fidelibus immittat calamitates, peccata eis hâc ratione in memoriam revocans, & cautius mercari inposterum docens; sed an immissæ à DEO post peccatorum remissionem calamitates in numero pœnarum propriè dictarum esse dici possint. Et hoc ultimum est, quod Bellarminus in se suscepit defendendum, provocans non solùm ad ea Scripturæ testimonia, quibus recensetur exemplum Davidis nominatim, qui à DEO post impetratam remissionem peccatorum nihilominus graviter est punitus; sed ad ea etiam, quæ indicant, mortem ipsam sæpè infligi in pœnam peccati, etiam post remissam culpam. Addit, *quod si fortè Calvinus dicat, Mortem esse non-*

lib. II. de peccat. merit. cap. 34. *nunquam virtutis exercitationem*, ut Augustinus rectè docet: *quid dicamus de parvulis, qui post Baptismum repentè moriuntur, nam sine dubio peccatum originale per Baptismum illis dimissum est, neque ejus sunt ætatis, ut virtutes exercere possint, & tamen in peccati pœnam ante tempus legitimum rapiuntur. Neq; solùm mors, sed etiam morbi & dolores, quibus iidem parvuli non rarò torquentur, sunt pœnæ originalis peccati, neque ullo modo eis ad cavenda futura proficiunt.* Deindè *etiamsi quibusdam mors interdum virtutis materia esse possit, tamen non ideò desinit esse pœna peccati; cujus signum est, quod non aliqui tantum, sed omnes omninò moriuntur, etiamsi aliqui sint justi, & nullam in morte virtutem exercere valeant, ut, qui repentinâ morte rapiuntur.* Quocirca idem Augustinus mortem & peccati

lib. 13. de Civ. DEI. cap. 6. pœnam, & exercitium Virtutis simul esse dicit, scribens: *Cum ex primi hominis perpetuâ propagine procul dubio mors sit pœna nascentis, tamen si pro Pietate Justitiâque pendatur, fit gloria renascentis; & cum mors sit peccati retributio, aliquandò impetrat, ut nihil retribuatur peccato.* Post cætera Sacræ Scripturæ testimonia, quibus suam thesin firmare annisus est Bellarminus, de Augustino hoc insuper iteratò subjunxit: *Dicit quidem, pœnas, quibus amicos suos adfligi sinit DEVS, esse materiam virtutis, sed non negat, esse etiam peccatorum ultionem.* Et alibi apertius de hâc re loquens ultiones esse confitetur, scri-

in Psal. 50. vel 51. bens: *Veritatem dilexisti, hoc est, impunita peccata eorum etiam, quibus ignoscis, non dimisisti. Sic prærogasti Misericordiam, ut servares & Veritatem. Ignoscis confitenti, ignoscis, sed seipsum punienti; sic servatur Misericordia & Veritas.* Hoc testimonium repetit Bellarminus capite sequenti ut doceat, *Reatum pœnæ temporalis, qui interdum remanet post amicitiam cum DEO reformatam, bonis operibus redimi posse*, simul Lectorem remittens ad caput nonum, ubi plura ex Augustino & aliis Patribus laudantur testimonia, ad demonstrandum, *DEO satisfieri posse pro pœnâ temporali culpâ remissâ*, de quibus suo infrà loco. Jam tria contra Bellarminum ex Augustino sunt probanda, *primò*, CHRISTUM obedientiâ suâ tam activa quàm passiva, non solùm pro omnibus in universum totius generis humani peccatis, actualibus æquè ac originali, sed simul etiam pro omnibus peccatorum pœnis, & temporalibus & æternis fecisse ex asse satis atque sic verè in CHRISTUM credentibus cum culpâ pœnam quoque, eamque non modò æternam in futuro, sed & in hoc Seculo temporalem verè remitti. *Deindè*, calamitates, & quæcunque adversa fidelibus in hâc vita solent à DEO immitti, pœnas peccatorum propriè, & in rigore sic dictas juxta Augustinum dici non posse nec debere. *Tandem*, nec ipsâm Mortem, videlicet temporalem, piis & fidelibus post impetratam à DEO peccatorum remissionem esse pœnam peccati propriè sic dictam. De *primo* illustris est Augustini locus, ante alios omnes notatu dignissimus: *Suscepit Christus sine reatu nostrum Supplicium, ut indè solveret reatum nostrum, & finiret etiam*

Supplicium

Supplicium nostrum. Verba satis clara sunt, nec ullâ indigent explicatione. Sed adhuc clarius alibi hâc de re scripsit: *Quid fecit Christus, ut esset proximus nobis? proximus, non hoc, quod nos, sed propè nos. Duo attende. Justus est, immortalis est. In duobus malis tuis una est culpa, altera est pœna. Culpa est, quod injustus es; pœna est, quia mortalis es. Ille, ut esset proximus, tuam suscepit pœnam, non culpam suscepit tuam; & si suscepit, delendam suscepit, non faciendam, Justus & Immortalis, longè ab injustis & mortalibus. Peccator mortalis longe eras à Justo immortali. Non est ille factus peccator, quod tu; sed factus est mortalis, quod tu. Manens justus, factus est mortalis. Suscipiendo pœnam & non suscipiendo culpam, & culpam delevit & pœnam.* Et iterùm: *Propter hominem Deus homo factus est, ne periret homo. Quem sine concupiscentiâ Virgo concepit, quem Virgo peperit & Virgo permansit, qui vixit sine culpâ, qui est mortuus propter culpam non suam, nam mortuus est propter nostram. Mori venit, peccare non venit. Communicando nobiscum sine culpâ pœnam, & culpam solvit & pœnam. Pœna, quam solvit, est, quæ nobis debebatur post istam vitam.* Posteriora hæc verba quamvis indicare videantur, Christum suâ morte æternæ mortis pœnam tantummodò solvisse & delevisse, non item pœnas temporales; in proximè tamen sequentibus ex non uno August. testimonio ostendetur, quæ post tristem lapsum fidelibus à DEO immittuntur in hoc Seculo calamitates, non esse pœnas peccati propriè dictas. Ea inter prioribus accedat insuper is etiam Sancti Patris locus, quem *Gratianus* ex Opere de *Baptismo parvulorum* suppeditat, parallelus planè, & idem confirmans: *Filius DEI carnem peccati suscepit, & pœnam sine culpâ, ut in carne peccati, & culpa solveretur & pœna.* Notator Gregorianus observat, apud Augustinum longè plenius & rectius ita legi: *Dominus in carnem suam non peccatum transtulit, tanquam Serpentis venenum, sed tantùm transtulit mortem, ut esset in similitudine carnis peccati pœna sine culpa, undè in carne peccati & culpa solveretur & pœna.* Quæ ex Augustini locis contra Bellarmini thesin fieri possit deductio, in propatulo est. Imò si id Doctor augustissimus non ita clarè scripsisset, solùm testatus, Christum satis pro culpa fecisse, per legitimam ostendi posset consequentiam, sublatam eometipso etiam esse peccati pœnam. Quia enim *culpa est pœnæ causa*, sunt Bellarmini ipsius verba, *cùm ex culpâ nascatur obligatio ad pœnam*; sublatâ per Christi omnimodam Satisfactionem causâ, ipsum quoque tolli effectum, esse debet extra dubium. Dum verò ex abundanti Christum merito Mortis & pœnam simul & culpam delevisse scripsit Augustinus, ne per Pœnam intelligamus tantummodò æternam, sed etiam pariter temporalem, idem Bellarminus cavit, alibi notanter in hanc rem scribens: *Merita Christi sunt res vivæ & sacræ, sed non solùm justificant corda, verùm etiam sunt satisfactoria pro reatu pœnæ tum sempiternæ, tum temporariæ.* Qui itidem mendacii accusans *Chemnitium*, scribentem, Papistas docere, *Christum culpam quidem nostram omnem, sed non totam peccatorum nostrorum pœnam in se suscepisse*, ex eo contrarium posse intelligi monet, quod Indulgentiæ juxta communem doctrinam nitantur thesauro passionis Christi, *qui satisfecerit DEO Patri plenissimè pro reatu culpæ, & pœnæ temporalis & æternæ omnium peccatorum.* Si ergò Christus plenissimo Passionis & Satisfactionis suæ thesauro omnem, & culpæ & pœnæ temporalis æquè ac æternæ reatum exhausit, quid opus est fictione residuarum adhuc pœnarum, quibus Deo per veram Fidem reconciliati post impetratam peccatorum remissionem in hac Vita subjiciantur & puniantur, ab omni reatu culpæ & pœnæ per Christum liberi & liberati? Et hic repeti debet insignis Augustini locus, quem suprà etiam circa Quæstionem *de pœnâ Ignis Purgatorii* fidelibus ex Sententiâ Papistarum post hanc vitam sustinenda habuimus, quo Sanctus Pater egregium tulit testimonium de Beneficio gratuitæ remissionis peccatorum, scribens ad Regii Psaltis normam: *Beati, quorum remissæ sunt iniquitates, & quorum tecta sunt peccata; non, in quibus inventa non sunt peccata, sed, quorum tecta sunt peccata. Cooperta sunt, tecta sunt, abolita sunt. Si texit peccata Deus, noluit advertere; si noluit advertere, noluit animadvertere; si noluit animadvertere, noluit punire, noluit agnoscere, maluit ignoscere. Tecta verò peccata quare dixit? ut non viderentur; quid enim erat DEI videre, nisi punire peccata? Ut noveris, quia hoc est DEI videre, quod punire peccata.* Clarius & apertius mentem suam significare non potuit Augustinus; hinc quod Bellarminus ad obfuscandum hunc locum finxit, nihil ad rem facere, suprà in loco est ostensum. Alia Sancti Patris loca, quæ huc non impertinenter referri possent, prætermitto, cùm hæc pauca in præsenti possint sufficere, ut plurium subsidio non indigeamus. De *secundo* jam videamus, quod ex Augustino demonstrandum est, nimirùm, *Calamitates fidelium, quibus etiam post impetratam remissionem peccatorum in Schola Crucis à DEO*

l. 14. contra Faust. cap. 4.
Serm. 37. de Verb. Dom.
Serm. 141. de Temp.
c. Filius, dist. 4. de Consecr.
lib. I. de Pœnit. cap. 7.
lib. II. de Indulg. cap. 1.
Ibid. c. 10.
in Psal. 31. vel 32.
conf Dallæj. de Pœnis & Satisfact. p. 329. & seqq.

DEO subjiciuntur, non esse pœnas peccatorum propriè dictas. Eminet inter plura Augustini de hac re testimonia locus ille, cujus ipse Bellarminus, parcissimè quamvis, & nonnisi tribus tantùm verbis meminit, totidem quoque ejus pro veritate splendorem obtenebrare conatus, qui pleniori textu ob præclustres orthodoxiæ radios hic omninò legi meretur. Ita autem ibi Doctor augustissimus: *Qui dicunt, si peccato mors ista corporis*
lib. II. de peccat. merit. cap. 33. *accidisset, non utiq; post remissionem peccatorum, quam Redemtor nobis tribuit, moreremur; non intelligunt, quomodo res, quarum reatum, ne post hanc obsint vitam, Deus solvit, eas tamen ad Fidei certamen sinit manere, ut per illas erudiantur & exerceantur proficientes in agonc Justitiæ. Posset enim & alius hoc non intelligens dicere, Si propter peccatum dixit Deus homini,* In sudore vultûs tui edes panem tuum, spinas & tribulos pariet tibi Terra; *quare & post remissionem peccatorum labor hic permanet, & hæc dura & aspera parit etiam terra fidelium?* Item, *Si propter peccatum Mulieri est dictum,* in gemitu paries; *cur etiam post peccatorum remissionem fideles fœminæ eosdem dolores parturiendo patiuntur? Et tamen constat, propter peccatum, quod admiserant, illos à DEO primos homines hæc audivisse ac meruisse; nec resistit illis Divini Libri verbis, quæ posui de labore hominis, & de parturitione Mulieris, nisi qui prorsùs à Fide Catholicâ alienus iisdem literis adversatur.* Pergit Sanctus
cap. 34. Pater, & utrique Adversariorum objectioni sequens opponit responsum: *Verum quia & tales non desunt, quemadmodum eis hâc Quæstione proposità respondemus, dicentes, ante remissionem esse illa peccatorum supplicia, post remissionem verò certamina exercitationesq; justorum; ita & illis, quos de morte corporis similiter movet, respondere debemus, ut eam & peccato accidisse fateamur, & post peccatorum remissionem, ut magnus timor ejus à proficientibus superetur, ad certamen nobis relictam esse non dedignemur.* Et post aliqua: *Undè mirandum non est, & mortem corporis non fuisse eventuram homini, nisi præcessisset peccatum, cujus etiam talis pœna consequeretur; & post remissionem peccatorum eam fidelibus evenire, ut in ejus timore vincendo exerceretur fortitudo Justitiæ.* Bellarminus, ut dixi, hoc testimonium integro textu Lectori Veritatis studioso propinare non ausus, illud ejusq; vim nihilominus infirmare tentavit, scribens: *Augustinum dicere quidem, pœnas, quibus amicos suos adfligi sinit Deus, esse materiam Virtutis, sed non negare, esse etiam peccatorum ultionem*, adducto quodam alio Augustini testimonio, quo ad ductum Regii Psalmi, & *Misericordiam & Veritatem DEI, peccata eorum, quibus ignoscit, impunita non dimittentis*, commendavit. At apertissimam vim facit Clarissimis Augustini verbis. Quomodo enim non negat, calamitates, quibus fideles suos post remissionem peccatorum finit adfligi DEUS, esse peccatorum ultionem, dum satis manifestè distinguit inter peccatorum Supplicia ante, & inter certamina atque exercitationes Justorum post remissionem peccatorum? Nihil iterùm apertius, nihil clarius, nihil manifestius dicere aut scribere contra Bellarminum potuisset Augustinus, modò animus Veritatis amans accedat, & ea porrò attendantur, quæ exempli loco de Davide in sequentibus ad rem hanc magis illustrandam adjecit, ubi rationem statûs Protoplastorum post lapsum de-
Ibid. scripsit: *Tale aliquid* nobis insinuatum est de Patriarcha David in libro Regnorum, „ ad quem Propheta cùm missus esset, eique propter peccatum, quod commiserat, „ eventura ex iracundiâ DEI comminaretur mala, confessione peccati veniam meruit, „ respondente Propheta, quod illud ei flagitium facinusque remissum sit; & tamen „ confecuta sunt, quæ DEUS fuerat comminatus, ut sic humiliaretur à filio. Quare & „ hic non dicitur, si propter peccatum DEUS illud fuerat comminatus, cur dimisso „ (jam) peccato illud, quod minatus fuerat, implevit? nisi quia rectissimè, si sic dictum „ fuerit, respondebitur, illam peccati remissionem factam, ne homo à percipiendâ vitâ „ æterna impediretur, subsecutum verò illius comminationis effectum, ut pietas homi- „ nis in illâ humilitate exerceretur atq; probaretur. Sic & mortem corporis propter „ hoc peccatum DEUS homini inflixit, & post peccatorum remissionem propter ex- „ ercendam *Justitiam non ademit.* Propter quam verò Justitiam? an DEI? minimè id quidem; sed hominis, per impetratam peccatorum remissionem & imputatam ei Justitiam Christi coram DEO justificati & verè justi, de quâ justificati hominis Justitia augustus Doctor in antecedentibus proximè verbis scripsit, *mortem corporis post remissionem peccatorum fidelibus evenire, ut in ejus timore vincendo exerceretur fortitudo Justitiæ*, nimirùm hominis ex Lege Divinâ post lapsum morientis. Sed de mortis fidelium respectu proximè ex Augustini Sententia in *tertiâ* agetur demonstratione.

in Ps. 50. vel 51. Nunc, quid de loco Augustini, Veritatem DEI, ex mente Regii Psalmi, in punien-
dis eorum peccatis, quibus ignoscit, commendantis, sit habendum, breviter debet
moneri;

moneri; in quo præter id, quod verba Sancti Patris expresè non agunt de ipsius peccatoris, sed peccati punitione, observandum venit, quid per peccati punitionem voluerit intellectum? Illud Doctor augustus in antecedentibus iterùm satis clarè indicat, Regium Psaltem in statu humilis Pœnitentiæ coram Divino tribunali versantem his verbis adlocutus: *Quid dabis, ut munderis*; vide enim, quem invoces: Justum invocas, „ odit peccata. Si justus est, vindicat peccata; si justus est, utique non poteris auferre „ à Domino DEO Justitiam Ejus. Implora misericordiam, sed attende Justitiam. Mi- „ sericordia est, ut ignoscat peccanti; Justitia est, ut puniat peccatum. Quid ergo? „ quæris Misericordiam; peccatum remanebit impunitum? Respondeat David, re- „ spondeant lapsi; respondeant cum David, ut Misericordiam mereantur sicut David, „ & dicant, non, Domine, non impunitum erit peccatum meum. Novi Justitiam Ejus, „ cujus Misericordiam quæro. Non impunitum erit; sed ideò nolo, ut Tu me punias, „ quia ego meum punio peccatum. Ideò, ut agnoscas, peto, *quia ego agnosco*. In se- „ quentibus hoc illustrat exemplo Ninivitarum: *Prostraverunt se in lacrymis, in jejuniis, in cilicio, & in cinere. Prostraverunt se, gemuerunt, fleverunt; Deus pepercit. Stetit Ninive, an eversa est? Aliter quidem videtur hominibus, sed aliter visum est DEO. Ego autem puto, impletum fuisse, quod Propheta prædixerat. Respice, quæ fuit Ninive, & vide, quia eversa est. Eversa est in malo, ædificata in bono; sicut eversus Saulus persecutor; ædificatus Paulus prædicator.* Vides, Lector, Veritatis studiosissime, Sanctum Patrem non agere de punitione peccatoris, sed peccati, neque etiam de punitione, quæ à DEO immediatè proveniat, varias calamitates hominibus etiam post remissionem peccatorum immittente, sed de punitione, quâ homo verè & serio pœnitens peccata per debitam eorum detestationem externis etiam gestibus & signis in semetipso punit, Deo ob accedentem veram Fidem & amplexum Promissionum Evangelicarum ratihabente hanc punitionem ac Gratiæ oculis respiciente. De ipsis verò hujus Seculi calamitatibus Doctor augustus alibi sequentem in modum pronuntiat, Parabolam Christi Evangelicam de Viti viniferâ explicans: *Summus ille vitis agricola aliter parat falcem sarmentis fructuosis, aliter infructuosis; non tamen parcit, nec probis, nec reprobis; illis purgandis, his amputandis. Nullus enim hominum tantâ est Justitia præditus, cui non sit necessaria tentatio tribulationis, vel ad perficiendam, vel ad confirmandam, vel ad probandam virtutem; nisi fortè nec Paulum illi Apostolum inter justos numerant, qui quamvis humiliter & veraciter sua præterita fateatur peccata, tamen se ex fide Jesu Christi justificatum esse, gratias agit. An verò illi parcebat ille, quam vani non intelligunt dicentem: Non parcam, nec justo, nec peccatori?* Et postquam hoc exemplum latius deduxit, ad priora rediens, hanc subjecit adplicationem: *Hinc intelligitur, quomodo non parcatur impiis, tanquam sarmentis ad combustionem præcisis, quando justis non parcitur propter perficiendam purgationem. Nam & ipse Petrus testatur, hæc illius voluntate fieri, qui in libris veteribus ait*, Non parcam, nec justo, nec peccatori. *Cum ergò ex voluntate Spiritus DEI benefacientes patiuntur, non parcitur justis; cùm autem malefacientes, non parcitur peccatoribus; secundùm illius tamen voluntatem fit utrumque, qui ait: Non parcam, nec justo, nec peccatori; illum flagellando ut filium, hunc puniendo ut impium.* Manifestum & hic discrimen facit Pater Sanctus inter punitionem impiorum & inter flagellationem filiorum, aliter de hâc, quàm illa judicans, id quod alibi porrò uberius exponit: *sicut miseretur Pater filiis, sic misertus est Dominus timentibus eum. Iam sæviat, quantum vult, Pater est. Sed flagellavit nos, & adflixit nos, & contrivit nos; Pater est. Fili, si ploras, sub Patre plora; noli cum indignatione, noli cum typho superbiæ. Quod pateris, undè plangis, Medicina est*, non pœna; *castigatio est, non damnatio. Noli repellere flagellum, si non vis repelli ab hæreditate. Noli attendere, quam pœnam habeas in flagello, sed quem locum in Testamento.* Non contrarius sibi est Augustinus, dum in flagellatione vel castigatione paternâ & negat & agnoscit esse *pœnam*. Negat esse pœnam propriè dictam, agnoscit esse pœnam ad mentem ejus, qui non ritè & distinctè de Judiciis DEI judicare didicit, castigationem Patris loco pœnæ servilis habens.

l. 22. contra Faust. cap. 20.

in Ps. 102. vel 103.

Tertia nunc super adhuc est demonstratio, videlicet, *Mortem corporis, quæ in se est pœna peccati, verè tamen fidelibus post impetratam à DEO peccatorum remissionem non esse pœnam propriè dictam.* Eam ante, quàm Augustini testimoniis firmam porrò exhibeamus, instantiæ Bellarmini occurrendum est, quam de parvulis post Baptismum morientibus dedit, adserens, *eis sine dubio peccatum originale per Baptismum esse dimissum, neque ejus esse ætatis, ut virtutes exercere possint, & tamen in peccati pœnam eos ante legitimũ*

tempus

tempus rapi; & ipsius quidem Bellarmini verbis, quæ in capite hujus libri primo habet, scribens, *Certum esse, universum pœnæ debitum condonare Deum, cùm primum per Baptismum nos recipit in filios.* Atqui si universum pœnæ debitum per Baptismum parvulis condonat DEUS, eos recipiens in filios, non video, quam verè Bellarminus scribere potuerit, parvulos post Baptismum morientes in peccati pœnam ante tempus legitimum rapi, quâ tamen instantiâ Augustini de fidelium morte sine alicujus pœnæ respectu Sententiam infringere voluit Bellarminus; qui insuper, dum ex eodem Augustino voluit probare, *Mortem corporis & Virtutis exercitium & peccati pœnam simul*, nimirùm verè fidelibus, de quibus est Controversia, *post impetratam remissionem peccatorum esse*, vim & hic facit menti Patris augustissimi, quam ipse explicat quam optimè. Verba, quæ Bellarminus partim exscripsit, partim ad ea respexisse putandus est, hæc sunt: *Quid-*

lib. 13. de Civ. DEI, cap. 6. *quid est in morientibus, quod cum gravi sensu admit sensum, piè fideliterque tolerando augeat meritum Patientiæ, non aufert vocabulum pœnæ. Ita cùm ex hominis primi perpetuâ propagine procul dubio Mors sit pœna nascentis, tamen si pro Pietate Justitiâque pendatur, sit gloria renascentis; & cùm sit peccati retributio, aliquando impetrat, ut nihil retribuatur peccato.* Sed quæ hic minus apertè videtur scripsisse, capite tertio antecedente apertius exhibuit, scribens: *Non dissimulanda nascitur Quæstio, utrum reverà Mors, quâ separantur Anima & corpus, bonis sit bona; quia si ita, quomodo poterit obtineri, quod etiam ipsa sit pœna peccati? Hanc enim primi homines, nisi peccavissent, perpessi utique non fuissent. Quo igitur pacto bona esse potest bonis, quæ accidere non posset, nisi malis? Sed rursus, si non nisi malis posset accidere, non deberet bonis esse bona, sed nulla; cur enim ulla esset pœna, in quibus non essent punienda? Quapropter fatendum est, primos quidem homines ita fuisse institutos, ut si non peccavissent, nullum mortis genus experirentur; sed eosdem primos parentes ita fuisse mulctatos morte, ut etiam, quidquid ex eorum stirpe esset exortum, eâdem pœnâ teneretur obnoxium; non enim aliud ex eis, quàm quod ipsi fuerant, nasceretur. Pro magnitudine quippè culpæ illius naturam damnatio mutavit in pejus, ut quod pœnaliter præcessit in peccantibus primis hominibus, etiam naturaliter sequeretur in nascentibus cæteris.* Et in capite quarto sequenti: *Si quem verò movet, cur vel ipsam patiantur, si & ipsa peccati pœna est, quorum per Gratiam reatus aboletur? jam ista Quæstio in alio Opere nostro, quod inscripsimus de Baptismo parvulorum,* (ex quo Gratianus quoque paulò ante testimonium exhibuit,) *tractata ac soluta est, ubi dictum est, ad hoc relinqui Animæ experimentum separationis à corpore, quamvis ablato jam criminis nexu. Quoniam si regenerationis Sacramentum continuò sequeretur immortalitas corporis, ipsa Fides enervaretur, quæ tunc est Fides, quando expectatur in spe, quod in re nondum videtur. Fidei autem robore ac certamine in majoribus duntaxat ætatibus etiam mortis fuerat superandus timor, quod in Sanctis Martyribus maximè eminuit; cujus profectò certaminis nulla esset victoria, nulla (etiam) gloria, quia nec ipsum omninò posset esse certamen, si post regenerationis lavacrum Sancti jam non possent mortem perpeti corporalem. Cum parvulis autem baptizandis quis non ad Christi gratiam propterea potius curreret, ne à corpore solveretur, atque ita non invisibili præmio fides probaretur, sed jam nec Fides esset, confestim sui operis quærendo & sumendo mercedem? Nunc autem majore & mirabiliore gratiâ Salvatoris in usus Justitiæ pœna peccati est conversa. Tunc enim dictum est homini, Morieris, si peccaveris; nunc dicitur Martyri, morere, ne pecces. Tunc dictum est, Si mandatum fueritis transgressi, Morte moriemini; nunc dicitur, Si mortem recusaveritis, Mandatum transgrediemini. Quod tunc fuerat timendum, ut non peccaretur, nunc suscipiendum est, ne peccetur. Sic per ineffabilem DEI Misericordiam & ipsa vitiorum pœna transit in arma Virtutis, & fit Justi meritum etiam supplicium peccatoris; tunc enim Mors est adquisita peccando, nunc impletur Justitia moriendo. Verùm hoc in Sanctis Martyribus, quibus alterutrum proponitur à persecutore, ut aut deserant Fidem, aut subferant Mortem; Justi verò malunt credendo perpeti, quod primitus iniqui non credendo sunt perpessi. Nisi enim peccâssent illi, non morerentur; peccabunt verò isti, nisi moriantur. Mortui sunt ergò illi, quia peccaverunt; non peccant isti, quia moriuntur. Factum est per illorum culpam, ut veniretur in pœnam; fit per istorum pœnam, ne veniatur in culpam, non quia Mors bonum aliquod facta est, quæ antèa malum fuit, sed tantam Deus fidei præstitit gratiam, ut Mors, quam vitæ constat esse contrariam, instrumentum fieret, per quod transiretur in vitam.* Integer exscribi debuit locus, ut mens Sancti Doctoris eò clarius pateret, ac manifestum fieret, an, quod Bellarminus vult, agnoverit & docuerit, Mortem fidelibus post impetratam remissionem peccatorum, *& Virtutis exercitium simul & pœnam peccati esse.* Etsi enim non semel Mortem dicit peccati pœnam, non id alio tamen facit respectu,

ſpectu, quàm hominis in peccati ſtatu ante factam cum DEO reconciliationem adhuc verſantis; aliter omninò de eâ ſentiens, hominem in Statu Gratiæ intuitus, id quod alibi etiam ubertimè expoſuit, eo præprimis in loco, qui in antecedente *ſecundâ* demonſtratione primus fuit, ubi Mors in earum rerum numero ponitur, *quas ad Fidei certamen ſinit in piis manere Deus*, hâc etiam expreſſa notatione obſervatu digniſſima: *Poterat DEUS hoc etiam donare credentibus, ut neque corporis experirentur Mortem. Sed ſi hoc feciſſet, carni quædam adderetur felicitas, minueretur autem Fidei fortitudo; ſic enim homines Mortem iſtam timent, ut non ob aliud felices dicerent Chriſtianos, niſi quod mori omninò non poſſent. Ac per hoc nemo propter illam vitam, quæ poſt iſtam Mortem beata eſt futura, per virtutem ipſius etiam contemnendæ Mortis ad Chriſti gratiam feſtinaret, ſed propter removendam Mortis moleſtiam delicatius crederetur in Chriſtum. Plus ergò præſtitit gratiæ, plus fidelibus ſuis ſine dubitatione donavit. Quid enim magnum erat, videndo, non mori eos, qui crederent, credere, ſe (quoque) non moriturum. Quanto eſt majus, quanto fortius, quanto laudabilius, ita credere, ut ſe ſperet moriturus ſine fine victurum!* Poſt ea, quæ occaſione Oraculi Apoſtolici ſubjunxit de mutatione eorum, qui tempore reſurrectionis mortuorum vivent, ſcribens: *Hoc quibusdam in fine largietur, ut Mortem iſtam repentinâ commutatione non ſentiant, ſed ſimul cum reſurgentibus rapiantur in nubibus obviam Chriſto, & ſic ſemper cum Domino vivant*, hâc in retractationibus addita monitione, *ſe alium diligentiori de hâc re inquiſitioni locum ſervaſſe*, notanter illud porrò adpoſuit: *Rectè illis, quia non erunt jam poſteri, qui propter hoc credant, non ſperando, quod non vident, ſed amando, quod vident; quæ Fides eſt ener vis & debilis, nec Fides omninò dicenda.* Accedat alius æquè illuſtris locus, hanc rem egregiè tractans: *Quamvis & ipſa Mors carnis de peccato primi hominis originaliter venerit, bonus tamen uſus ejus glorioſiſſimos fecit Martyres. Et ideò non ſolùm ipſa, ſed omnia Seculi hujus mala, dolores laboresque hominum, quanquam de peccatorum, & maximè de Originalis peccati veniant meritis, undè facta eſt & ipſa Vita mortis vinculo obſtricta; tamen & remiſſis peccatis remanere debuerunt, cum quibus homo pro Veritate certaret, & undè exerceretur Virtus fidelium, ut novus homo per Novum Teſtamentum inter mala hujus Seculi novo præpararetur Seculo, miſeriam, quam iſta damnata meruit vita, ſapienter tolerans, & quia finietur, prudenter gratulans, Beatitudinem verò, quam liberata vita ſine fine futura eſt habitura, fideliter & patienter expectans*: Idem alibi ſequentibus docet verbis: *Regnum Mortis non eſt in eis, qui Chriſti gratiâ renati ad Ejus regnum pertinent, quoniam Mors temporalis, quamvis & ipſa de originali delicto ſit propagata, corpus interimit in eis, animam verò ad pœnam non trahit, ut ea per Gratiam renata jam non moriatur in Gehennâ, id eſt, à vitâ DEI non alienetur, non ſeparetur; temporalis autem Mors corporis etiam in iis, qui morte Chriſti redimuntur, relinquatur interim ad exercitationem Fidei & præſentis luctationis agonem, in quo & Martyres certaverunt, abſumatur verò & ipſa in renovatione corporis, quam reſurrectio pollicetur, ibi enim penitus abſorbebitur Mors in victoriam, cui modò Gratia Chriſti regnum adimit, ne ſuorum animas ad Tartari trahat pœnas.* Et huc non impertinenter referri poteſt auguſtiſſimi Doctoris ſequens contra Pelagianos diſputatio, in gratiam Lectoris ſtudioſi omninò adſcribenda: *Quomodo dicunt, ſolam Mortem ad nos tranſiſſe per Adamum? Si enim propterea morimur, quia ille mortuus eſt, ille autem mortuus eſt, quia peccavit; pœnam dicunt tranſire ſine culpâ, & innocentes parvulos injuſto puniri judicio, trahendo Mortem ſine merito Mortis, quod de uno & ſolo Mediatore DEI & hominum, homine Ieſu Chriſto Fides novit Catholica, qui pro nobis Mortem, hoc eſt, peccati pœnam ſine peccato ſubire dignatus eſt. Sicut enim ſolus ideò factus eſt hominis filius, ut nos per illum DEI fieremus filii; ita ſolus pro nobis ſuscepit ſine malis meritis pœnam, ut nos per illum ſine bonis meritis conſequeremur Gratiam, quia ſicut nobis non debebatur aliquid boni, ita nec Ei aliquid mali. Commendans ergò dilectionem ſuam in eos, quibus erat indebitam daturus vitam, indebitâ pro eis pati voluit mortem. Hanc ſingularem Mediatoris prærogativam Pelagiani evacuare conantur, ut hoc jam non ſit in Domino ſingulare, ſi Adam ita propter culpam paſſus eſt mortem debitam, ut parvuli ex illo nullam trahentes culpam patiantur mortem indebitam. Quamvis enim bonis per Mortem conferatur plurimum boni, undè nonnulli congruenter etiam de* Bono Mortis, *diſputaverunt; tamen & hinc quæ prædicanda eſt niſi Miſericordia Dei, quod in bonos uſus convertitur pœna peccati!* Adplicetur hæc, quæ S. Pater de morte parvulorũ contra Pelagian. juxta hypotheſes eorum habet, ad præſentem de fidelium morte controverſiam, & conſtabit, ex quâ ratione Doct. auguſt. Pelagianos arguit, eos evacuare ſingularem unici Mediatoris Chriſti prærogativã, ſtatuendo, parvulos puniri trahendo Mortẽ ſine merito

lib. II. de peccat. merit. cap. 31.

1. Theſſ. 4

l. II. c. 33.

lib. 13. de Trin. c. 16

Epiſt. 89. ad Hilar. Quæſt. 5.

l. IV. contra duas Epiſt. Pelag. c. 4.

Mortis, ex eâdem quoq; argui posse Bellarminum & sequaces, dum constanter, vel pertinaciter potius docent, fideles puniri Morte sine reatu ejus, à quo Christi Morte sunt liberati. De ipsâ Pelagianorum Sententia circa mortalitatem primi hominis in Statu concreatæ Integritatis ante lapsum, suo infra loco ex Augustino, ejusque novitio Interprete *Iansenio* fortè agetur. Claudat nunc agmen testimoniorum Augustini, eorum inprimis, quæ ad *secundam* pertinent demonstrationem, quod publicè in Ecclesiâ suos docuit au-

in Ps. 138. vel 139. ditores: *Tota generis humani miseria, in quâ gemit Mundus, dolor medicinalis est, non Sententia pœnalis*: Si respectu totius humani generis, multò magis respectu verè fidelium, & Deo ex Fide reconciliatorum, ut in antecedentibus non semel est dictum. Quæ omnia hactenus ita debent intelligi, non quasi in consideratione calamitatum temporalium, quibus etiam post impetratam à DEO remissionem peccatorum fideles in hoc Seculo sunt obnoxii, cum Augustino omnem pœnæ etiam materialis respectum abesse doceant Evangelici, sed tantùm ut formalem & propriè ita dictam pœnæ denominationem abeis auferant, non ignari, Augustinum aliàs & ibi non semel in describendis fidelium calamitatibus uti hoc *pœnæ* vocabulo, sed in sensu latiori & generaliori, quo omne, quod homini etiam justissimo accidit, sub hac notione communi venire solet. Et ita intelligendus est etiam locus, quem supra in Controversia de *Igne Purgatorio* contra Bellarminum vindicavimus, ex ultimo in Johannis Evangelium Tractatu desumtus, quem *Gratianus* etiam

c. Productior, dist. 3. de Pœn. Juri Canonico inseruit: *Productior est pœna, quàm culpa, ne parva putaretur culpa, sicum illâ finiretur & pœna. Ac per hoc vel ad demonstrationem debitæ miseriæ, vel ad emendationem labilis vitæ, vel ad exercitationem necessariæ Pœnitentiæ temporaliter hominem detinet pœna, etiam quem jam ad damnationem sempiternam reum non detinet culpa.* Dicit pœnam Augustinus, id quod fideles in hoc Seculo patiuntur, non quasi verè iis pœna sit, sed quia pro pœna habetur, & ante Gratiam DEI impetratam verè pœna fuit. Ita autem hic & alibi, ubi vocabulum hoc occurrit, intelligi necessum est, nisi contrarium sibimetipsi fuisse Augustinum, ac uno etiam eodemq; loco contraria inter se Eum scripsisse, velimus dicere, dum expresse in ultima *secundæ* Demonstrationis Sententia legitur: *Quod pateris, Medicina est, non Pœna.* Et statim in proximè sequentibus: *Noli attendere, quam habeas pœnam in flagello, sed quem locum in Testamento.* Ecce, in verbis immediatè cohærentibus, quam negat esse pœnam, pœnam esse dicit, duplici nimirùm sensu unius ejusdemque vocabuli, ibi proprio, hic autem improprio; neq; aliter, nisi hac ratione mens Sancti Patris potest salvari.

CAPUT QUARTUM,

De Quæstione,

An opera laboriosa, quibus pœnæ temporalis Reatus expiatur, sponte suscipi possint vel debeant?

QUia in antecedaneâ tractatione ex Augustino demonstratum, nullum fidelibus per Christum reconciliatis post impetratam peccatorũ remissionem pœnæ temporalis formaliter ita dictę reatum super amplius esse, omninò supersedere possemus præscriptę Quæstionis excussione, quia ex priori dependet, & eâ per Augustinum negativè decisa, hanc quoque ab Eo adfirmari non posse, esset debet indubium. Ne tamen & hic mineri suscepto deesse videat, præprimis dum & hic Bellarminus ad Augustini provocat authoritatem, paucis ostendatur necessum est, Bellarminum suo more Augustini authoritate iterum abuti. Binis autem Sancti Patris utitur, vel potius, ut dixi, abutitur testi-

1. Cor. II. moniis Bellarminus, *primo* quidem ex allegatione Venerabilis, ut audit, *Bedæ*, sequentia Doctori augusto verba, ad Pauli Oraculum, *Si nos ipsos judicaremus, &c.* ex libro de

Coloss. II. Pœnitentiâ adscribentis: *Pro illis peccatis, quæ Legis Decalogus continet, & de quibus ait Apostolus*, qui talia agunt, Regnum DEI non possidebunt, &c. *in Pœnitentiâ majorem in se quivis severitatem debet exercere, ut à seipso judicatus, non judicetur à Domino.* Videantur sequentia. *Secundo* autem, ut respondeat ad ejusdem Apostoli monitum, quo *corpori honorem haberi* hortatus est. *Si enim*, inquit Bellarminus, *Augustinum audiamus, tantum aberit, ut hic Locus sit contra nos, ut etiam maximè faciat pro nobis. Nam ex Ejus sententiâ Paulus reprehendit quosdam, qui ex Superstitione corpus adfligebant, non autem, ut illud ob Animæ salutem castigarent, ubi corporalis adflictio sponte adsumta laudatur, sed finis malus reprehenditur.* Videntur autem, *inquit Apostolus*, quæ isti faciunt, rationem habentia Sapientiæ in superstitione & humilitate, non ad parcendum corpori, non in honore

aliquo

aliquo ad saturitatem carnis, *hoc est, Videtur quidem abstinentia istorum habere quasdam rationes Sapientiæ, quia hoc facere videntur ad humiliandum cor & castigandum corpus, non honorandum & saturandum; tamen quia ex superstitione id faciunt, non ex verâ Pietate, nihil eis prodest.* Ad primum ante, quàm ex ordine respondeam, addere libet crisin Bellarmini Philologicam super verbo διακρίνειν, quo Apostolus hic usus est, vel potius Philolog. Ejus Anticriticam *Chemnitio* oppositam, ut contrariæ aliorum Interpretum Papæorum de eo observationes juxta hanc positæ iterùm aliquod tam insigniter commendati in Scripturæ Oraculorum ab utrâq; parte controversorum expositione consensus testimoniũ possint exhibere, & simul Augustini authoritatem Evangel. restituere. Ubi enim Bellarmin' augustiss. Doctoris verba ad laudatum prius Apostoli Oraculum ex *Bedâ* post alia Patrum loca adscripsit, de suo adjunxit sequentia: *Ex quò intelligimus, parùm ad rem facere, quod Chemnitius notavit, Apostolum non verbo κρίνειν, sed διακρίνειν usum esse, cùm ait,* Si nos judicaremus, &c. *Siquidem Apostolus per vocem διακρίνειν intelligit quidem discutere ac discernere, ut vox ipsa propriè significat; sed haud dubiè voluit, ut, qui se discutiunt, si malefacta in se inveniunt, ea corrigant & puniant, ne à Domino gravius puniantur, ut Augustinus rectè expositi, quem sequitur Anselmus in eundem locum, & ab his non discrepat Commentarius, qui Ambrosio tribuitur, qui per διακρίνειν intelligit errata non solùm discernere, sed etiam corrigere, cum quibus apertissimè sentit Chrysostomus.* Nunc videamus, quid celebratissimus hodiè inter suos Epistolarum Apostolicarum Interpres *Estbius* de hâc Bellarmini Philologia statuat: *Dijudicare hoc loco trifariam ab Interpretibus exponitur.* Primùm, *ut idem sit, quod judicare posteriore loco,* i.e. *punire, quo modo multi intelligunt Latini, hoc sensu:* Si nosmet ipsos pro nostris peccatis puniremus, nimirùm, per voluntarias adflictiones & satisfactiones manũ Domini præveniendo, non utique ab Eo gravius flagellaremur, sive in hoc Seculo, sive in futuro. *Qui sensus manifestè confirmat doctrinam de Satisfactione fidelium pro peccatis catholicam.* Alio modo, *ut dijudicare sit condemnare, etiam citra punitionem. Sic Græci intellexerunt, inter quos Theophylactus:* Non dixit, si nos ipsos puniremus, sed tantùm, si judicaremus & condemnaremus nosmetipsos, non jam sic condemnaremur à Domino, verùm & præsentia & futura effugeremꝰ supplicia. *Tertiò, ut dijudicare sit examinare & discutere, ita Sensus est:* Quod si nosmetipsos examinaremus, i. e. probaremus, ac non nisi (benè) probati Mensam illam Sacram accederemus, prout antè dixi, *Probet seipsum homo, &c.* non utiq; judicaremur, i.e. puniremur à Deo ob indignam corporis & sanguinis Domini sumtionem. *Sic exponunt Haymo, Lyranus, Cajetanus, & alii ex Latinis non-nulli, sanè quam probabiliter ac præcedentibus congruenter, faveto, Commentator Ambrosianus, qui legit & exponit, discerneremus; nam quod prima habebat Expositio, id à Græcis apertè rejicitur, ac merito, siquidem nec Græcum διακρίνειν, nec Latinum dijudicare, significat punire, sed usitatissima ejus significatio est, quam tertio attulimus loco, juxta quam paulò ante etiam est dictum, non dijudicans corpus Domini, &c.* Et quia Bellarm. ad *Chrysostomi* quoq; consensum provocat, dum de vocabuli ad Græcorum literaturam pertinentis Sensu agitur, non impertinenter verba Ejus hic leguntur, quæ post *Gvillandum,* cujus suprà etiam facta fuit mentio, *Novarinus* sequentia ad hoc Apostoli Oraculum laudat: *Non dixit, si castigaremus nosmetipsos, si puniremus; sed solùm, si vellemus agnoscere peccata, si nosmetipsos condemnare, si de delictis ferre Sententiam, liberaremur ab eo, quod & hic & illic est Supplicio. Nam qui seipsum condemnavit, duplici ratione DEUM placat, & quod peccata agnoverit, & quod in futurum sit tardior,* scilicet ad peccandum. Hoc sensu etiam *Fromondus* post omnes ferè alios paraphrasin in Pauli hæc verba scripsit: *Si nosmetipsos dijudicaremus, probaremus examinando & discutiendo nostram Conscientiam, & peccata, si quæ in eâ latent, condemnando ante, quàm ad Sacram accedamus Mensam;* non utiq; judicaremur, *puniremur, seu condemnaremur ad morbos & illas corporales pœnas ob indignæ manducationis peccatum.* Judica nunc, Lector optime, & dijudica, num Bellarminus non solùm in probando, *opera laboriosa, quibus pœnæ temporalis reatus expietur, sponte susciti posse,* potuerit sincerè ad Augustini provocare consensum; sed etiam, si August. in Sensu vocabuli διακρίνειν haberet consentientem, Ejus authoritate potius & aliorum quorundam Interpretum Latinorũ, quam Græcorum, Linguæ, quâ scripsit Apostolus, magis peritorum nobis sit standum? Judica etiam & dijudica, an verba, quæ *Beda* ex Augustino exhibet, aliquid habeat, quod ad spontaneam & propriam videri tantùm possit pertinere pro expiando pœnæ temporalis reatu satisfactionem, & non potiùs ad publicam in publicis Ecclesiæ scandalis Pœnitentiam? Judica porrò & dijudica, quid de Bellarmini in adducendis Patribus aliis sinceritate sit statuendum, qui in hujus Oraculi Sensu ad suas partes trahendo apertissimè secum facere scribit *Chrysostomum,* quem alii Interpretes Papæi,

unà cum *Theophylacto*, Chrysostomi Epitomatore, aliis adjungunt ac Bellarmino auferunt. Si hoc est, ex authoritate Patrum, & inprimis *Augustini*, Fidei controversias decidere, nescio, an adeò magna Bellarmino inferatur injuria, si dicam, hoc esse in seriâ ludere, imò, Lectorem Veritatis studiosum sub fictitiâ commendatæ Patrum authoritatis larvâ, cum præsentissimo intentæ Seductionis & hinc amittendæ Salutis æternæ periculo fallere, ac expansis errorum laqueis irretire; id quod manifestum porrò fiet, si *alterum* quoque Augustini testimonium, quo Bellarminus in præsenti Quæstione utitur, brevissimo subjiciatur Examini, ac objectio Evangelicorum contra spontaneam corporis adflictionem & susceptam pro reatu pœnæ temporalis expiando Satisfactionem ab oppositione *Augustini* LIBERETUR. Res ita habet. *Paulinus* inter plures alias Quæ-
Epist. 58. stiones hanc etiam Augustino solvendam proposuit: *Quod Apostolus ait*, Ad non parcendum corpori, non in honore aliquo ad saturitatem carnis; *prorsus hæc parùm intelligo, quia in eâdem sententiâ magna mihi videtur esse discretio. Arbitror enim, Eum de abstinentia quâlibet ficta vel inutili, qualis solet ab hæreticis adfectari, hoc dicere*, ad non parcendum corpori; *quod autem adjecit*, non in honore aliquo, *quia Sancti operis speciem non in Fide veritatis exercentes nullius Gloriæ honore vel fructu agunt, quod in magnâ erroris perversi reprehensione conficiunt, transfigurantes se in ministros Justitiæ. Sed quod adjecit*, ad saturitatem carnis, *contrarium mihi videtur illi, quod dixit*, ad non parcendum corpori;
1. Cor. 9. *videtur enim mihi ille non parcere corpori, qui carnem jejuniis domat, sicut Apostolus dicit*, lividum facio corpus meum, & in Servitutem redigo, *à quo opere saturitas carnis aliena est. Nisi fortè & ipsam saturandæ carnis curam, quæ maximè religionis observantiam pretendentibus probrosa est, non parcere corpori dixit, secundum illud honestatis præceptum, quod alibi dicit*, ut unusquisque Vas suum honorificè noverit possidere, ut hostiam vivam &
1. Thess. 4. placentem DEO suum exhibeat corpus, *non in saturitate carnis; quia distentio corporis*
Rom. 12. *necat Animæ sobrietatem, & inimica est castitati.* Hactenus Paulini interrogatio, ad quam Augustinus ita respondet: *Cur, inquis, hæc dicit Apostolus habere rationem Sapientiæ, quæ ita reprehendit? Dicam, quod & ipse in Scripturis advertere potes, sapientiam sæpe positam in hujus etiam Mundi sedibus, quam expressius dicit Sapientiam hujus Mundi*; nec moveat,
Epist. 59. *quod hic non addidit*, Mundi. *Non enim & alio in loco*; cùm ait, ubi Sapiens, ubi Scriba, *addit, hujus Mundi, & tamen hoc intelligitur. Sic & ista ratio Sapientiæ*; nihil enim ab eis
1. Cor. 1. *dicitur in hujusmodi superstitiosis observationibus, ubi non Mundi hujus elementa* (alias, elementorum) *naturarumq;* (rectius fortè, naturaliumq;) *rerum ratio quædam Sapientiæ reddi videatur. Nam & cùm dicit*, Cavete, ne quis vos decipiat per Philosophiam, *non ait, hujus Mundi; & quid est Philosophia, nisi studium Sapientiæ? Sunt ergò*, inquit, *ista rationem Sapientiæ quidem habentia, id est, de quibus aliqua reddatur ratio secundum elementa hujus Mundi, & principatus ac potestates in observatione & humilitate cordis: idem enim agunt ista, ut Superstitionis vitio cor humilietur* AD NON PARCENDUM CORPORI, *dum istis fraudatur escis, quibus abstinere compellitur*, non in honore aliquo ad saturitatem carnis, *non quod honoratius illo magis cibo, quàm hoc saturaretur Caro, cùm ad ejus necessitatem non pertineat, nisi quolibet apto valetudini alimento refici atque fulciri.* Quantum posteriora hæc verba contra differentiam ciborum in commendatione jejunii malè ita dicti possint inservire, fortè suo infrà loco indicabitur, quorsum omninò debet referri. Nunc addantur hic, quæ utrobique apud *Paulinum* æquè ac *Augustinum* in antecedentibus ad Oraculum Pauli, de quo agitur, observatu digna leguntur, & luce meridianâ clarius patebit, quàm impudenter Bellarminus scripserit, ex Augustini Sententiâ hoc Pauli Oraculum pro suâ inservire Sententia, dum ipse Bellarminus non potuit non agnoscere, Apostolum ex mente Sancti Patris eos reprehendisse, *qui corpus adfligebant ex Superstitione.* At qui illud ipsum est, cur Evangelici abstinendum censeant à sponte susceptis operibus illis, quibus pœnæ temporalis reatus expiari dicitur, quia non-nisi Superstitionem Deo ingratam redolet, & quod non planè nullam hic quoq; meretur observationem, infert Christi merito injuriam. Quæ *Hugo Grotius*, aliàs non semel *Papizans*, non tam ad hujus loci illustrationem, quàm obscurationem in gratiam eorum, quibus posttentatas religiones alias demùm placere desideravit, è multiplicis literaturæ, quâ satis fuit instructus, penu collegit, *Dorscheus* in Indice Iniquitatis Moguntinorum vocavit ad
Part. III. examen, dignus, qui hic legatur. Ex superabundanti nunc eam subjungo inge-
§. 33. p. nuam Bellarmini de apostasia hodiernæ à veteri Ecclesia confessionem, sequentibus
79. & seq. exhibitam verbis: *Quamvis opera laboriosa pœnitentibus olim ante Absolutionem imponebantur & explebantur, tamen non fuisse id absolutè necessarium, sed potuisse etiam expleri post Absolutionem, ut hoc tempore fieri solet; ac per hoc Satisfactiones illas*

illas non tam ad culpam, quàm ad pœnam temporalem expiandam referri consuevisse, ex illis perspicuum est Conciliis, quæ in articulo Mortis jubent pœnitentibus communionem dari, etiamsi nulla aut non plena præcesserit Satisfactio, sed tamen admoneri, ut si fortè supervixerint, integrè pœnitentiam sibi injunctam expleant. Non dicam, quæ Bellarm. hic de antiquorum Satisfactionibus habet, ut antè in similibus non semel fuit observatum, ad publicam, non privatam pertinere Pœnitentiam, adeòque nihil omninò facere ad præsens Institutum, quod nemo non attentè hæc considerans videt; illud tantum noto, ubi Synodus Tridentina ante hoc Seculum, in recensione partium Pœnitentiæ, nominatim Absolutioni postposuit Satisfactionem, de hujus Definitionis sensu apud Interpret. Concilii non unam fuisse Sententiam, *Launojo* Sorbonista teste, qui de Controversiâ hâc inter fratres Cadmæos peculiari egit tractatu, stans, quod mirum & aliàs insolitum, juxta literam & ordinem ibi præscriptum à partibus *Bellarmini*, & consuetudinem hodiè apud Romanos communiter receptam, præstandæ nimirùm post susceptam Absolutionem Satisfactionis contra quosvis alios, plus quàm quadraginta Scriptorum ex illo tempore celebrium authoritate nixus, acriter defendens. Titulus libri est, *de Mente Concilii Trid. circa Satisfactionem* (vel potius ordinem Satisfactionis,) *in Sacram. Pœnitentiæ*, qui ante paucos Annos cum pluribus aliis ejusdem generis iteratò prodiit, non indignus, qui cum cæteris ad cognoscendam Doctorum Ecclesiæ Romanensis in rebus Fidei harmoniam quàm diligentissimè evolvatur. In specie, quæ de operibus satisfactoriis pro reatu pœnæ temporalis expiando habet in capite sexto Bellarminus, nominatim, quod Augustinus Eleemosynarum largitionem vocat *Sacrificium*, & abstinentiæ à Vino vel carnibus aliquod *meritum* adscribere videtur, infrà in tractatione *de Bonis operibus in particulari* expendetur, quemadmodum suo etiam loco vocabitur ad Examen, quod capite octavo per *Denarium*, qui à Patrefamiliàs in notâ Christi parabolâ operariis pro mercede fuit promissus, Patres communi consensu, & inter eos Augustinum quoq; Vitam intellexisse æternam scripsit, utpotè quæ hic propriè nullum habere possunt aut debent locum.

Sess. 6. cap. 14.

v. cap. 8. n. 31. p. 74. & 75.

Matth. 20

CAPVT NONVM, & seqq.

De Quæstione,

An DEO satisfieri possit pro Pœnâ temporali?

POst aliorum plerorumq; Ecclesiæ Patrum testimonia, quibus adfirmativam defendere laboravit Bellarminus, quatuor ex Augustino etiam laudavit, ut Ejus authoritate idem obtineat: Primum hoc est: *In melius Vita est mutanda, & per Eleemos. Deus est propitiandus, non ad hoc emendus, ut ea semper impunè liceat committere. Nemini enim dedit laxamentum peccandi quamvis facta jam miserando deleat peccata, si non Satisfactio congrua negligatur.* Et cap. sequenti: *De quotidianis autem brevibus levibusq; peccatis, sine quibus hæc vita non ducitur, quotidiana fidelium oratio satisfacit.* Secundum: *Nihil aliud facit, quem veraciter pœnitet, nisi ut id, quod mali fecit, impunitum esse non sinat; eo quippè modo sibi non parcenti ille parcit, cujus altum justumq; Judicium nullus contemtor evadit.* Tertium: *Veniat peccator ad Antistites, per quos in Ecclesiâ ministrantur claves, & tanquam bonus jam incipiens esse filius, maternorum membrorum ordine custodito, à Præpositis Sacramentorum acciat suæ Satisfactionis modum, ut in obferendo cordis contribulati Sacrificio devotus & supplex id tamen agat, quod non solùm illi prosit ad suscipiendam Salutem, sed etiam cæteris ad exemplum.* Et infra capite post decimum quinto: *Non sufficit mores in melius commutare & à malis recedere factis, nisi etiam de his, quæ facta sunt, satisfiat DEO, &c.* Quartum deniq;: *Implora Misericordiã, sed attende Justitiam. Miseric. est, ut ignoscat peccato; Justitia est, ut puniat peccatum. Quid ergò? quæris Misericordiam? peccatum remanebit impunitum? Respondeat David, respondeant lapsi; respondeant cum David, ut Misericordiam mereantur sicut David, & dicant: Non, Domine, non erit impunitum meum peccatum. Sed ideò nolo, ut Tu punias; quia ego meum punio peccatum.* Bellarm. loco Glossæ de suo addit: *Hic certè locus apertè convincit, nostram Satisfactionem non requiri solùm ad exemplum vel Disciplinam Politicam, sed ut injuria DEO facta compensetur, & Divinæ satisfiat Justitiæ.* Et quia, quæ Lutherus, Melanthon, Chemnitius, alii in genere de his Augustini & aliorum Ecclesiæ Doctorum testimoniis observarunt, invalida esse censet Bellarminus, ideò ut ad eorum speciale deveniatur examen, opus est, ubi fuerit præmissum ejus ad objecta à *Calvino* præprimis ex Augustino contra Satisfactionis debitum aut meritum testimonia responsum. Et quidem dum exindè, undè Bellarminus primum desumsit testimonium, Calvinus ostendit, *non DEO, sed Ecclesiæ satisfieri*; regessit Bellarminus,

in Enchir. cap 70.

Epist. 54. ad Maced.

Homil. 50. ex lib. 50. Homil. c. 11.

in Ps. 50. vel 51.

in Enchir. cap. 65. *dicere quidem eo in loco Augustinum, oportere pœnitentes Ecclesiæ satisfacere, sed non addere illam negationem, non DEO.* Addit, *idem non uno in loco Augustinum disertis scribere verbis, ipsi etiam DEO esse satisfaciendum, in eodem videlicet Enchiridio, dum verbis subinitium citatis ait:* Per Eleemosynas de peccatis præteritis est propitiandus Deus, &c. *Et iterum:* De quotidianis levibusq; peccatis quotidiana oratio fidelium satisfacit. *Ubi,* inquit Bellarminus, *licet non exprimatur, cui, sine dubio tamen intelligitur DEO. Nec enim pro quotidianis ac levibus peccatis jubemur publicè orationem Dominicam quotidiè recitare, sed satis est, si privatim in cubiculo, ubi solus exaudiat Deus, recitetur. Idem in citato ex Homiliis loco:* Non sufficit mores in melius commutare, nisi etiam de his, quæ facta sunt, satisfiat Deo. *Quid clarius?* subjungit Bellarminus. *Idem in Psalmum suprà quoq; citatum requirit Satisfactionem, ut peccatum non maneat impunitum, ut eo modo non solùm Misericordia DEI in remissione resplendeat, sed etiam Veritas & Justitia locum habeant.* Quæ de cooperatione Fidei in remissione peccatorum impetrandâ, item de cooperatione hominis in Justificatione & æternâ Salute adquirendâ incidenter ex *Augustino* interserit Bellarminus, infra quoque suum habebunt locum; sicut, quæ itidem ex oblata occasione ad laudatum suprà ex Augustini in Psalmum *quinquagesimum* Enarratione testimonium notat Bellarminus, *apud Augustinum tegere peccata non esse, nullo punire modo, sed, non punire in æternum, vel, non punire temporaliter etiam, si semetipsum puniat peccator;* quantum valeant, ex iis constat, quæ paulò antè ad idem testimonium ex mente Doctoris augustini fuerunt observata. Nunc duo tantùm super adhuc sunt testimonia, quæ *Calvinum* ex Augustino contra Satisfactiones commendare scribit Bellarminus, ad ea etiam respondere conatus, quorum prius esse dicit ex libro de *Dogmatibus Ecclesiasticis*, qui Gennadio alias adscribitur, ubi Satisfactio hunc in modum describitur: *Pœnitentiæ Satisfactio est, causas peccatorum exscindere, nec eorum suggestionibus aditum indulgere.* De posteriori mo-

cap. 54.

nera, *nescire se, ex quo sit libro desumtum, quia nec Calvinus certum adsignârit locum,* verba tamen ejus sequentia exhibet: *Christi caro verum est, & unicum pro peccatis sacrificium, non modò iis, quæ universa delentur in Baptismate, sed quæ posteà subrepunt ex infirmitate, propter quæ universa quotidiè clamat Ecclesia, remitte nobis debita nostra, & remittuntur per singulare illud Sacrificium.* Ad prius respondet Bellarm. *illud definire Satisfactionem veram ab effectu; illa enim est,* inquit, *vera seriaque Satisfactio, ex quâ sequitur, ut radices peccatorum evellantur, & boni habitus Virtutum adquirantur, ex quibus fiet, ut non facilè deinceps malis suggestionibus patefiat aditus. Nam alioqui eodem libro, capite proximo antecedente Author disertis verbis Satisfactionem docet, scribens:* Quamvis peccato quis mordeatur, peccandi non habeat de cætero voluntatem, & communicaturus satisfaciat lacrymis & orationibus. *Et paulò post:* Quem crimina mortalia post Baptismum commissa premunt, hortor priùs publicâ satisfacere Pœnitentiâ, & ita Sacerdotis judicio reconciliatum communi (iterùm) sociari, si non vult ad judicium & condemnationem sui percipere Eucharistiam. Sed & secreta Satisfactione solvi mortalia crimina non negamus, verùm mutato prius habitu Seculari, & confesso Religionis studio, per vitæ correctionem, & jugi, imò perpetuo luctu, miserante DEO, ita duntaxat, ut contraria pro his, quæ pœnitet, agat. *Alterum,* ita porrò Bellarminus, *vel posterius Testimonium nullâ indiget expositione; fatemur enim, omnia remitti peccata per Sacrificium Crucis. Nam ex eo vim habent Baptismus & cætera, quibus justificantur homines, Sacramenta, & ex eodem Gratiæ Spiritum haurimus, sine quo pro reatu pœnæ temporalis satisfacere non possemus.* Porrò, *Augustinum ob Crucis Sacrificium non existimasse satisfactiones excludi, perspicuum est ex testimoniis, quæ nono capite protulimus.* Omnia hæc Bellarminus pro Satisfaction. Deo præstandis ex August. &, ut videri voluit, ad Augustini mentem explicandam & defendendam, quibus ante, quàm ex debito fiat satis, in genere notari debet confessio Bellarmini, primo libri hujus capiti inserta, hic omninò attendenda: *Si veteres Ecclesiæ Patres interdum actionibus humanis tribuere videntur, ut Deum ex inimico reddant amicum, at q, adeò pro expiandâ satisfaciant culpâ* (& consequenter etiam pœnâ, de quâ hic præprimis agitur,) *interpretandi sunt de Satisfactione ex congruo, non ex condigno,* quam nec illud Evangelici concedant, neque ex Augustino, cujus Sententia hic defenditur, possit ritè probari, quod jam venit ostendendum. Et ad primum quidem ex *Enchiridio* testimonium, præter Eleemosynarum mentionem, de quarum effectu, ut dixi, suo infrà loco agetur, quod de propitiandò ibi legitur DEO, notari debet, antiquum Juris Canonici Glossatorem ad hæc verba à *Gratiano* citata observasse in margine, *propitian-*

c. Sanè, dist. 3. de Pœnit. *dus,* id est, *placandus.* At placare Deum, non idem esse, quod satisfacere DEO, quivis de propria verborum significatione ritè informatus intelligit. Etsi enim Augustinus verbis

verbis sequentibus etiam *Satisfactionis* mentionem facit, tanquam rei ad impetrandam remissionem necessariæ; ipsa tamen verborum series ostendit, agere Sanctum Patrem hic etiam, uti aliàs pluries, de satisfactione Ecclesiasticâ tum temporis usitatâ, de quâ in antecedentibus juxta *Calvini* observationem scripsit Doctor augustus, verbis omninò huc adponendis: *Neque de ipsis criminibus, quamlibet magnis, in Sanctâ Ecclesiâ remittendis, Dei desperanda est Misericordia, pœnitentiam agentibus, secundum modum sui cujusque peccati. In actione autem Pœnitentiæ, ubi tale crimen est commissum, ut is, qui commisit, à Christi etiam corpore separetur, non tam consideranda est mensura temporis, quàm doloris. Verum quia plerumque dolor alterius cordis occultus est alteri, neque in aliorum notitiam per verba vel alia quæcunque Signa procedit; rectè constituuntur ab iis, qui præsunt Ecclesiæ, tempora Pœnitentiæ, ut fiat etiam satis Ecclesiæ, in quâ remittuntur peccata.* Et ne Augustinus de aliâ in sequentibus agere videatur Satisfactione vel Pœnitentiâ, ex eo patet, dum loquitur de illis *criminibus infandis*, quæ illo tempore non-nisi per publicam expiata fuerunt Satisfactionem & Pœnitentiam, cui obposuit Pœnitentiam, quæ vocari potest domestica, scribens: *De quotidianis autem brevibus levibusque peccatis, sine quibus hæc Vita non ducitur, quotidiana fidelium Oratio satisfacit.* Qualem hic intelligat Satisfactionem Doctor augustus, in proximè sequentibus indicat: *Delet omninò hæc Oratio minima & quotidiana peccata, delet & illa, à quibus vita fidelium sceleratè etiam gesta, sed pœnitendo in melius mutata discedit.* Multùm hic quoque deletionem peccatorum à Satisfactione propriè sic dictâ distare, nemo Grammaticæ vel potius Etymologiæ & Lexicæ peritus ignorat. Quid verò hoc ad eam pro peccatis, vel pœnis eorum expiandis Satisfactionem, quam hodiè contra morem antiquum, & hinc Augustini etiam Seculo usitatum, post absolutionem & impetratam peccatorum remissionem, à Sacerdotibus tanquam Ecclesiasticis Judicibus imponi, paulo ante ex ipso audivimus Bellarmino? Nihil omninò. *Secundum* quoque testimonium de publicâ in Ecclesiæ conspectu agit Satisfactione & Pœnitentiâ, ut suprà est ostensum, & ipsa iterum docent verba, hic in gratiam Lectoris repetenda: *Quosdam, quorum crimina sunt manifesta, ab Altaris societate removemus, ut pœnitendo seque ipsos puniendo placare possint, quem peccando contemserant. Nam nihil aliud facit, quem veraciter pœnitet* &c. Loquitur de peccatis publicè ante Absolutionem & remissionem peccatorum expiandis, non de Satisfactione post impetratam Absolutionem privatam ad nutum Sacerdotis tanquam Judicis præstandâ, utpote Augustini Seculo juxta ipsius Bellarmini confessionem incognitâ, ad quam ab illâ non valere consequentiam, utriusque differentia ostendit. Idem de *tertio* dici debet testimonio, ex ultimâ inter *quinquaginta Homilias* desumto, quæ Homilia Tomo etiam *nono* sub lemmate tractatûs de *Pœnitentiæ Medicinâ* exhiberur, & cujus maximam partem *Rhenanus* suæ de Tertulliani Dogmatibus admonitioni inseruit. Tres in eâ exhibet Augustinus, vel quicunque est ejus Author, pœnitentiæ actiones, vel potius diversos gradus, tum in Ecclesiâ usitatas & diligenter attendentibus notas. *Una est*, inquit, *quæ novum parturit hominem*, pœnitentiam intelligens baptismalem eorum, qui adulti tum ad Fidem conversi baptizabantur. *Altera* verò vel secunda, *cujus actio per totam vitam istam, quâ in carne mortali degimus, perpetuâ supplicationis humilitate est subeunda.* Neutra harum pertinet ad Pœnitentiam, de quâ in præsenti agimus contra Bellarminum. Sed & neque tertia, quam prolixioribus verbis ita describit: *Tertia est, quæ pro illis subeunda est peccatis, quæ legis continet Decalogus, & de quibus ait Apostolus*, qui talia agunt, regnum Dei non possidebunt. *In hâc*, scribit, *Pœnitentia majorem quisque in se debet exercere severitatem, ut à se ipso judicatus non judicetur à Deo. Adscendat itaque homo adversùs se tribunal mentis suæ, si timet illud, quod oportet nos exhiberi ante tribunal Christi. Constituat se ante faciem suam, ne hoc ei posthàc fiat. Atque ita constituto in corde judicio adsit accusatrix cogitatio, testis conscientia, carnifex timor. Postremò ab ipsa mente talis Sententia proferatur, ut se indignum homo judicet participatione corporis & Sanguinis Domini; ut, qui separari à Regno Cœlorum timet per ultimam Summi Iudicis Sententiam, per Ecclesiasticam à Sacramento cœlestis Panis interim separetur Disciplinam. Versetur ante oculos futuri imago Iudicii, ut, cùm alii accedunt ad altare Dei, quo ipse non accedit, cogitet quàm sit illa contremiscenda pœna, qua æternam aliis percipientibus Vitam, alii in Mortem præcipitentur æternam.* Nihil in his de Satisfactione privatâ post Absolutionem à Sacerdote impositâ legitur, sed omnia de publicâ ante Absolutionem pœnitentiâ, quæ aliàs Canonica, ob canones de eâ præscriptos, communiter autem Ecclesiastica dicitur, quia in publico Ecclesiæ cœtu eam præstare oportebat, veniunt intelligenda, id quod verba à Bellarmino etiam laudata evincunt, quibus immediatè sequentia hæc adnectuntur:

Cæteris ad exemplum, ut, si peccatum ejus nō Solùm in gravi ejus malo, sed etiam in scandalo est aliorum, atque hoc expedire utilitati Ecclesiæ videtur Antistiti, in notitia multorum, vel totius etiam plebis agere Pœnitentiam non recuset, non resistat, non lethali & mortiferæ plagæ per pudorem addat tumorem. Quæ contra *Arnaldum* Sorboniſtam hoc præſenti teſtimonio ad certum quoddam in Africa uſitatum Pœnitentiæ genus demonſtrandum & oſtendendum, *omnium olim criminum publicam fuisse Pœnitentiam*, impertinenter utentem vel potius abutentem notavit *Dallæus*, ſuo legi poſſunt loco, ad Bellarmini Scopum non idonea; qui dum in aliis ex eâdem Homilia verbis Satisfactionem Deo debitam obſervavit, non malè feciſſet, ſi ex antecedentibus pariter & conſequentibus didiciſſet, aliosque ex officio docuiſſet, qualis ibi propriè intelligeretur Satisfactio. Nimirum Davidis exemplum ad imitationem legitur commendatum: *Davidem intuere regem, jam utique & Ipse illius temporis perceperat sacramenta, jam circumcisus erat utique, quod Patres nostri habebant pro Baptismo; jam unctus etiam erat unctione venerabili, qua regale Sacerdotium Ecclesiæ præfigurabatur. Repentè autem factus est & adulterii & homicidii reus, non frustrà tamen de tam immani & abrupto sceleris profundo pœnitens clamavit ad Dominum, dicens,* Averte faciem tuam à peccatis meis, & omnes iniquitates meas dele. *Quo tandem merito? Nisi quia idem dicit,* Iniquitatem meam cognosco, & peccatum meum ante me est semper. *Quid autem obtulit Domino, undè Illum sibi propitiaret?* Quoniam si voluisses Sacrificium, dedissem utique; Holocaustis (autem) non delectaberis. Sacrificium Deo Spiritus contribulatus, cor contritum & humiliatum Deus non spernit. *Non solum ergò devote obtulit, sed etiam ista dicendo, quid offerri oporteret, ostendit. Non enim sufficit, mores in melius commutare, & à malis recedere factis, nisi etiam de his, quæ facta sunt satisfiat Deo.* Quomodo? Explicatur id per ea, quæ *Gratianus* quoque adposuit antecedentibus: *Per pœnitentiæ dolorem, per humilitatis gemitum, per contriti cordis Sacrificium, cooperantibus Eleemosynis & Jejuniis*, quod postremum tamen à *Gratiano* additum, neque apud *Augustinum*, neque apud *Bedam*, neque apud *Lombardum*, quorum uterque hâc usus est Sententiâ, legi, Gregorianus etiam Notator obſervavit. De cætero, ipse verborum tenor oſtendit, agere hujus Sermonis vel Libri Authorem verbis hisce de ipso ordine in Pœnitentia ad exemplum Davidis obſervando, ut nimirùm mutationi Vitæ in melius præmittatur ſerius de anteactis dolor & contritio cordis, Gloſſatore antiquo hic etiam notante: *Non sufficit, quo ad famam exteriorem; sufficit enim quoad Deum, dummodò non contemnatur.* Quo ipſomet oſtendit, & hæc Auguſtini verba de publica intelligi debere Pœnitentia & Satisfactione, quod ſatis iterùm eſſe poteſt contra Bellarminum. De *quarto*, quod adhuc reſtat, teſtimonio ad ſecundum hujus Libri caput eſt actum, ex quo manifeſtum eſt, illud omninò ad præſens Inſtitutum non pertinere, neque Gloſſam Bellarmini quidquam ad rem facere. Quid enim? An quia David ex mente Auguſtini, vel Auguſtinus ex mente Davidis dixit, *peccatum non relicturum se impunitum, ne Deus puniret*; eximdè ſequitur, Davidem ſatis pro peccato vel ejus pœna temporali feciſſe Deo, vel Deum ideò non puniviſſe, quia ipſe David ſuum in ſe peccatum puniendo Divinæ ſatisfecit Juſtitiæ? Verùm ipſe Bellarminus ſuam hanc refellit gloſſam, in antecedentibus exemplum Davidis à Deo poſt impetratam remiſſionem peccatorum puniti exhibens, ubi docere voluit, *Sæpè remissa culpa manere debitum pœnæ luendæ.* Certè, ad hominem diſputo, ſi David ſuum in ſe peccatum puniens Divinæ ſatisfecit Juſtitiæ pro expiatione etiam temporalis pœnæ; cur nihilo tamen minus poſt remiſſionem culpæ, poſt expiationem pœnæ Deus eum punivit, quem aliàs tanto opere dilexit, & qui in pietatis ſinceræ ſtudio paucos habuit imitatores? Ad duo teſtimonia, quibus *Calvinum* contra Satisfactionis meritalem eſſe ſcribit Bellarminus, iisque reſpondere conatur, paucis notandum, *prius*, quidquid excipiat Bellarminus, & quidem in verbis, quæ contra ſemetipſum ſuppeditavit, agere de publica iterùm Pœnitentia, qua peccati mortalis reus poſt eam Sacerdotis judicio reconciliatus Communioni ſociatur, & in Eccleſiæ gremium iteratò recipitur. Etſi quamvis in proximè ſequentibus verbis *ſecretæ* mentionem faciat Satisfactionis, non tamen exprimit, intelligi illam debere de Satisfactione impoſita à Sacerdote tanquam Judice: nec etiam poteſt de ea intelligi, utpotè, quod ex antecedente trium Pœnitentiæ actionum vel graduum recenſione conſtat, Auguſtini tempore omninò incognita, adeòque huc planè non trahenda. De *Posteriori* non adeò debuit eſſe ſollicitus, ex quo ſit deſumtum libro, utut *Calvinus* certum non adſcripſit locum; cum ex ſuperioribus, ubi de Sacrificio Miſſæ propitiatorio vel potius contra illud ex Auguſtino fuit actum, conſtare poſſit, plura huic ſimilia in Auguſtino legi, undè nec Bellarminus illud omninò, tan-

de Cōfeſſ. L. IV. c. 22. p. 452.

tanquam à Bellarmini mente alieni quid continens, repudiare est ausus, de aliquo etiam responso sollicitus, videlicet, *Augustinum ob Crucis Sacrificium non existimasse, Satisfactiones excludi*, quod per illa quatuor testimonia patere existimat, quæ tamen ad illam Satisfactionem, de qua in præsenti agitur, impertinenter referri, in proximo Examine est ostensum, ut adeò nihil super jam sit, quàm ut præscriptum à Bellarmino lemma de Satisfactionis pro Pœna etiam temporali Deo præstandæ vi & efficacia omninò deleatur, atque Virtus Satisfactionis & Satispassionis plenariæ à Christo per impletionem Legis & Mortem Crucis præstitæ sine omni additione humana in integrum restituatur, hominesque Pœnitentiam agentes ac Deo reconciliari desiderantes per Fidem salvificam ad Christum, Mediatorem unicum reducantur.

LIBRI PRIMI DE INDULGENTIIS, CAPUT TERTIUM,

de Quæstione,

An sit in Ecclesiâ potestas adplicandi Thesaurum Satisfactionum, ac per hoc Indulgentias concedendi?

DE Indulgentiis agit Bellarminus peculiari Tractatu, qui in prioribus Controversiarum Tomis non adparet, sed in ultimis demùm Editionibus inter alias adpendices legitur insertus. Quia verò hoc argumentum quam proximè videtur cum antecedenti connexum, ideò paucis de eo hic agi debere consultum fuit visum, ut postquàm de Satisfactionibus & Satispassionibus humanis, earumque omnimodâ nullitate coram Deo ex Augustini authoritate est actum, de valore Satisdationum quoque videamus, quid ex augustissimi Doctoris Sententiâ sit statuendum. Sed paucis, ut dixi, quia non solùm Bellarminus ipse cum *Chemnitio* debuit agnoscere, *Durandum*, *Antoninum*, *Roffensem* negasse, Indulgentias tempore *Hieronymi & Augustini*, aliorumque Veterum, qui primis quingentis Annis floruerunt, fuisse cognitas; sed *Gerhardus* noster in *Confessione*, quam non sine causa dixit Catholicam, idem expressis aliorum, nominatim *Majoris & Dominici à Soto* testimoniis dedit comprobatum, ut adeò hâc tractatione omninò liceret supersedere, nisi aliqua incidenter ex Augustino occurrerent, quibus per indirectum quasi Sanctum Patrem ad suas trahere partes studuit Bellarminus, breviter, ne quid intactum maneat, ponderanda. *Primum* verò occupat locum explicatio Oraculi, quâ potestatem adplicationis Satisfactionum Christi & Sanctorum ex Augustino demonstrare tentavit Bellarminus. Verba Pauli post alia duo testimonia hæc sunt: *Gaudeo in Passionibus pro vobis, & adimpleo, quæ desunt passionum Christi, in carne meâ pro corpore Ejus, quod est Ecclesia.* Præmissis à Bellarmino pluribus, quæ ad cæterorum quoque ex Apostolo testimoniorum eo fine laudatorum explicationem pro Instituti ratione videbantur inservire, hæc subjiciuntur: *Augustinus certè satis apertè ex hoc Apostoli loco colligit, conferri in commune Reipublicæ Christianæ bonum Passiones Sanctorum, quæ Passionibus Christi sunt hactenùs adjunctæ, & usque ad Mundi finem adjungentur.* Quia Bellarminus verba Sancti Patris non est ausus exprimere, en, ea textu plenissimo: *Vnus homo cum capite & corpore suo est Iesus Christus, Salvator corporis & membrorum corporis, duo in carne unâ, & in voce unâ, & in Passione unâ, &, cum transierit iniquitas, in requie una.* Passiones itaque Christi non in solo Christo, imò, Passiones Christi non nisi in Christo. Si enim „ Christum intelligas caput & corpus, passiones Christi non nisi in Christo; Si autem „ Christum intelligas solum caput, passiones Christi non nisi in solo Christo. Si enim (*rectius, verò*) passiones Christi in solo Christo, imò in solo capite; undè dicit quoddam „ Ejus membrum, Paulus Apostolus, *ut suppleam, quæ desunt pressurarum Christi, in carne mea*? Si ergò in membris Christi es, quicunque homo, quisquis hæc audis, quisquis „ hæc non audis, sed tamen audis, si in membris Christi es; quidquid pateris ab eis, qui „ non sunt in membris Christi, deerat passionibus Christi. Ideò additur, *quia deerat*, „ mensuram implens, non superfundens. Tantum ergò pateris, quantum ex passioni- „ bus suis (*legendum, tuis*) inferendum erat universæ passioni Christi, qui passus est in ca- „ pite nostro (*tanquam caput nostrum,*) & patitur in membris suis, id est, nobismetipsis „

Lib. II. cap. 17. mox, init.

Coloss. 1.

in Psal. 61.

ad

„ad communem hanc quasi rempublicam; nam quisque pro modulo nostro exsolvi-
„mus, quod debemus, & pro posse virium nostrarum canonem quasi passionum inferi-
„mus, paratoria plenaria. Passionum omnium non erit finis, nisi cum Seculum fuerit
„finitum. Quidquid passi sunt Prophetæ à Sanguine Abel justi usque ad Sanguinem
„Zachariæ, adpositum est, quia præcesserunt adventum Incarnationis Christi quædam
„Ejus membra, sicut in nascente quodam capite quidem nondum procedente manus
„præcessit, sed tamen capiti connectebatur & manus. Nolite ergò, fratres, putare, justos,
„qui passi sunt persecutionem impiorum, illos etiam, qui venerunt missi ante Domini
„adventũ, prænuntiare eum, non pertinuisse ad membra Christi. Absit, ut non pertineat
„ad membra Christi qui pertinet ad civitatẽ, quæ Regẽ habet Christũ. *Et post aliqua:* Tota
„ergò Civitas illa loquitur à Sanguine Abel justi usm ad sanguinẽ Zachariæ, indè & dein-
„ceps à sanguine Johannis per sanguinẽ Apostolorum, per sanguinẽ Martyrum, per san-
„guinem fidelium Christi, *una loquitur Civitas* &c. Non dicam, aut prolixius inquiram,
an Augustinus adpositè hæc ad mentem Regii Psaltis scripserit vel dixerit, de quo Inter-
pretes videndi; id Lectorem Veritatis studiosum observari velim, agere quidem hisce
verbis Augustinum de Passionibus Christi & fidelium, &, ut sano concedamus sensu, de
Satisfactionibus etiam, iis nimirùm, quibus Divinæ voluntati fiat satis in eo, ut membra
capiti conformentur; non autem de *Indulgentiis*, quas ex earum thesauro provenire, &
vi potestatis Ecclesiasticæ dispensari statuunt earum nundinatores, utpotè de quibus
Vid. D. Dorsch. Anti Corn. cap. 27. pag. 353. & 354. conf. Dallæj de Pœnis & Satisfact. p. 264. Augustino secundum testimonia paulò ante citata nihil quidquam innotuit. Paucis, de-
scribit augustissimus Doctor statum corporis Ecclesiæ mystici tam quoad unionem cum
capite Christo, quàm quoad unionem membrorum inter se. Ad hanc refert fideles quos-
vis & in Veteri Testamento ante Christum, & in Novo post Christum usque ad con-
summationem Seculi, tanquam corpus unum constituentes. Ad illam verò refert com-
munionem passionum capitis & membrorum, non quidem hilasticarum quasi passiones
fidelium æquè essent sensu proprio satisfactoriæ ac expiatoriæ, quàm Christi Sacerdotis,
de quibus expressè Sanctus Pater, *quod non nisi in solo capite sint*; sed mysticarum & suo
etiam modo symbolicarum, quo cuncti fideles juxta Divinam Voluntatem suas ad hunc
Passionis, non quidem propitiatoriæ vel expiatoriæ, thesaurum conferre symbolas te-
nentur, hâc ratione capiti Christo se conformantes, & communi jugo Crucis subjecti.
Si Augustinus de hoc passionum thesauro credidisset, colligi eum hunc in finem, ut ex
eo Indulgentiæ per singularem in Ecclesiâ potestatem, interveniente pecuniariâ satis-
datione, pro remittendis temporalibus pœnis dispensarentur, non dixisset, *quemque pro
suo modulo exsolvere, quod debet & pro posse virium quasi canonem Passionis inferre*; cùm è
contrario thesaurus ille Satisfactionum, quo Romanensis Ecclesia superbit, & ex quo
certis temporibus & personis liberalissima fit & superabundans dispensatio, collectus sit
& colligatur non ex omnium promiscuè fidelium, sed Christi tantùm & quorundam præ
cæteris Sanctorum passionibus, quas utpotè supra & ultra debitum divites & supererо-
gatorias, aliis etiam in usum, & quidem, de quo hic quam-maximè controvertitur, pro
pœnis peccatorum temporalibus expiatorium & coram DEO propitiatorium cedere
statuunt, id quod Augustino in mentem non venit, neque etiam venire potuit, & si oc-
casione Oraculi Apostolici in mentem sibi venire passus fuisset, non tenerentur Evange-
lici acceptare, quia ex ipsis Interpretibus Papæis sunt, qui hunc Oraculi Sensum non
admittunt, sed in terminis pro debitâ ingenuitate repudiant, Augustini verò explicatio-
nem proximè exhibitam calculo suo adprobant. Post & præter alios iterùm hic legime-
retur *Estbius*, sequentia ad hoc Apostoli Oraculum observans: *Quod noster Interpres di-
xit*, ea quæ desunt passionum Christi, *non sic accipiendum, quasi Christus non satis sit passus
ad redemtionem nostram, ideòque Martyrum supplemento habeat opus; quod impium est senti-
re, quodque Catholicos dicere, non minus impiè calumniantur hæretici.* Thomas certè eum
vid. Vindic. Evãg. Thom. h. loc. *sensum pronuntiat esse hæreticum, eò quod Christi Sanguis sit sufficiens ad redemtionem Mun-
dorum etiam multorum.* Sed significantur ea, quæ reliqua sunt passionum, id est, quæ po-
„sterius adhuc restant toleranda; id enim sibi vult Græca dictio, ὑστερήματα. Sensum ve-
„rò Apostoli nobis aperit *Leo* Magnus, Sermone ultimo de Passione Domini: *Passio
„Domini usque ad finem perducitur Mundi, & sicut in Sanctis suis Ipse honoratur, Ipse diligi-
„tur, & in pauperibus Ipse pascitur, Ipse vestitur; ita in omnibus, qui pro Justitiâ tolerant ad-
„versa, Ipse compatitur* &c. q. d. Christum, qui semel passus est in seipso atque in pro-
„priâ carne, debere adhuc in suis pati membris usque ad finem Seculi; quia oportet
„membra capiti in passionibus conformari, ut Ei aliquando conformentur in Gloriâ.

Atque

„ Atque ita locum hunc intellexerunt *Augustinus*, Gregorius M. item Latini Commen- NB.
„ tatores, *Anselmus*, *Aquinas*, *Cajetanus* & alii. Sentit igitur Apostolus, se patiendo ad-
„ flictiones in Carne sua, parte quâdam ea supplere, quæ Christo adhuc patienda super-
„ sunt, non quidem in ipso, sed in membris. Dicens autem, *in carne meâ*, respexit ad id,
„ quod suprà dixerat, *Christum nos reconciliâsse in corpore carnis suæ per mortem.* Sicut enim
„ Christus in carne suâ passus est, ita Paulus in carne suâ pati se dicit, & ita quemque Chri-
„ sti discipulum in carne suâ pati oportet. Quod si cum non-nullis Passiones Christi in-
„ terpretemur, quas pro Christo patiuntur fideles, quemadmodum supra dictum est,
„ *sicut abundant Passiones Christi in nobis*; facilior erit hujus loci Sensus, idemque minimè
„ contemnendus. *Et paucis interjectis:* Hinc Theologi quidam ostendi putant, Sancto-
„ rum passiones prodesse fidelibus ad remissionem pœnarum, quæ vocatur *Indulgentia*;
„ quæ quidem doctrina etsi Catholica sit & Apostolica, *(ita & non aliter loqui & scribere*
„ *debuit Esthius, si non in suspicionem hæreseωs apud suos venire voluit,)* atque aliundè sa-
„ tis probetur; ex hoc tamen Apostoli loco nobis non videtur admodum solidè statui
„ posse. Non enim Sermo iste, quo dicit Apostolus, pati se pro Ecclesiâ, necessariò sic
„ est accipiendus, quod pro redimendis peccatorum pœnis, quas debent fideles, patia-
„ tur, quod fortè non-nihil haberet arrogantiæ; sed percommodè sic accipitur, quomo-
„ do proximè dixerat, *Gaudeo in passionibus meis pro vobis*, ut nimirum utrâque parte
„ significet adflictiones & persecutiones pro salute fidelium ipsiusque Ecclesiæ promo-
„ vendâ toleratas. Undè & Græca, quamvis locum hunc Paulò aliter, quam Latini,
„ exponant, illud tamen, *pro corpore Ejus*, sic intelligunt, ut jam diximus. Volunt autem ta-
„ le esse, quod Apostolus dicit: Multis laboribus & adflictionibus ad colligendam opus
„ est Ecclesiam, hominesque ad finem vocandos & ad Salutem perducendos. Hujus-
„ modi labores & passiones multas, easque gravissimas sustinuit Christus in hâc vitâ &
„ in carne suâ mortali; verùm multæ adhuc restant tolerandæ toto Seculi decursu, do-
„ nec tota Ecclesia collecta atque perfecta fuerit. Tolerandæ inquam ab iis, quibus
„ Evangelii prædicandi ministerium incumbit; quæ proindè & Christi Passiones di-
„ cuntur, quia passiones sunt ministrorum Ejus. *Harum igitur Passionum ego partem meam*
„ *expleo ac repræsento, tanquam minister Evangelii, laborans pro salute Ecclesiæ.* Hæc omnia
contra Bellarminum & eos, qui Paulum vi quâdam & invitissimum in ordinem Indul-
gentiariorum pertrahere nituntur, in specie *Ambrosium* quoque *Catharinum*, prolixissi-
mè ex hoc Pauli loco pro Indulgentiis agentem, ex debitâ, ut dixi, ingenuitate *Esthius*,
cui pollicem premit *Fromondus*, per breviorem Oraculi Apostolici paraphrasin, quæ
hæc est: *Licet Christus ad redemtionem generis humani plenissimè sit in se passus, in suis ta-*
men membris plenius adhuc Eum pati oportet. Ea, quæ desunt passionum, *Græcè*, defectus
passionũ Christi; *scilicet in membris suis. Passus est enim Christus in capite corporis sui mystici,*
restat jam, ut patiatur in cæteris suis membris, ut sic una Passio integretur, quasi ex Christi & ejus
membrorum passionibus. Nam membra debent esse Capiti conformia. In carne meâ; *quæ Christi*
caro est, non illa, in quâ adscendit ad Cœlum, sed quâ adhuc laborat in terrâ, ait Augustin. *Undè*
Christ⁹ non cessat adhuc in electis suis membris pati pro vobis. Pro corpore Ejus, *mystico, con-* NB.
gregando, ædificando & adplicando ei meritũ passionis ipsius Capitis Christi. Catharinus, Sotus,
Henriquez *& alii multi hinc colligunt, esse communionem Sanctorum, per quam unum Eccle-*
siæ membrum, ut Paulus, pro aliis satisfacit membris; &, adimplere ea, quæ desunt Passionum
Christi, *est, inquit, Satisfactiones suas Christi Satisfactionibus adjungere, & ex omnibus simul*
unum conflare Indulgentiarum thesaurum. Sed hujus interpretationis nemo Patrum meminit,
ideòque infirmiter Indulgentiarum thesaurus in eâ fundatur, ut rectè monet Esthius. Et de
hoc Oraculi Apostolici sensu ipse testatur Bellarminus libro sequenti, *eum à multis suo-* cap. 5.
rum fuisse observatum & adprobatum. Quæ in sequentibus primi hujus libri capitibus ha- ad fin.
bet, quandò nominatim capite septimo Propositionem format, *Indulgentias liberare ho-*
mines à reatu pœnæ non coram Ecclesiâ solùm, sed coram Deo etiam, eamque inter alia firmare
tentat illis Augustini verbis, quibus *Deo Satisfieri* debere, de publicâ agens Pœnitentiâ Homil. 50
scripsit, in proxime antecedentibus dictum est, quid de eo habendum sit testimonio, in lib. 50.
perque se patet, quàm impertinenter illud ad hoc Institutum trahatur; quando item ca- Homil.
pite post decimum quarto demonstrare contendit, *Indulgentiis etiam animas defuncto-*
rum juvari, idque eo ex fundamento, *quia fideles defuncti ita sint cum fidelibus viventibus*
ejusdem Fidei & Charitatis vinculo conjuncti, ut unam efficiant Ecclesiam & unum corpus,
dum Augustino teste *piorum defunctorum animæ ab Ecclesia, quæ Christi Regnum est, non* Lib. 20. de
separantur, de eo ex Controversiâ de Purgatorio judicari debet, sicut & de eo, quando Civit. Dei,
capite eodem circa Quæstionem, *quid requiratur ad hoc, ut Indulgentiæ defunctis prosint*, cap. 9.

ci,

ei, nimirùm Bellarmino res & lis est cum *Cajetano* de legitimo quorundam Augustini verborum sensu. *Requiritur enim ex Sententiâ Cajetani*, scribit Bellarminus, *ut defunctus non solùm sit in Statu Gratiæ, & in Purgatorii locis degat, sed etiam ut, dum viveret, fuerit devotus clavium Ecclesiæ (æstimator), mortuosque suffragiis juvare studuerit, & pro suis peccatis Satisfacere non neglexerit*; ita enim intelligit Cajetanus Augustini verba, *suffragia non prodesse omnibus mortuis, sed illis tantum, qui in hac vita meruerunt, ut sibi prodesse possint.* Addit Bellarminus, *Sed hæc Cajetani Sententia ut est utilis & pia, quia viventes ad bona excitat opera; ita videtur minus vera, & ab omnibus passim refellitur. Nam Augustinus locis notatis non excludit à suffragiis etiam particularibus ullas ex iis animas, quæ degunt in Purgatorio, sed animas solum damnatas ad æternas Inferorum pœnas; dicit enim, eas tantum esse capaces Suffragiorum, quæ dum viverent, id meruerunt, quia videlicet in gratia Dei & charitate perseverarunt. Charitas enim est fundamentum communionis inter Ecclesiæ membra, & non alia quæ peculiaris devotio ad Ecclesiæ claves vel aliquid hujusmodi.* Quantum hæ Cajetani & Bellarmini Sententiæ inter se, & quantum à Sententiâ Augustini differant, itidem ex suprà de Purgatorio dictis manifestum est, ut &, quandò Bellarminus ad ultimâ ejusdem capitis Quæstionem, *an nimirum Indulgentiæ prosint illis, pro quibus in particulari suscipiuntur, an omnibus in communi*? pro posteriori parte adfirmans, inter alia ad Augustini quoque authoritatem provocavit, scribentis, *Ecclesiam suffragia quædam communia transmittere ad animas defunctorum, ut quibus desunt particularia à consanguineis vel amicis, non desint aliqua à communi Matre, quæ est Ecclesia.* De quibus omnibus & singulis, quia loco jam citato dictum est, Lector studiosus meritò illuc remittitur, ne repetitio pariat fastidium.

de curâ pro mort. cap. 1. Enchir. cap. 109.

LIBRI SECUNDI CAPVT TERTIVM ET QVARTVM, De

Quibusdam Calvini objectionibus contrà Indulgentias.

IN quod antehàc non semel monui, hic quoque moneri debet, nimirùm *Calvini* objectiones non ideò contra Bellarminum vindicari, ac si Ejus in specie ageretur causa, qui suis non destituitur defensoribus, sed quia communem cum Evangelicis causam contra Doctores Papæos in aliquibus habuit, & quia de *Augustini* in primis authoritate hic agitur, quem à quocunque laudatum orthodoxæ Veritati restituere semel est propositum. Duo autem citatis capitibus occurrunt loca, quæ Augustini aliquam faciunt mentionem. In priori Bellarminus ex Augustino, posteriori autem ad objectum ex Augustino contra Indulgentias testimonium respondet. Ibi Bellarminus ita *Calvinum* contra Indulgentias argumentantem introducit: *Christo Lex & Prophetæ omnes teste Petro perhibent testimonium, quod per Ipsum accipienda sit remissio peccatorum; Indulgentia vero remissionem peccatorum per Petrum, Paulum & Martyres largiuntur.* Bellarminus respondet, *Loquitur Petrus de remissione peccati, quæ habetur per Fidem & Sacramenta, sine qua nemo salvus esse potest. Nam ideò dictum est Cornelio ab Angelo*: Simonem accerse, qui cognominatur Petrus, qui loquetur tibi verba, in quibus salvus eris tu & universa domus tua. *Neque obstat, quod Cornelius in eodem loco dicitur fuisse* Vir justus & timens Deum, *etiamsi, quàm audiret Petrum; nam, ut scribit Augustinus*, justus erat Cornelius Justitiâ quâdam inchoatâ & imperfectâ, sed non poterat Salvus esse, nisi crederet in Christum, & per Baptismum remitterentur ei peccata, & ipse incorporaretur Ecclesiæ. *Nam, ut idem loquitur Augustinus*, si potuisset Cornelius sine Christi fide salvus esse, non ad eum ædificandum missus fuisset architectus Petrus. *De hac igitur Remissione loquitur idem Apostolus, cum ait*, Huic omnes Prophetæ testimonium perhibent, quod per ipsum accipienda sit Remissio peccatorum; *de qua Remissione Calvinus falsò dicit*, Indulgentias Remissionem Peccatorum per Petrum, Paulum & Martyres largiri, *cum jam sæpe sit dictum, culpas non remitti per Indulgentiam.* Ita ex Augustino respondet Bellarminus, cui paria fere sunt, quæ ad objectum ex Augustino contra Indulgentias testimonium duplex reposuit. Duplex, inquam. Unum, sicut ipse Bellarminus ex Calvino refert, desumptum ex Opere in Johannem, alterum ex libris contra duas Pelagianorum Epistolas ad Bonifacium. Illud ita habet: *Etsi, fratres, pro fratribus moriamur, nullius tamen Martyris (etiam) sanguis in remissionem peccatorum funditur; quod fecit Christus pro nobis. Non in hoc, quod imitemur, sed, quod gratularemur, contulit nobis.* Hoc autem sequentia exhibet verba:

Act. 10.

Lib. 1. ad Simpl. Quæst. 2.

Lib. I. de Præd. Sanct. cap. 7.

Tract. 84.

verba: *Sicut solus DEI Filius factus est Filius hominis, ut nos secum Dei filios faceret; ita pro nobis solus suscepit sine malis meritis pœnam, ut nos per Ipsum sine bonis meritis consequeremur Gratiam.* Bellarminus respondet, *loquitur Augustinus, ut ipsa clamant verba, de remissione peccatorum, quam in Iustificatione accipimus, cum ad Gratiam sine ullis nostris bonis meritis pervenimus, quam remissionem nemo Catholicorum ab Indulgentiis vel à Sanctis expectat, sed omnes in unum Christum integrè referunt.* Utrobiq; ut dixi, eâdem oberrat chordâ, suisq; innititur hypothesibus, ante jam subrutis, ostensum est enim, Augustini etiam authoritate, post remissam à Deo peccati culpam, non remanere ejus pœnam propriè dictam, à Christo sufficienter expiatam; inq; hâc actione culpam à pœnâ, & hanc ab illa divelli nec posse nec debere, sed illa plenariè sublatâ hanc quoq; non amplius attendi, id est, neque satisfactione vel satispassione ad ejus expiationem, quin imò neq; ullâ satisdatione pecuniariâ pro ejus redemtione & fictitio Indulgentiarum thesauro opus esse. Hinc quidquid Bellarminus excipit, distinguens inter remissionem peccati vel culpæ per Christi solius meritum, & inter remissionem pœnæ per Indulgentias è thesauro Satisfactionum & Satispassionum Christi & simul Sanctorum, id est, per satisdationem pecuniariam in defectu propriæ Satisfactionis & Satispassionis, interveniente singulari gratiâ beneficii Dispensatoris impetrandam, nihil omninò valet, & præsupposita remissionis peccatorum plenitudine & sufficientia per se cadit, & stare nulla ratione potest. De exemplo *Cornelii*, quo impertinenter planè hic utitur Bellarminus, suo infrà loco circa Controversiæ de Auxiliis Gratiæ excussionem, ex Augustino agetur, cujus ea inter testimonia contra Indulgentias à *Calvino* laudata manent inconcussa, qui dum nullius Martyris Sanguinẽ in remissionem peccatorum scribit fuisse fusum, atq; solum commendet Christum, quod pœnam, videlicet Mortis, in se sine malis susceperit meritis, nimirum peccatis, eum in finem, ut nos homines per ipsum (& non per alium) sine bonis (vel nostris, vel aliorum) meritis, adeoq; sine nostris vel aliorum Satisfactionibus & Satispassionibus ex Indulgentiarum Satisdatione pecuniaria redimendarum thesauro dispensandis & adplicandis, à Deo consequeremur remissionis peccatorum & quoad culpam pariter & pœnam, & hinc etiam æternæ Beatitudinis gratiam & gloriam; nescio, quid contra hanc minimè spiritualem Mercaturam atque impias Indulgentiariorum fraudes manifestum magis scribi potuerit? L. IV. c. 4.

CAPVT DECIMVM,
De
Silentio Indulgentiarum in Verbo Dei.

QUæ capite octavo antecedente ex Augustini *Enchiridio* ad demonstrandam Indulgentiarum pro defunctis in Purgatorio utilitatem habet Bellarminus, suprà jam ex debito sunt discussa. Iam porrò videndum, quid de authoritate negantis argumenti in hâc Controversiâ sit statuendum, quo *Chemnitium* ex Augustino usum esse scribit Bellarminus. Tractavit in genere hanc rem peculiari tractatu laudatus suprà non semel Sorbonista *Launojus*, interque plura ex Augustino testimonia, quæ inservire videbantur Instituto, hoc inprimis è secundo Ejus de Trinitate libro commendavit: *Pater solus* nusquam *legitur missus.* Et posteà: *Ideo nusquam est scriptum, quod Deus Pater major sit Spiritu Sancto, vel Spiritus Sanctus minor sit Deo Patre, quia non sic adsumta est creatura, in qua adpareret Spiritus Sanctus, sicut adsumtus est filius hominis.* Post innumeros ferè alios hujus argumenti negantis observatores ipsum quoque Bellarminum citavit testem, his verbis utentem: *In tota Scriptura non est unam verbum, quo plebi detur authoritas Episcopos vel Presbyteros creandi.* Cætera Ejusdem ibi exhibita cum pluribus non attendo, ad præsentem materiam me conferens. Scribit autem Bellarminus, *Chemnitium* in hujus argumenti ad hanc Quæstionem adplicandi usu sequentia Augustini verba objicere: *Si quis de quacunque re, quæ pertinet ad Fidem Vitamque nostram, si vel Angelus è Cælo vobis adnunciaverit præter, quàm quod in Scripturis Legalibus & Evangelicis accepistis, anathema sit.* Ut huic Apostoli Oraculo à Sancto Patre ad sui temporis homines egregie adplicato occurrat Bellarminus, dum aliud non habuit, quod reponat, Augustinum opponit Augustino. Nos, inquit, *Ipsum eundem Augustinum respondentem adducemus; Ipse enim alibi scribit, illud* præter, quàm *non significare* plus, quàm *sed* contra, quàm, *Verba* augustissimi Doctoris hæc sunt: *Non ait Apostolus*, plus, quàm accepistis, *sed* præter, quàm quod accepistis. *Nam si illud diceret, sibimetipsi præjudicaret, qui cupiebat venire ad Thessalonicenses, ut suppleret; quæ illorum Fidei defuerunt. Sed, qui supplet, quod minus erat, addit; non, quod*

L. I. de Pœn. Rom. cap. 6.

c. 5. & 6.

Lib. III. contra lit. Petil. c. 6.

Tract. 98. in Joh.

quod inerat, tollit. Qui autem prætergreditur regulam Fidei, non accedit in via, sed recedit de via &c. Addit de suo Bellarminus : *Non igitur anathema dicitur iis, qui credunt aliquid, quod non invenitur expressè scriptum in Sacris Literis, sed iis, qui credunt aliquid, quod repugnat Sacris Literis.* Nam idem Augustinus alibi scribit : *Multa non inveniuntur in Litteris Apostolorum, neque in Conciliis posteriorum, & tamen quia per universam custodiuntur Ecclesiam, non-nisi ab ipsis tradita & commendata creduntur.* Et iterùm ibidem : *Quod universa tenet Ecclesia, nec Conciliis institutum, sed semper retentum est, non-nisi authoritate Apostolicâ traditum decentissimè creditur.* Denique alibi iterùm: *Quamvis de Scripturis Canonicis non proferatur exemplum, earundem tamen Scripturarum à nobis tenetur veritas, cum hoc facimus, quod universæ placuit Ecclesiæ, quam ipsarum Scripturarum commendat authoritas.*

Lib. II. de Bapt. c. Donat. cap. 7.

Lib. IV. cap. 24.

lib. I. contra Cresc. cap. 33.

Equidem de hoc Pauli, & exinde Augustini Oraculo contra Bellarmini exceptiones in primâ de Verbo Dei & Traditionibus Controversiâ generali actum est, & tamen superadhuc est, quod ibidem dictis breviter adjiciatur, responsumque Bellarmino ibi datum uberius confirmetur. Nimirum non bene Augustinus opponitur Augustino, qui de hoc Apostoli Oraculo semper idem sensit, nullibi autem particulam *præter* in ejus explicatione per *contra* intelligendam docuit, id quod accuratior locorum, ad quæ Bellarminus provocat, inspectio ostendit. Aliud certè est *plus*, quod Sanctus Doctor non vult ab Apostolo exclusum, aliud *contra*, quod Apostolus etsi non nominatim hic tamen subintelligendum esse præsupposuit. Omne videlicet, quod contra Evangelium à se prædicatum esse scivit, scivit esse etiam præter Evangelium à se prædicatum; at non vice versâ, omne quod præter illud est, esse etiam contra illud, eique è diametro oppositum & contrarium. Et tamen anathema dixit eis, quicunque non contra, sed præter Evangelium aliquid, quasi ad Fidei salvificæ doctrinam pertinens ausi fuerint docendo proponere, id quod ex *Chrysostomo*, quem inprimis sequitur Theophylactus, *Cornelium à Lapide* suprà diximus observâsse. Ubi verò Pater augustissimus notat, Apostolum non particulâ *plus*, sed *præter* in hoc usum esse Oraculo, adeoque plus Evangelio à se prædicato super addi posse, cometipso concessisse, de majori lumine Fidei & gradu Cognitionis salvificæ, non de alicujus doctrinæ ad Evangelium ab Apostolo prædicatum superadditione intelligi debet, Apostolo suæmet mentis optimo interprete, qui dum ad Thessalonicenses venire cupiebat, *ut suppleret, quæ illorum Fidei defuerant*, digitum ad id ipsum intendit; incrementum videlicet Fidei & Cognitionis, quam ex Evangelii prædicatione jam hauserant, per vivæ vocis repetitionem unice respiciens. Quæ in cæteris contra *Donatistas* locis in materiâ rebaptizationis hæreticorum habet Augustinus, impertinentissime, ut antehàc monui, ad præsens Institutum trahuntur. Agitur enim ibi non de rebus Fidei, & quæ ad credendum proponuntur, sed de quæstione Juris, an hæretici vel venientes ab hæreticis rebaptizandi sint, & quia olim *Cypriani* tempore in Africâ rebaptizati fuerunt, rectene id factum sit, idemque porrò fieri debeat? Ubi dum Augustinus ad Ecclesiæ provocat authoritatem, hæreticorum sine Baptismi iteratione defendens receptionem, quasi rem ab Apostolicâ traditione provenientem, & hinc sine omni contradictione tenendam, nihil plane agit, quo doctrinæ alicujus ad Fidem pertinentis, in Sacris tamen Literis per expressum non traditæ receptionem persuadere alicui voluisse posset videri. Accedit, quod in ultimo contra *Cresconium* testimonio Augustinus loquatur ex certâ hypothesi, quam particula *quamvis* expressit, in proxime antecedentibus manifestissimè in hoc eodem negatę rebaptizationis hæreticorũ argumento ad Sacras provocans literas, dum scripsit: *Sequimur sanè nos in hâc re etiam Canonicarum Scripturarum certissimam authoritatem.* Si Nundinatores Indulgentiarii suas exponendo merces, quibus Simpliciorum loculos emungunt, suosque ditant, singularibus Encomiis thesaurum, ex quo depromere se dicunt alienarum Satisfactionum & Sanctispassionum pro satisdatione pecuniaria adplicationes, in tempus longum & tantum non plane infinitum, ipsumque transcendens ævum commendantes, his Augustini verbis vere possent uti, tum de alio solliciti cogeremur esse responso. Nunc, quia id facere non possunt neque audent, nisi in aperta luce falsum dicere velint, ac sibimetipsis laborem demonstrationis præstitu impossibilem, utpote adfirmantibus imponere, fateantur, id quod fateri eos necessum est, Augustini authoritatem hic nihil sibi prodesse, imò potius obesse, àque partibus Evangelicorum stare, id quod insuper alio adhuc testimonio huc pertinente & parallelo breviter erit ostendendum, ubi Sanctus Pater contra eosdem *Donatistas* sequentia ursisse legitur : *Hoc nobis ex Canonicis non proferatur exemplum, earundem tamen Scripturarum à nobis tenetur veritas, cum hoc facimus, quod universæ placuit Ecclesiæ, quam ipsarum Scripturarum commendat authoritas.*

de Unit. Eccles. cap. 15.

Nonne Divinorum librorum legant, tot Civitates, quæ usque ad hodiernum Diem Baptismum

per

per Apostolos sibi consignatum tenuerunt, propter Afrorum incognita sibi crimina periisse à fide Christi, & denuò baptizandos esse à parte Donati, ac indè cæteris gentibus, quæ nondum audierunt, prædicandum esse Evangelium. Hoc nobis legant. Et post aliqua, ubi eos hoc non posse ostendit, notanter in rem hanc subjunxit: *restat ergò, ut non ex Divinis Libris, sed ex vobis ista dicatis; proindè respondebitur dignissimè, Anathema sitis. Tenent enim Ecclesiæ Apostolico labore fundatæ, cum quantâ sibi prædictum sit curâ: Si quis vobis evangelizaverit præter, quàm quod accepistis, anathema sit.* Plura his non addo, ne & hic Lectoris studiosi judicio nimis videar diffidere, *Esthii* observatione contentus, quam post vindicata jam Augustini è Commentario in Johannem verba Oraculo huic Apostolico adscripsit: *Notandum, ex hâc Apostoli Sententiâ sumi posse generalem quandam rationem explorandi doctrinam Religionis. Ea ratio seu regula est, omnem Doctrinam, quæ præter Doctrinam antiquitùs traditam adfertur, esse rejiciendam; eam verò, quæ cum Doctrinâ à Majoribus acceptâ consentit, recipiendam esse & adprobandam.* Quæ verba si de Antiquitate Biblicâ ac Majoribus in eâdem commendatis, Prophetis nimirum & Apostolis intelligantur, rectè se habent, & sic Doctrina, de quâ hic agitur, Indulgentiaria omninò ex finibus Ecclesiæ, tanquam præter Doctrinam Prophetarum & Apostolorum intrusa & obtrusa, erit ejicienda. Quod in fine capitis de Scopo secundæ Petri Epistolæ, ex quâ contra Indulgentias etiam argumentatus est *Chemnitius*, ex Augustino monet Bellarminus, eam, ut & Jacobi & Judæ Epistolas adversus eos scriptas esse, *qui solâ Fide homines salvari posse existimabant*, do eo in Quæstione circa necessitatem Bonorum Operum ad impetrandam Salutem æternam infrà dicetur.

CAPVT DECIMVM ET QVARTVM,

De

Indulgentiarum reprobatione ex Psalmo quadragesimo octavo vel nono.

IN præcedente iterùm capite, ut pœnæ residuum post culpæ remissionem defendat, provocat Bellarminus ad ea Augustini ex *Enchiridio*, & in Psalmum quinquagesimum primum *Enarratione* testimonia, quæ suprà jam ex debito sunt vindicata, adeòque hic ob repetitionis fastidium prætermittenda. Ad eum igitur accedimus locum, quem Bellarminus *à Chemnitio* contra Indulgentias adduci monet, circa cujus explicationem *Augustini* intercedit authoritas, quam Bellarminus sibi adplicare conatur, quo autem successu, sequens Examen breve ostendet. Est is Regii Psaltis, qui negat, *posse fratrem redimi à fratre, aut pretium redemtionis ejus Deo persolvere.* Ex hoc probari existimat Chemnitius, *inquit Bellarminus*, non posse satisfactiones Sanctorum adplicari ad reatum pœnæ pro aliis expiandum. *Sed facilis est responsio*, addit Bellarminus; *nam tribus modis explicari potest & solet ea Sententia.* Rectius eum indicasset modum, quo ad mentem Scriptoris Divini ex contextu debet explicari. Nos jam missis duobus prioribus de tertio tantùm videbimus, utpotè Augustini authoritate fulto, quam Bellarminus ita exhibet: *Tertia Explicatio est Augustini* primâ in hunc Psalmum Concione, qui interpretatur, *Frater non redimit; redimet homo? id est, si Christus, qui Frater noster fieri est dignatus, non te redimit, expectas, ut te redimat alius homo? Non dabit Deo placationem suam, nec pretium redemtionis animæ suæ ille, qui confidit in virtute suâ, & in multitudine divitiarum suarum.* At hucusque, *subjungit Bellarminus*, Expositio Augustini neque caulam Chemnitii, neque nostram juvat; loquitur enim de liberatione impii à captivitate peccati, & dicit, non posse impium, qui in suâ virtute confidit, liberari, nec à se, nec ab alio, cum à Christo liberatus non fuerit; non defectu Christi, qui pro omnibus est mortuus, sed defectu impii, qui redemtionem sibi noluit adplicari. Nos autem, *ita pergit Bellarminus*, in disputatione de Indulgentiis nō loquimur de liberatione impii, sed de liberatione hominis justificati à reatu pœnæ temporalis, de quâ in sequentibus verbis loquitur Augustinus, quæ hæresin Chemnitii manifestè refellunt: *Qui sunt, qui dant pretium redemtionis animæ suæ? quibus ait Dominus*, Facite vobis amicos de Mamonâ iniquitatis, ut & ipsi recipiant vos in æterna Tabernacula. *Illi dant pretium animæ suæ, qui non cessant facere Eleemosynas. Ideò illos, quos per Timotheum monet Apostolus, noluit esse superbos, ne in abundantiâ divitiarum glorientur; denique, quod possidebant, noluit apud illos vetera fecere, sed aliquid ex eo fieri, ut esset pretium redemtionis animæ illorum. Thesaurizent sibi fundamentum bonum in futurum, ut veram adprehendant vitam; sic dabunt pretium redemtionis animæ suæ.* Itaque Augustinus Luc. 18. 1. Tim. 6.

non timet dicere, & ter repetere, homines justos à Christo redemtos à morte animæ
Dan 4. dare per Eleemosynas pretium redemtionis animæ suæ, juxta illud, *Peccata tua Eleemosynis redime*; quæ redemtio non potest alia intelligi, nisi à reatu pœnæ post redemtionem peccati quoad culpam remanente. Et, si Augustino teste potest quis dare pretium redemtionis animæ suæ sine ullâ Christi omnium Redemtoris injuriâ, non debet videri mirum, si nos dicamus, posse Sanctos Martyres dare pretium aliquod redemtionis pro solo pœnæ reatu aliorum fidelium; non quod Christi pretium non sufficiat, sed ut hâc etiam ratione Martyrum passiones & merita honorentur. *Hæc omnia* ex Augustino & ad Ejus mentem, ut quidem videri vult, Bellarminus; de quibus ante, quàm Sententia dicatur, notandum, hæc Regii Psaltis verba, de quorum sensu citatus Augustini locus agit, *à Chemnitio* non eum in finem contra Indulgentias fuisse adducta, quasi ex professo & directè eis possent vel deberent opponi, sed ut in refutatione argumenti, quod ex Epistolâ Pauli ad Colossenses à parte adversariâ inprimis urgeri solet, inter alia ostenderet, *Sanctos de operibus suis coram judicio Dei ad Satisfactionem, expiationem seu redemtionem nec velle, nec posse aliis aliquid commodatò seu usui dare*, quæ Chemnitii verba sunt à Bellarmino studiosè prætermissa, ut videlicet faciliorem haberet ansam, formatam ex eis objectionem elidendi. Quæ autem exindè contra Indulgentiarum nundinationem possit necti consequentia, patet. Si enim nullis operibus suis aliquid mutuò dare possunt Sancti aliis ad Satisfactionem vel expiationem sive pro culpâ, sive pro pœnâ (cùm hæc â se non divelli, sed uno sublato alterum quoque auferri, jam sit demonstratum,) coram judicio DEI, & hinc neque opere aliquo pecuniario quasi redemtorio, de quo in specie verba Regii Psaltis intelligi debere, ex Augustino contendit Bellarminus, Eleemosynarum singulare pretium & æstimium hic commendans; sequitur, neque Indulgentias, è thesauro operum, quæ Sancti collegisse dicuntur, certâ pecuniæ summâ redemtas, quidquam hic posse aut valere. E contrario & inverso, si Christus, Frater & Immanuel noster Sanguinis sui & Mortis pretio inæstimabili & ad culpæ pariter ac pœnæ expiationem sufficientissimo, quæ Augustini & aliorum quorundam antiquorum & recentium Ecclesiæ Doctorum & Interpretum ad hoc Regii Psaltis Oraculum piæ sunt Meditationes, non omnino rejiciendæ, totum genus humanum, cujus gratiâ verus homo factus est, redemit, & Deo Patri reconciliavit; vile est & planè superfluum omne id, quod ab hominibus præter omnem necessitatem, præter omne debitum, imò non sine gravi Redemtoris benevolentissimi injuriâ, pro reatu pœnæ, quæ nulla in fidelibus & per Fidem justificatis super amplius est, additur, ac nullo planè modo admittendum. Hæc sicut Bellarmini causam non juvant, ut Ipse ultrò ingenuus agnovit, sed potius evertunt; ita plurimùm juvant causam Evangelicorum contra Indulgentias disputantium, ac singulares ob id debentur Bellarmino gratiæ, quod, dum *Chemnitii* ex hoc Regii Psaltis Oraculo argumentum aliquatenus indirectum Augustini authoritate conatus est subruere, suppeditatâ augustissimi Doctoris piâ Explicatione ostenderit, quâ ratione directius exindè contra Indulgentias liceat argumentari. Equidem in sequentibus Augustini verbis aliquid invenisse se putavit, quo *Chemnitii* Indulgentias rejicientis nondum demonstrata hæresis possit refelli; sed proprio iterum se jugulat gladio, quem Evangelicis contra semetipsum in manus tradit. Indicat nimirùm Sanctus Pater, quos intelligat, de quibus dicit Psaltes Regius, *quod dent pretium redemtionis animæ suæ*; nimirum Eleemosynas facere de Mammonâ Iniquitatis non cessantes. Non sollicitabo jam Interpretes, antiquos vel recentiores, orthodoxos & heterodoxos, neque ipsam adeò Bellarminum, an hæc ad mentem Regii Psaltis ab Augustino, Idiomatis Ebræi ignaro recte fuerint dicta, atque Christi verba de Eleemosynarum distributione pauperibus faciendâ rite sint adplicata, ne prolixior fiat ultra debitum hæc tractatio; hoc tantum quæro, quia Bellarminus hanc Augustini Explicationem sibi contra *Chemnitium* putavit inservire, qua Ejus hæresin contra Indulgentiariam refelleret, an ergò Indulgentias pro Eleemosynis proprie ita dictis haberi par sit & justum? Certe si & Indulgentiarum, qualiter hodie in communi venduntur, & Eleemosynarum ratio probe consideretur, nescio, an aliquod tertium comparationis possit inveniri, huic Instituto accommodandũ. Ad minimũ ii, quorũ loculi numis pro Indulgentiarũ venditione saginãtur, Eleemosynã se accipere non agnoscunt, existimantes, aut si meliora sciunt, populo simplici persuadentes, majoris æstimii merces se pro viliori pretio vendere, ubi neq; meritũ de congruo, neq; & quidẽ multò minº de condigno locũ habere possit, omni proposito ne & geometrica & arihmetrica hic exesse jussa. Impertinentissime autem à Bellarmino

locum

locum Danielis ad illustrandam Augustini Sententiam commendari, melius ostendi non potest, quàm si ea hic repetantur, quæ Bellarminus ipse antehàc de eo observavit, scribens: *Locus hic duobus modis exponi solet.* Rectius iterùm indicâsset modum, quo ad Sententiam ipsius Prophetæ intelligi deberet. Sed pergat. *Vno, inquit, modo, ut per peccatum intelligatur culpa sive inimicitia cum Deo, & tunc significatur illis verbis, posse hominem pœnitentem per Eleemosynas placare Deum ex congruo, atque ab Eo gratiam reconciliationis impetrare. Ex quâ interpretatione id sequitur, ut si opera hominis nondum justificati, tamen cum Dei auxilio speciali facta tantum valent ad reconciliationem, ut ex congruo dicantur redimere culpam; multò magis opera hominis justi ex Spiritu inhabitante facta tantum valeant ad expiandam temporalem pœnam, ut ex condigno dicantur redimere pœnam. Alio autem modo exponuntur ea à non-nullis verba, ut per peccatum sola intelligatur pœna. Sed quia Nabuchodonosor impius erat, & non solum pœnæ, sed culpæ etiam remissione indigebat, idcircò Authores illi volunt, Sententiam Danielis esse hiulcam, at alia subintelligi verba, quibus Regem ad agendam Pœnitentiam & quærendam reconciliationem sit cohortatus, ac tum demum addiderit de pœna expianda,* Peccata tua Eleemosynis redime. *Cæterum*, ita porrò Bellarminus, *plenus erit Commentarius, si verba Danielis intelligamus de perfecta Remissione peccati quoad culpam & pœnam, ita ut cohortatio sit ad magnas & frequentes Eleemosynas, quibus primum disponatur Rex ad reconciliationem, deindè etiam ex condigno pœnam redimat.* Quæcunque ex his Explicationibus obtineat, quarum instituere examen hic locus non est, impertinenter tamen Bellarminus hæc Danielis verba præsenti argumento adaptasse convinci potest, ubi contra hæresin Chemnitii anti-Indulgentiarum evincere voluit, agi de liberatione hominis justificati à reatu pœnæ temporalis post redemtionem peccati quoad culpam remanente; cùm juxta Bellarmini & eorum, quos laudat, Sententiam Danielis verba respiciant hominem impium & nil minus quam justificatum, adeòque vinculo vel reatu & pœnæ pariter & culpæ adhuc constrictum, quod certe Augustinum non illustrare, sed obscurare dici debet. Cadit hinc omne id per se, quodcunque Bellarminus Sententiæ Augustini non intellectæ, non ad mentem ejus ex debito illustratæ superstruxit. Si, inquit, potest quis, Augustino teste, nimirùm per Eleemosynam, *dare pretium redemtionis animæ suæ, sine ullâ Christi omnium redemtoris injuriâ*; non debet videri mirum, si nos dicamus, posse Sanctos Martyres dare pretium aliquod redemtionis pro solo pœnæ reatu aliorum fidelium. Atqui prius non ita dixit vel scripsit Augustinus, sicut crudè intellexit Bellarminus, neque etiam dicere vel scribere potuit, si ipsius Bellarmini Explicationem, quam senior atque hinc Textu accuratius expenso in Psalmos scripsit, attendamus, sequentia ad hæc Regii Psaltis verba observans: *Sensus est*, Frater non redimit, *multò minus homo alius redimet.* Non dabit Deo placationem suam, *id est, neque alium, neque semetipsum liberare poterit. Quamvis enim pecuniis maximè abundet, & eas omnes obferat ad placandum in die malâ Deum, nihil ei proderit; nam ut Dominus in Evangelio loquitur*, quam dabit homo commutationem pro Animâ suâ? *Superat enim animæ humanæ pretium omnia hujus Mundi bona, & ideò solus unigeniti Filii Dei Sanguis, qui infiniti erat valoris, pretium animarum esse potuit.* Aliorum, ut dixi, Interpretum super hoc loco mentem non indago. Corrigat saltem Bellarminus ex his suismet verbis Augustini de pretio animæ Sententiam, eamque ad Fidei orthodoxæ normam reducat ante, quàm ex iis plus ultra extensis aliquid contra ejus analogiam, & inconsequenter quidem deducat. *Inconsequenter* dico. Nam etiamsi Augustinus id docuisset, posse aliquem, in specie per Eleemosynas, quas Bellarminus Indulgentiis similes fecit, *dare pretium redemtionis Animæ suæ*, eo nimirùm sensu, quo visum fuit Bellarmino; minimè tamen sequitur, *posse Sanctos martyres dare pretium aliquod redemtionis pro solo pœnæ reatu aliorum fidelium*, cum illa supererogatio nondum probata sit, neque etiam probari ullâ ratione possit.

Lib. IV. de Pœnit. c. 8

CAPUT DECIMUM ET SEXTUM,
De
Communione Sanctorum.

HAnc pro communi Indulgentiarum Thesauro cunctis fidelibus adplicando contra *Chemnitium* defendens Bellarminus, ne Augustini authoritate videatur destitui, inter alia hæc ex Eo commendat: *Potest ex Sententiâ Augustini unus pro alio credere, ut fit in Baptismo parvulorum; cur non poterit unus pro alio pati?* Sed audi, *inquit*, *Bellarminus*, eundem Augustinum de Communione Sanctorum differentem: *Oculus solus*

Epist. 23. & Lib. III. de Bapt. cap. 18.

Tract. 33. in Joh. *videt in corpore, sed numquid soli sibi oculus videt? Et manui videt, & pedi videt, & cæteris membris videt. Non enim, si aliquis ictus in pedem veniat, avertit se oculus indè, ut non præcaveat. Rursus sola manus operatur in corpore, sed numquid sibi soli operatur? Et oculo operatur. Nam si ictus aliquis veniens non cat in manum, sed tantùm in faciem, numquid dicit manus, non me moveo, quia non tendit ad me? Sic pes ambulando omnibus militat membris; cætera tacent membra, & lingua omnibus loquitur.* Addit Bellarminus, *Hæc si adplicentur ad fideles, qui illis membris corporis significantur, licebit sine dubio dicere, eum, qui jejunat, qui facit Eleemosynam, qui orat, qui injunctam persecutionem patienter tolerat, qui vincula, qui verbera, qui mortem pro fide Christi patitur, non sibi soli hæc agere vel pati, sed aliis etiam, præsertim si ipse non habeat peccata, quæ istis purget Passionibus.* Et post aliqua: *sociorum & amicorum omnia sunt communia, ut pulchrè Augustinus ibidem ostendit, ubi adeò dicit omnia esse communia piis fidelibus, ut omnes dicere possint, se omnibus loqui Linguis, sicut loquebantur olim, qui visibiliter accipiebant Sp. Sanctum; quoniam linguæ omnium fidelium toto terrarum orbe dispersorum singulis sint communes per charitatem, quâ sumus omnes unum in Christo.* Ut & huic argumento post *Chemnitium* satis hic faciamus breviter, dicendum, id iterum niti falsis hypothesibus suprà jam refutatis, & hic porrò refutandis. Quid de Augustini Sententia, quâ in Baptismo parvulos Fide aliena credere scripsit, sit habendum, suprà in loco ex aliis Augustini testimoniis est sufficienter ostensum. Neque tamen probavit Bellarminus, si juxta Fidei analogiam verè dici posset, parvulos in Baptismo Fide aliena credere, sequi exindè, posse hominem justificatum è reatu pœnæ temporalis, per aliorum Satisfactiones & satispassiones, interveniente pecuniaria satisdatione coram DEI judicio & tribunali omninò liberari, cùm non desit, quod utriusque disparitatem exhibeat, âque illo ad hoc argumentari prohibeat. Ipsam *Communionem Sanctorum* in Symbolo Fidei Apostolicæ tanto opere ad ductum S. Scripturæ nobis commendatam quod attinet, agnoscunt eam omninò Evangelici, ac ex debito maximi æstimant, in iis etiam, quæ Sanctus Doctor & Pater augustissimus egregiè observavit. At ut eorsùm ultra debitum & citra præscriptum S. Literarum extendamus, quorsum Bellarminus per liberalem nimis consequentiam extendit, hactenus à nobis impetrare non potuimus. Quin & fatemur, esse aliquam *Communionem Sanctorum*, & fidelium sicut ratione Bonorum cœlitus, non semper tamen & omnibus pari modulo concessorum, ita etiam ratione Passionum, quarum respectu quemq; fidelium *pro suo modulo* exsolvere, quod debet, nimirum juxta præscriptum Divinitus ordinem, *& pro posse virium quasi canonem passionis inferre*, paulò ante Augustinum habuimus docentem, & Pauli de hâc communione Passionum verba graviter explicantem. Quid verò hæc ad Passiones Sanctorum pro aliis, & aliorum peccatis vel pœnis satisfactoras, & hinc etiam ad Indulgentias Satisdatione pecuniaria pro reatu earum expiando redimendas? Si ita à baculo ad angulum licebit argumentari, quidlibet ex quolibet deducemus, nihilq; amplius erit super, quod non per consequentiam dici possit demonstrabile, etiamsi nulla sit omninò inter Propositiones connexio, semperq; plus in Conclusione adpareat, quàm fuerat in præmissis, idque contra omnium Logicorum regulas, ipsamque naturalem concludendi rationem, iis etiam non omninò ignotam, qui sine prævio Logices studio unum ex altero deducere didicerunt, lumine cognitionis concreatæ post lapsum adhuc residuæ præditi, adque discernendum hoc ab illo per Judicii maturitatem apti.

CAPVT DECIMVM SEPTIMVM ET OCTAVVM,

De

Argumento contra Indulgentias historico.

REpetendum hic est omninò, quod Bellarminum suprà agnoscentem audivimus, *Durandum, Antoninum, Roffensem*, Scriptores in Ecclesia Rom. celeberrimos negasse, tempore *Hieronymi*, *Augustini* & aliorum Veterum, qui primis quingentis Annis floruerunt, Indulgentias fuisse cognitas. Id sicut hactenus in argumenti hujus tractatione usui fuit quam-maximè, ita etiam nunc porrò inservire potest, ubi paucis adhuc restat videre, quid vel ad objectam ex Augustino contra Indulgentias authoritatem respondeat Bellarm. vel in excusione argumenti contra easdem historici ex Eo objecerit. Utrobiq; *Chemnitius* iterum vindicandus est, quem scopum contradictionis sibi præfixit. Ad prorem pertinet partem, quod sequentibus de Eo verbis exhibet Bellarminus, scribens: *Adl. IV. dist. 18. ducit*, nimirùm Chemnitio, *Lombardum adversus Indulgentias nondum natas, qui dicit, peum*

tunc

tunc tegere pœnitentium peccata, quandò ad pœnam non reservat, sed debitum pœnæ remittit, *idque probat ex Augustini in Psalmum trigesimum & secundum Sententiâ.* Addit loco responsi Bellarmin. *Sed in eodem loco est hujus objectionis solutio; significat enim Lombardus, de Pœna æterna intelligendum esse, quod dicitur. Et ideò*, inquit, *sicut interius Gratiâ suâ animam illuminat, ita & simul debitum æternæ mortis relaxat; Ipse enim per seipsum peccata pœnitentium tegit, & tunc tegit, quando ad pœnam non reservat.* Et paulò infra: *Ita ergò dicit à DEO tecta, ut DEVS non videat, id est, æternaliter puniat.* Cætera non addo, utpotè, quorum antea jam ratio fuit habita. Referri autem ad hanc priorem quoq; debet partem, quod Bellarminus, ubi è *Chemnitio* contra Indulgentias *Chrysostomi* adduxit testimonium, addidit, eandem quoque Sententiam habere *Augustinum*, his expressam verbis: *Non dixit Deus, vade in Orientem, & quære Justitiam; naviga usque in Occidentem, ut accipias Indulgentiam. Dimitte inimico tuo, & dimittetur tibi, &c.* Sed, ita iterùm Bellarminus, subjuncto simili ex Bernhardi Scriptis testimonio, respondet, *testimonia hæc nihil efficiunt.* Primùm *enim loquuntur de justificatione impii ac remissione culpæ, non de solo reatu pœnæ, de quo nos loquimur.* Deindè *solum probant, non esse necessariam absolutè vel peregrinationem, vel Eleemosynam ad remissionem peccatorum; alioquin pauperes & ægrotantes spe omni carerent; & satis novimus, posse hominem per internam conversionem ad Deum ita vehementer accendi in amorem DEI & de suis peccatis dolorem, cum proposito Confessionis, ut continuò recipiat remissionem omnium culparum & pœnarum. Sed non ideò inutiles sunt Eleemosynæ & peregrinationes, & hoc solùm contendimus adversus hæreticos. Ac ut omittam de Eleemosynis*, de quibus infrà, *idem præter Chrysostomum & ante Bernhardum, idem inquam* Augustinus *ad Clerum & populum Hipponensem scribit se authorem fuisse, ut quidam ad loca Sancta susciperent peregrinationem.* In posteriori hujus ultimæ Tractationis de re Indulgentiaria parte ea *Chemnitii* verba ægriùs fert Bellarminus, quibus scribere non dubitavit, *Veteres aliquandò nimis largiter & verbis nimium magnificis Disciplinam, quæ vocatur, Canonicam commendâsse*, Augustinum inter & præter alios scripsisse, *Deum illis de peccatis præteritis propitiari.* Et ut ostendat, quid patientia pœnarum temporalium possit apud DEUM, præter alia hæc inprimis urget ex Augustino verba, quibus Regii Psaltis à DEO desideria, Domine, ne in furore tuo arguas me, neque in irâ tuâ corripias me, explicavit: *Petit, ne in indignatione arguatur, neque in Irâ emendetur, tanquam dicens DEO, quoniam ista, quæ patior, multa sunt, magna sunt, quæso, ut sufficiant; & incipit illa numerare, satisfaciens Deo, obferens illa, quæ patitur, ne priora patiatur.* Quæ vel in antecedentibus habet ex eodem loco Bellarminus, vel in sequentibus ex Augustini in Psalmum quinquagesimum Explicatione, jam suprà responsum acceperunt, sicut & de cæteris omnibus suo dictum est loco, ut quam brevissimè nunc possint expediri. Quod enim attinet responsum *Lombardi*, quo Bellarminus infirmare conatur *Augustini* clarissimam de peccatorum pariter & pœnarum remissione à Psalte Regio tam insigniter commendatâ explicationem, quasi de pœnis tantùm æternis debeat intelligi, ad rem facit perparùm. Qui enim remittit, quod majus est; cur non remitteret etiam, quod minus est? ostensumque est antehàc ex professo, quæ supersunt fidelibus in hâc vitâ post gratuitam peccatorum remissionem calamitates, ex Augustini Sententia esse non pœnam, videlicet propriè dictam, sed *Medicinam*; non damnationem, à Justitia vindicatrice, sed *castigationem* ab amore paterno profectam. Idem dici debet de responso Bellarmini ad *Augustini* contra Peregrinationes Indulgentiarias testimonium, dum in eo *de justificatione impii ac remissione culpæ*, non autem de reatu pœnæ agi putat. Si enim causa ejus, quod majus est, ipsius nimirum Justificationis ac peccatorum remissionis, peregrinationes ad loca procul dissita instituere non est necessum; neque id fieri necessum erit causa ejus, quod minus est, expiandi videlicet solius pœnarum temporalium reatus, quam necessitatem absolutam ipse Bellarminus defendere non est ausus, id quod itidem suprà in Vindiciis hujus ex Augustino testimonii circa hanc de Peregrinationibus ad loca Sanctorum Religiosis, non rarò irreligiosis, Quæstionem contra *Stalenum*, prolixissimum earum defensorem est ostensum, ubi simul actum fuit de eo Augustini testimonio, quo visus fuit Bellarmino Sanctus Pater has Peregrinationes Religiosas quibusdam commendasse. *Chemnitii* judicium de Augustini & aliorum quorundam Ecclesiæ Doctorum Sententia, quoad effectum Disciplinæ, ut vocatur, Canonicæ, Bellarminus non tam iniquè debuit traducere, si ea attendere voluit, uti omninò debuit, quæ ad ejus explicationem addidit. Postquam enim citata Augustini, & similia *Tertulliani, Cypriani, Ambrosii* verba adduxit, notanter, ne videlicet in sinistrum & heterodoxum detorqueantur sensum, subjunxit:

Serm. de Mart.

Epist. 137

Psal. 38.

junxit: *Talia sunt, quæ Salvâ Fide* (non solùm Lutherana, ut Bellarmino videtur, sed Evangelico-Apostolica, & hinc verè Catholica) *nec possunt, nec debent*, sicut sonant, *accipi & intelligi*, id quod *Gropperus*, Scriptor Enchiridii Colonienſis, ipſi Bellarmino ſub initium Tractationis de Pœnitentia inter cæteros, qui hoc argumentum contra hæreticos tractarunt, commendatus, fatetur. *Expiatio enim, propitiatio, ablutio, purgatio, redemtio & reconciliatio pro peccatis ſolius Chriſti meritum eſt, quod juxta Scripturam verbo & Sacramentis obfertur & Fide accipitur.* Gropperus *igitur tales Veterum hyperbolas non malè mitigat hoc tropo, quod ſcilicet talis Diſciplina fuerit incitamentum ad veram Pœnitentiam, in quâ Fide propter Chriſti meritum peccata expiantur & abluuntur, & credentibus placatur DEUS.* Bellarminus quidem in ſuis *Recognitionibus* ad libros de Sacramento Pœnitentiæ mox à principio ſcribit, *hoc Enchiridion Gropperi tum hic, tum in præfatione libri de Matrimonio inter libros Catholicos poſui. Sed quanquam ipſe Vir Catholicus ſemper habitus eſt, in eo tamen Enchiridio non leves inveniuntur errores, ut indicavimus alibi, ut non ſine cauſa is liber in Indicem prohibitorum ſit redactus.* At quos Bellarminus & Romani Inquiſitores pro erroribus habent, ſine dubio errores eſſe non agnoverunt, quorum nomine illud Enchiridion ſcripſit, & quibus Vir Catholicus fuit, *Poſſevino* etiam nullius de Eo ſuſpicionis mentionem faciente, aliàs nihil omittente, quod ad hujus vel illius Authoris ullâ ratione ſuſpecti notationem pertinere viſum fuit. Neque etiam Bellarminus indicavit, ea, quæ *Chemnitius* exindè adduxit, inter Errores ejus non leves referri debere; omninò indicaturus, ſi contra mentem Patrum, quorum Sententias explicare ſtuduit, in ſpecie contra mentem Auguſtini, quidquam per errorem ſcripſiſſet, aliquâ correctione dignum. Ut adeò illud tam diu ſuum hic obtineat locum, quamdiu contrarium à parte adverſariâ non fuerit ſufficienter demonſtratum. *Ultimum* quod reſtat Auguſtini teſtimonium, quo Bellarminus pro oſtendendo effectu patientiæ pœnarum temporalium utitur, nihil iterum præſtat auxilii. Præter ea enim, quæ ſuprà in Examine ejus ad Controverſiam *de Igne Purgatorio* ſunt dicta, hic ſolum notetur, nihil omninò illud continere, quod vel ad Satispaſſiones Pontificias, vel ad Indulgentiarum nundinationem vi etiam adhibitâ trahi poſſit. Non ad illas, cùm Auguſtinus ad mentem Regii Pſaltis agat de calamitatum à DEO impoſitarum paſſione, Bellarminus autem de Satisfactionibus & Satispaſſionibus per homines tanquam Judices injunctis. Neque verò etiam ad hanc, quâ hæ Satisfactiones & Satispaſſiones intercedente Satisfactione pecuniaria redimi poſſunt, utpotè quam Auguſtino in mentem non veniſſe nec venire etiam potuiſſe hactenus ita eſt oſtenſum, ut ad rem ipſam ſuper amplius ſit nihil, Satisfactione exhibita ad quævis, quorum uſu vel potius abuſu Bellarminus ſtabilire conatus eſt Indulgentias. Quæ enim alii habent poſt Bellarminum, & ut plurimùm ex Bellarmino, paucis quibusdam additis, nominatim *Joſephus de Voiſin* in peculiari *de Jubilæo ſecundum Ebræorum & Chriſtianorum doctrinam* Tractatu, ante Annos non ita multos publicato, ſæpius in hoc argumento ad Auguſtini provocans authoritatem, ea ex dictis facilè intelliguntur. Nunc obſigno hunc locum verbis Bellarmini notatu digniſſimis, ac inuſitatum candorem exhibentibus: *Sicut probandum non eſt quod aliqui pio, ſed nimio fortaſſis zelo de indulgentiis quibusdam ex cauſis levibus conceſſis obloquuntur, quod faciunt* Johannes Gerſon, Dominicus à Soto, Andreas Vega, QUIBUS MULTO plures è *Confeſſione Gerhardi Catholicâ* poſſunt adjungi; *ſic laudandus meritò eſt Clemens Octavus, Pontifex Maximus, quod Decretum Concilii Lateranenſis ſub Innocentio III. de moderandis indiſcretis Indulgentiis, & Decretum Tridentini de revocandis Indulgentiis ad veterem & probatam Eccleſiæ conſuetudinem executioni mandare ſtuduit; Veteres enim parciſſimos fuiſſe in conferendis Indulgentiis notiſſimum eſt.*

lib. III. de Juſtif. c. 3.

l. I. de Indulg. c. 12.

De EXTREMA UNCTIONE LIBRI

CAPUT QUARTUM.

IN totâ hâc tractatione unicus tantùm eſt locus Auguſtini, qui videtur eſſe genuinus, adque hoc Inſtitutum pertinens; cætera, quæ Bellarminus ex Eo adducit, proprio ſunt judicio ſuſpecta, atq; hinc minus idonea, ex quibus aliqua inſtituatur demonſtratio, ita inſuper comparata, ut ad rem ipſam nihil aut parum conducant, id quod paucis oſtendendum erit. Et quidem *primò* ad Innocentium hujus nominis primum Pontificem Roman.

Romanum provocat Bellarminus, disertis verbis mentionem hujus Sacramenti facientem, hâc cum observatione, *quod fuerit Vir doctus & Sanctus, atque ab Augustino & aliis Ecclesiæ Doctoribus tum mirificè commendatus*; Item *quod Epistola hæc sit certa, & quod expresse ac clarè dicat, hanc Unctionem esse Sacramentum à Jacobo explicatum, & quod nullus unquam ex Veteribus Eum reprehenderit, quod Unctionem infirmorum esse docuerit Sacramentum.* Addit, *Testimonium hoc etiamsi extaret solum, sufficere deberet.* Deindè ad Augustini ipsius authoritatem veniens, tria ex Eo loca indicat huc pertinentia, nullo tamen verbotenùs adscripto ex iis testimonio. *Primus* ex Speculo Ejus est, de quo scribit, *quod in Eo ex totâ scripturâ eas tantùm Sententias exponens, quæ nobis omni tempore deserviant, adscripserit etiam Jacobi Sententiam*, Infirmatur quis in vobis, &c. *Secundus* est ex Sermone de Tempore post ducentesimum decimo & quinto, ubi monet, ut qui ægrotant, Jacobi præceptum servent. *Tertius* est ex Opere de Visitatione infirmorum, de quo etsi Bellarminus agnovit, *videri illud falsò tribui Augustino*, existimavit tamen, *negari non posse, antiquum & bonum librum esse.* Alii addunt *quartum* ex Tractatu de rectitudine conversationis Catholicæ, ubi sequentia leguntur: *Quoties aliqua infirmitas occurrerit alicui, non quærantur Præcantatores, non divini, non sortilegi, non carcarii*, (alii legunt, caragii,) *neque per fontes aut arbores, aut bivia phylacteria exerceantur; sed cùm* (alii legunt, qui) *ægrotat, in solâ DEI Misericordia confidat, & Eucharistiam cum fide & devotione accipiat, oleumq; benedictum fideliter ab Ecclesiâ petat, unde corpus suum ungatur, & secundum Apostolum oratio Fidei salvabit infirmum, & alleviabit eum Dominus, non* (fortè legendum, neque) *solùm corporis, sed & Animæ sanitatem accipiet.* Ad singula ut aliquid dicatur, initium ab Innocentio Pontifice per Augustinum commendato est faciendum, cujus verba à Bellarmino prætermissa in gratiam Lectoris huc adponi debent, nimirum sequentia: *Quoniam de hoc consulere voluit Dilectio tua, adjecit etiam Filius meus Cœlestinus Diaconus, in Epistola sua, esse à Dilectione tuâ positum illud, quod in Beati Apostoli Jacobi Epistola conscriptum est*, Infirmatur quis in vobis, &c. *quod non est dubium, de fidelibus ægrotantibus accipi vel intelligi debere, qui sancto Chrismatis oleo perungi possunt, quo ab Episcopo confecto non solùm Sacerdotibus, sed omnibus Christianis uti licet in suâ aut suorum necessitate in ungendo* (aliàs legitur, ad ungendum.) *Cæterùm illud superfluum videmus adjectum, ut de Episcopo ambigatur, quod Presbyteris licere non dubium est. Nam idcircò de Presbyteris dictum est, quia Episcopi occupationibus aliis impediti ad omnes languidos ire non possunt.* Cæterùm *si Episcopus aut potest aut dignum dutit aliquem à se visitandum, & benedicere & tangere Chrismate sine cunctatione potest, cujus est ipsum Chrisma conficere; nam pœnitentibus istud infundi non potest, quia genus est Sacramenti. Nam quibus reliqua negantur Sacramenta, quomodò unum genus putatur posse concedi?* Hæc Innocentius, quæ Bellarminum verbotenus non expressisse alia non videtur causa, quam quod iis non usque adeò existimari debeat confisus fuisse, utut aliàs hoc testimonium Lectori insigniter commendarit, quasi id solùm sufficere possit ad demonstrandum Extremæ Unctionis, prout hodiè in Romanensi Ecclesia est in usu, Sacramentum. Ut autem, quid de eo sit habendum, Lector paucis cognoscat, non prolixus ero in recensendis iis, quæ non planè nullos Eruditorum antehac moverunt, quo minus Epistolam hanc ab Innocentio Pontifice, ab Augustino tam mirificè commendato, profectam crederent, à *Dallæo* in hujus argumenti opere ex aliorum quamvis Sententia recensitis, momenti certè non minoris, neque pro planè nihilo habendis, atque hinc accuratiori trutinâ non indignis; sed potius in brevem summam ex Eo contraham, quod inservire poterit ad docendum Lectorem, etiamsi indubitatò essent Innocentiana, ad extremam, ut hodiè dicitur, Unctionem non pertinere. Uberius quidem illud constaret, si vel ipsius *Decentii*, vel Cœlestini Epistolæ ad Innocentium super adhuc essent. Verùm quia nullibi eæ comparent, ex Innocentii Responso non ita difficulter divinari potest, quod earum fuerit argumentum. Nimirum, ut antehàc circa Examen Sacramenti Confirmationis fuit observatum, inter cæteras Baptismales ceremonias fuisse etiam primis post Apostolorum tempora Seculis aliquam baptizatorum unctionem; ita ex sequenti etiam Controversia de Sacramento ordinis patebit, in Consecratione etiam Sacerdotali adhibitam fuisse illis temporibus unctionem aliquam, & hinc semper in Ecclesiis fuisse aliquod Chrisma adservatum, quo probabile videtur usos fuisse quosdam in unctione ægrotorum, tale quid juxta Oraculum Jacobi desiderantium, ubi nondum omninò cessasse donum miraculosæ Sanationis quibusdam videtur. An id ritè & ad mentem Apostoli fiat, dubitare non sine causa potuit *Decentius*, Episcopi munere fungens, de eo nec immeritò sollicitus, ne quid præter officii

Epist. 1. ad Decent. cap. 8.

cap. V.

v. Voss. de vit. Serm. l. III. c. III. p. m. 386.

l. II. c. 9.

officii debitum faceret, Innocentio Pontifice in consilium per literas adhibito; qui eum in modum respondit, ut Unctioni Pontificiæ nullum inde accedat commodum. Loquitur enim de ægrotantibus in genere, non in specie de lethaliter ægrotantibus aut proximè morituris, deque eâ unctione, ob quam ad omnes languidos Episcopi aliis occupationibus impediti ire non potuerant; de eâ etiam unctione, quam pœnitentibus, videlicet Pœnitentiæ præscripto tempore nondum finito dare prohibuit, utpotè quibus reliqua etiam Sacramenta fuerant ordinariè denegata, non item, ubi in periculo Mortis versabantur, quo necessitatis articulo neque Sacramentum Baptismi, neque Sacramentum Eucharistiæ fuit denegatum. Probabile hoc videtur *Arcudio*, qui dum demonstrare conatur, *Oleum infirmorum extra Sacramentum re ipsâ aliquando collatum fuisse*, hoc ipso Innocentii testimonio utitur, quo Eum insuper docere ait, *Oleo Sancto ab Episcopo benedicto posse uti non solùm Sacerdotes, sed omnes etiam Christianos in suis ac suorum necessitatibus.* Addit, *ex quibus verbis colligimus, in quacunque necessitate adhiberi posse, non solùm in desperatâ Sanitatis salute; tunc enim esset Sacramentum, & Laicus non posset uti, cum nullum sit Sacramentum, quod non requirat essentialiter Ministrum Sacerdotem, exceptis Baptismo* ob ejus summam necessitatem, *& Matrimonio*, quod in contractu mutuo nubentium consistit. *Cum ergò Laicus uti possit, intelligitur de usu olei sancti extra Sacramentum in quacunque necessitate ad curandos quoscunque morbos, ut optimè explicat Dominicus à soto. Et licet Jansenius aliter Innocentium interpretetur, Ejusque opinio sit valdè* (sed non omninò) *probabilis, scilicet Innocentium loqui passivè, non activè, quod* (nimirum) *omnibus liceat uti, hoc est, tale oleum recipere in suis suorumque necessitatibus, vocando Sacerdotes; tamen cùm multi Sancti & Sanctæ usi fuerint activè hujusmodi oleo infirmorum, non video, cur non aptius de administrantibus, quàm solis suscipientibus intelligatur Innocentius.* Exemplis, quæ *Arcudius* ad hujus rei probationem collegit, addunt quidam, quod in Opere Augustini de Civitate DEI inter alia legitur de Hipponense quâdam Virgine, *quæ, cùm se oleo perunxisset, cui pro illâ orans Presbyter suas instillaverat lacrymas, mox à Dæmone fuerit sanata.* Verùm quia hoc Exemplum videtur non ineptè referri posse ad ea, de quibus suprà non semel ex *Ludovico Vive* fuit observatum, *multa velut declarandi*, si non obscurandi, *gratiâ fuisse addita ab iis, qui omnia magnorum Authorum Scripta spurcis manibus suis contaminabant*, ideò liberum esto Lectori de eo judicium, qui præterea de eo etiam adhuc monendus est, Innocentium talibus in hoc responso uti verbis, qualibus vix uti potuisset, si de Sacramento propriè sic dicto egisset. Dicit nimirum de ægrotantibus, quod sancto Chrismatis oleo perungi *possint*, & quod eo omnibus Christianis in suâ & suorum necessitate uti *liceat*. Atqui non ita scripsisset, si de Sacramento Divinitùs instituto fuisset sermo, ubi non de re liberi alicujus arbitrii, sed officii & debiti agitur, adeòque non quid possit fieri, quid liceat agere, quæritur, sed quod ex Institutionis tenore tanquam res necessaria observatur. Nec Bellarminum juvat, quod Innocentius hanc Chrismationem dixit esse *genus Sacramenti*, ac inter reliqua recensuit Sacramenta; cùm antea de numero Sacramentorum agentes observaverimus, antiquis Ecclesiæ Scriptoribus plura hoc nomine & Elogio fuisse celebrata, quæ rectius hodiè dicuntur *Sacramentalia*, nisi numerum Sacramentorum facere velimus innumerum, ac entia præter necessitatem multiplicare. Et quidem hoc responsi genus hic etiam habere locum posse, vel etiam debere, manifestum est, si attendatur, Innocentium in hâc eadem Epistola *fermentum* Sacramentis adnumerasse, non quod Sacramentum propriè dictum sit aut dici debeat, sed *quod sit Sacrarei, Catholicæ unitatis unionis, Signum, Benedictione Sacerdotali consignatum*, quam Severini Binii explicationem ad hæc Innocentii verba commodissimè laudavit *Dallæus*, hoc testimonium singulari cum industria expendens, & ita quidem, ut ad spicilegium nihil omninò videatur relictum, dignus, qui hic pro Specimine impertinentium Bellarmini allegationum cum studio evolvatur, & cum attentione legatur. Id nunc ex abundanti tantum addo, quod ad Augustini præprimis pertinet authoritatem, cujus causa ob Bellarmini provocationem de hoc Innocentii testimonio hactenus est actum, nihil etiam ad rem facere, ut ex eo ad extremæ Unctionis Sacramentum liceat argumentari, quod nullus ex antiquis Ecclesiæ Doctoribus, adeòque nec Augustinus, reprehenderit Innocentium, *quod unctionem infirmorum docuerit esse Sacramentum.* Quid enim; an Innocentius hanc scribens Epistolam pronuntiavit ex Cathedra? an, quod scripsit requisitus ad *Decentium*, Episcopum in Umbriâ Italiæ Provinciâ Eugubinum, ad omnes pertinere voluit in universo terrarum Orbe Episcopos? an præscripsit regulam omni in futurum tempore quasi ex dictamine Apostolico observandam?

de Conc. Eccles. Occid. & Orient. p. 390.

l. 2 c. 8.

l. cit. pag. 103.

vandam? Certè si hoc voluisset Innocentius, alio opus fuisset stylo, aliâ ratione *Decentio* rescribere debuisset. Sed non ea mens fuit Pontifici, quam ei adfingit Bellarminus, neque etiam esse potuit, si illius, quo vixit, temporis rationem ex debito consideremus. Privatas nimirùm scripsit literas ad Episcopum non adeò procul à se viventem, sibique tanquam Urbis Romanæ, non autem Orbis universi Episcopo cum aliis pluribus subjectum, non eum in finem, ut doceret, quid in administratione Sacramenti Unctionis extremæ fieri vellet, (*Decentius* enim Episcopus, si hoc Sacramentum Ecclesiâ jam tum habuit, scire debuit omninò, quid Episcopale munus à se requireret, & quid facto opus esset,) sed quid ad desiderium hujus vel illius ægroti posset fieri & facere liceret, nullo ad alios mandato, nullo cum cujuscunq; præjudicio, nullâ etiam in futurum tempus præscriptione, quam non omisisset Innocentius, si id hoc Epistolio intendisset, adque stylum hodiernæ Romanensis Curiæ illud exaratsset, omnes in universum eo volens obligare. Et hinc, quia hæ Innocentii literæ vix Umbriâ, vel si multum concedamus, Italia, imò si plus debito liberales esse velimus, Occidente exiverunt, sed, quod credere par est, intra limites debitos permanserunt, adeoq; non ita in multorum manus venerunt; non adeò certum omninòque indubium est, eas Augustino & aliis aliarum Regionum & locorum Episcopis cognitas fuisse & lectas. Neque etiam, si visæ fuerunt, necessum erat, ut apertè se iis opponerent, ac earum Authorem reprehenderent in publico, quia res hæc nihil ad eos pertinere videbatur, quæ non-nisi ad aliquam particularem Ecclesiam, & quidem loco Consilii alicujus privati fuerat perscripta. Quid si verò vel Augustinus, vel alii illius temporis Episcopi hunc morem ungendi ægrotos non reprehenderint quidem, at nec adprobaverint etiam? Illud pro se adducit Bellarminus, hoc contra illum urgere possunt Evangelici. Quamvis enim laudata ex Augustino inprimis testimonia loco alicujus adprobationis videri possent inservire, sequens tamen earum Examen aliud planè ostendet.

Primum certè perpauci usus est ad hoc demonstrandum, quidquid etiam Bellarmino videatur. Dicit quidem, esse illud ex eo desumtum libro, nimirum *Speculo*, quod tertio Ejus operum Tomo legitur insertum, in quo ex tota Scriptura eas tantùm Sententias exponens, *quæ nobis omni tempore deserviant*, adscripserit etiam Jacobi Sententiam. Sit ita, quid indè? Anne sequitur, Doctorem Sanctum commendando verba Jacobi de unctione infirmorum precibus addita, confirmasse Sacramentum extremæ Unctionis, suo tempore in Ecclesia ignotum, quia nullibi nec ab ipsomet Augustino, nec ab alio Doctore coætaneo traditum? Verùm inseruit huic etiam *Speculo* Pater augustissimus verba Pauli de Dono linguarum, Prophetiæ, Fidei miraculosæ; sequiturne ergò, Eum hæc dona olim extraordinaria suo etiam tempori tanquam ordinaria adscripsisse, ac ea sibi etiam adtribuisse? Absurdissimus sit omnium, qui tam ineptè argumentari velit. *Præterea* non paucas in eodem *Speculo* ex libris Exodi & Levitici habet Leges Augustinus, ad quas tamen in Novo Fœdere Christianos non obligatos esse certum est, nisi quatenus ex Jure naturali deducuntur; & Judaismum reintroducere videri posset, qui ob id, quod Sanctus Pater aliquam earum in *Speculo* fecit mentionem, eas hodienùm ad Christianos pertinere vellet evincere. Neque tamen hæc inutiliter vel in ipsis Scripturis Sacris, vel in aliis doctorum Ecclesiæ tractatibus proponuntur & explicantur; nimirum ut partim Oeconomia Veteris Testamenti, partim Ratio Status Novi exindè cognoscatur, & illius quidem respectu DEO grates debitas dicamus, quod nos Christianos à jugo Legis Mosaicæ, quatenus solos Israelitas ea sibi habuit subjectos, satis gravi & oneroso, per Filium omni in universum Legi, & debito ex ejus transgressione profecto satis ex aisse facientem gratiosè liberârit; hujus autem ter & quater, imò amplius nosmetipsos prædicemus beatos, utpote ad eam Christi Mediatoris unici cognitionem salvificam ex Evangelii gratiosa revelatione perductos, quæ tot tantisq; Miraculis per universum Orbem numero ferè innumero factis ad multorum millium æternam Beatitudinem fuit confirmata & obsignata. *Accedit*, quod prætermittendum non est, alia in his Jacobi verbis ab Augustino citatis esse, quæ ad observationem commendare potuit Doctor augustus, videlicet, quæ de precum efficaciâ & benignâ peccatorum remissione ibi Apostolus habet, extra omne dubium ad omnes & singulos pertinentia. Et quia, ut dixi, Augustinus hæc Jacobi verba nudè tantum recensuit, nulla eorum adplicatione factâ ad præsentem illius temporis in Ecclesia statum, non-nisi absurdissime Bellarminus hanc citationem ad Extremæ Unctionis Sacramentum, illo tempore, ut jam monui, ignotum traxit, non tracturus, si rem accuratius perpendisset.

1. Cor. 12.

Jam

Jam quod cætera attinet testimonia, certum est, ea Augustinum non agnoscere Parentem.

Et quidem ordine *secundum*, ex numero Sermonum de Tempore desumtum, de quibus ipse Bellarminus non usque adeò est certus, cometipso posset esse suspectum, si quid de Extremæ Unctionis Sacramento exhiberet. Sed NIHIL IN EO HABERI ILLUC PERTINENS, verborum, ad quæ Bellarminus respexit, tenor ostendet, qui sic habet: *Quoties aliqua Infirmitas supervenerit, corpus & sanguinem Christi ille accipiat, qui ægrotat, & indè corpusculum suum ungat, ut illud, quod scriptum est, impleatur in eo,* Infirmatur aliquis, &c. *Videte, Fratres, quia qui in Infirmitate ad Ecclesiam cucurrerit, & corporis Sanitatem recipere, & peccatorum indulgentiam merebitur obtinere. Cum ergò duplicia bona possunt in Ecclesia inveniri, quare per Præcantatores, per fontes, & arbores, & Diabolica phylacteria, per Characteres & Aruspices, & Divinos vel Sortilegos multiplicia sibi mala miseri homines conantur inferre?* Nemo non videt, per omnia ferè similem esse hunc locum cum eo, quem suprà *quartum* ex tractatu de *Rectitudine Conversationis Catholicæ* stitimus, proximo itidem Examini submittendum. At, quid quæso iterum ex hoc testimonio ad Extremæ Unctionis Sacramentum? Nihil omninò. Monet quidem in eo Augustinus, vel quicunque Author est hujus Sermonis, *ut, qui ægrotant, Jacobi præceptum servent.* Sed, num hoc est Extremæ Unctionis Sacramentum commendare? Probandum erat prius, Jacobum ibi de hoc Sacramento agere. Verùm neq; Jacobus de eo locutus est, neq; hujus Sermonis Augustini nomen præ se ferentis Author ullam ejus fecit mentionem. Imò si utriusque verba attenti consideremus, de aliâ unctione, quam extrema hac ibi sermonem esse, fiet omni ex parte manifestum. De Jacobi verborum sensu mens *Cajetani* contra Extremæ Unctionis Sacramentum in *Vindiciis Antiottonianis* est defensa. Authorem verò hujus Sermonis ad eam non respexisse, patet indè, quia non de lethaliter tantùm decumbentibus & morti vicinis, sed de quibusvis & quovis tempore ægrotantibus loquitur, scribens, *Quoties aliqua Infirmitas supervenerit, &c.* De tali videlicet infirmitate, quæ non impediat malè habentem, quò minus ad Ecclesiam currere possit, ibique à Sacerdotibus aliquid de Chrismate, ad baptizandos non solum, sed etiam ad Ecclesiæ Ministerium consecrandos adhiberi solito accipere. De tali etiam unctione, quæ non necessariò ab Episcopo aut alio Sacerdote fieri debebat, sed ab ipso etiam patiente perfici poterat. Etsi enim fortè hic locum habere posset, quod vulgò solet communi sermone in usu esse, quod quis facit per alium, ipsum dici feciſſe; exempla tamen, quæ suprà *Arcudium* dixi collegisse, de suimet corporis & propria unctione extra Sacram. videntur evincere, antehac eam non adeò inusitatam fuisse. Estq; insuper notandum, loqui hujus Sermonis Authorem de eâ ægrotorum unctione, quam voluit oppositam unctioni & chrismati, quod homines tum pagani adhùc, variarum artium superstitiosarum nundinatores, quos variis describit nominibus, promiscuè ægrotis, non agonizantibus solum commendare solebant, à cujus usu ut abstraheret, qui Idololatricæ gentilitati dudum vale, Christo autem Salve dixerunt, Ecclesiasticum eis Chrisma in locum ejus commendat, pro more nimirum illius Seculi, ex quo Extremæ Unctionis Sacramentum non nisi impertinentissimè derivatur, nulla videlicet intercedente inter utrumq; idoneâ similitudine, quæ aliquem hic obtinere posset locum, Sacramento peculiari per Jacobum commendato & adhuc durabili conveniente, id quod tamen omninò hic requiritur.

Tertium nunc sequitur ex Augustino testimonium, ex tali libro desumtum, quem ipse Bellarm. *falsò videri Augustino tribui* ultrò agnoscit, utut negari non posse existimet, *antiquum esse eum & bonum.* De antiquitate non est, ut quidquam dicatur, cùm ab utraq; parte sit indubium, non pauca esse Scripta etiam antiqua, quæ nullũ planè veniunt in censum, nulloq; æstimantur pretio. Ergò de bonitate ejus superest, ut breviter videamus. Unum verò sufficiet specimen, ex quo de cæteris judicium formari poterit. Talem igitur inter

L. II. c. 8. alia casum Scriptor Operis de Visitatione infirmorum exhibet: *Audivit quidam ex minus eruditis Sacerdotibus confessionem tuam, videt infirmitatem tuam, nescit tamen res hujusmodi lance æquâ pensare; ignorat, quia velox Medicina subitaneis Infirmitatibus vel in extremo positis sit necessaria, respondet ægroto, Frater, si super vixeris, ita jejuna, ita fac Eleemosynã, ita ora. Hæc tamen omnia benè dixit, sed errorem impium animad verte. Si autem ex hac infirmitate morieris, ne Anima tua DEO videatur impœnitens, per obedientiam injungo tibi quatenus Anima tua vel totam Septimanam, vel integrum Annum, vel tantum temporis patiendo pœnam, quam meruisti, in Pœnitentiâ post mortem tuam sit.* Examina hæc Lector ad analogiam Fidei, quam Augustinus in genuinis Tractatibus suis proposuit, & judica, an bonitatem

tatem Augustinianam in se contineant? Sed & ipsa verba, ad quæ Bellarminus hic respectum habuit, id non probant, quod probare debebant. Ea sunt sequentia: *Non prætermittendum est illud Apostoli præceptum,* Infirmatur quis in vobis, &c. *Ergò sic roges de te, & pro te fieri, sicut dixit Apostolus, imò per Apostolum Dominus. Ipsa videlicet olei sacrati delibutio intelligitur Spiritus Sancti typicalis unctio.* Verùm neque hic Scriptor expressit, quale illud sit oleum, num aliud ab eo, quod in unctione baptizatorum, & ad Ministerium Ecclesiæ consecratorum antehàc adhiberi fuit solitum? Neque etiam indicavit, an hæc unctio ab Episcopo, an ab alio quodam Sacerdote vel Presbytero, vel etiam aliquo homine Laico fieri debeat, & quam suprà ex *Arcudio* observavimus Distinctionem, Sacramentalis, an extra Sacramentalis ea fuerit? Certè si & hic ipsam Jacobi, & hujus quoque Interpretis mentem indagemus, hanc potius utrumque, quàm illam respexisse constabit, pro quâ tamen Bellarminus pugnat, in vanum quamvis; qui dum in probatione hujus Sacramenti *quartum* omisit testimonium, ex libro *de rectitudine conversationis Catholicæ* desumtum, ab aliis in argumenti hujus tractatione laudatum, benè fecit, meliùs tamen facturus, si & ab antecedentium, utpote huic Instituto parùm aut planè nihil inservientium commendatione abstinuisset. cap. 4.

Ut autem de hoc etiam testimonio aliquid dicatur, quia aliis eo tanquam Augustini in hac Quæstione uti placuit, de eo in antecessum jam monui, simile illud ferè per omnia esse ei, quod Bellarminus *primo* statim loco adduxit, ex Sermone quodam de Tempore, ex ipsius Bellarmini judicio non indubitato, id quod etiam de Tractatu, ex quo ultimum hoc laudatur testimonium, dici potest & debet. Ostendit enim laudatus ante *Dallæus*, verbis *Sirmondi*, esse eum ex veterum Exemplarium consensu *Eligii*, Noviomensis Episcopi, teste etiam *Audæno*, Rothomag. Præposito, Vitæ *Eligii* Scriptore, cujus etiam Bellarminus in recensione Scriptorum Ecclesiæ meminit. *Præter* ea autem, quæ ad primum ex Sermone de Tempore testimonium sunt dicta, hic insuper ad eorum confirmationem notetur, quod idem *Dallæus* contra *Esthium* observavit, ex eo constare, *licuisse ægroto antehàc semet ipsum oleo inungere*, id quod *Arcudium* quoque ex *Innocentii* testimonio demonstrasse vidimus. Etsi enim Author hujus Libri in passiva significatione hanc unctionem ægrotorum descripsisse videatur, dum communiter hodiè legimus, ut, *qui ægrotat, oleum benedictum fideliter ab Ecclesiâ petat, undè corpus suum ungatur*; testatur tamen *Dallæus* Thomam *Waldensem*, Scriptorem suo tempore, id est, proximo ante Reformationem Evangelicam Seculo celeberrimum & singulari Elogio ab ipsomet Bellarmino & aliis commendatum, legisse hæc verba in significatione activa, *ut corpus suum ungat*, qua etiam in Sermone illo de Tempore extant, ex quo *primum* Bellarminus laudavit ordine testimonium. *Accedit*, quod idem *Dallæus* ibidem monuit, requirere hanc Lectionem in significatione non passiva, *ungatur*, sed activa, *ungat*, Sermonis latini rationem, qua puriori *Eligius* uti soleat, cùm non planè nullum sapiat barbarismum, ad sequentia rejiciendum Secula, si legatur passivè, *ut corpus suum*, quod legi deberet, *ejus ungatur*, nisi active scriptum defendatur, ad quem, ut dixi, modum locus ex Sermone de Tempore parallelus, & quod videtur, hinc transcriptus exhibet, ut pro uno fere & eodem non sine causa debeat haberi. Et nunc vides, optime Lector, nihil vel ex ipso Augustino, Ejusve Scriptis indubitatis, vel ex iis etiam, quæ Sancto Patri perperàm adscribuntur, posse commendari, quod ad confirmationem Sacramenti extremæ Unctionis faciat. Imò si genuina augustissimi Doctoris Scripta cum aliquo evolvamus studio, non plane nulla occurrent, quibus manifestè satis poterit doceri, ignotum fuisse illo tempore in Ecclesia hoc Sacramentum. Non præter rem erit, si uno & altero Specimine id ostendatur; ne frustrà vel in speciem hoc dictum videri possit. Lucit. pag. 108. conf. ibid. p. 113. & 115. de usu Patrum. L. I. cap. 4 p. m. 89.

Primum desumi poterit ex libro de *Hæresibus*, in quarum recensione meminit quorundam *Heracleonitarum*, ab Heracleone quodam, *Valentiniani* Dogmatis defensore & discipulo denominatorum, sequentia de iis narrans: *Feruntur morientes suos novo quasi modo redimere*, id est, *per oleum, Balsamum & Aquam, & Invocationes, quas Ebraicis dicunt verbis super capita eorum.* Non ex jure talionis hic prolixius agam, ostensurus, potiori jure Romanenses, quàm Evangelicos accusari, quod non pauca ab hæreticis dogmata sumserint mutuò, utpote quod ex præsenti documento est satis clarum, ac alibi plenis docetur Comentariis. Hoc tantum ex Instituti ratione paucis moneo, si extremæ Unctionis Sacramentum Ecclesia tum jam habuisset, Augustinus vix ac ne vix quidé continere se potuisset, quin hujus unctionis hæreticorum ab unctione Ecclesiastica differentiam cap. 16. Vid. D. Dannh. Christ. Act. 1. pag. 519.

tiam exposuisset, ne Simpliciores & rerum inexperti putarent, in Ecclesia unctionem morientium fieri ad imitationem hæreticorum, id est, ab iis Ecclesiam accepisse. Quia verò Augustinus hanc rem omnimodo involvit silentio, & ne verbulo quidem ejus facit mentionem, credere non impar est, non agnovisse tunc Ecclesiam tale aliquod Unctionis extremæ Sacramentum. *Secundum* non agnitæ Augustini tempore unctionis extremæ documentum esto, quod Augustinus in *Confessionum* libris amplissimè & cum pluribus circumstantiis describens mortem *Monicæ*, Matris dilectissimæ, antecedentemque morbum Mortis proximæ instantis nuntium & prodromum, recensendo & ab illa & cum illa, etiam à se dicta & facta, nullam planè fecerit mentionem illius extremæ unctionis, eam non prætermissurus, si tùm in usu, ac Matri adplicata fuisset. Accedit, quod in describendo Augustini ipsius morbo lethali *Possidius* varia memorans, quæ notatu non indigna fuerunt visa, de unctionis extremæ Sacramento nihil quoque habeat; omninò illud narraturus, si Augustinus eo sibi ex Instituto ejus, cujus solius est, Sacramenta instituere, opus esse judicasset. Estque hic non prætermittendum, quod laudatus vitæ Augustini Scriptor ibi tanquam rem non negligendam recenset, verbis sequentibus: *Scio, ad ægrotantem & lecto jacentem Augustinum, quendam cum suo veniisse ægroto, & rogavisse, ut eidem imponeret manum, ut sanus esse posset. Eumque*, scilicet Augustinum, *Respondisse, si aliquid in his posset, sibi hoc utique primitùs præstitisset. Illumque*, id est, ægroti amicum, *dixisse, visitatum se fuisse, sibique per somnium esse dictum, vade ad Augustinum, ut eidem imponat manum, & salvus erit. Quod cum comperisset Augustinus, facere non distulit, illumque infirmum continuò Dominus sanum ab Eodem discedere fecit.* Si illo adhuc tempore unctio ægrotorum miraculosa, nimirum conjuncta cum sanatione, de quâ Jacobus agit, & quam cum unctionis extremæ Sacramento eandem esse volunt Papæi doctores, viguisset in Ecclesia, adeòque Episcopi hoc miraculosæ sanationis dono fuissent præditi, Augustino tergiversari, & manuum impositionem, ceremoniam huic unctioni non improbabiliter adjunctam, ægrotanti denegare licitum non fuisset, aliàs promto satis, & semper paratissimo ad expedienda officii Episcopalis munera.

L. 9. c. 10.

cap. 29. & seqq.

Inter id temporis, ex quo hæc contra Bellarminum sunt scripta, *Launojus*, Sorbonista Parisiensis, satis prolixum edidit Librum de *sacramento unctionis infirmorum*, in cujus primo statim capite, inter cætera Antiquitatis documenta, præter locum è Sermone post ducentesimum & decimum quinto de Tempore, quem Bellarminus etiam objecit, sed, uti Examen ostendit, frustrà & in vanum, provocavit quoque ad testimonium *Possidii*, in libro de Vitâ Augustini hæc scribentis: *In visitationibus modum tenebat ab Apostolo definitum, ut non, nisi pupillos & viduas in tribulationibus constitutas visitaret; & si forte ab ægrotantibus ob hoc peteretur, ut pro eis in præsenti DEUM rogaret, eisq; manus imponeret, sine mora pergebat.* Launojus hanc subjungit Glossam, *His verbis respectum habet ad duo, ad Marci Evangelium, ubi ægrotis manus imponunt Apostoli; & ad Epistolam Jacobi, in quâ pro infirmis oratur. Et quamvis Author omittat unctionem, Augustinus tamen non omittebat eam, quoniam quod ægrotis impendebat officium, ad Apostolorum exemplum & Iacobi præscriptum impendebat.* Hæc Sorbonista, ut confirmet, Augustinum suo tempore hunc unctionis ritum Sacramentalem suo etiam Exemplo confirmasse. Sed miror, Disputatorem hunc aliàs & alibi accuratissimum, Veritatisque Historicæ in non paucis quam maximè strenuum indagatorem, hæc Scriptoris Augustiniani verba non ita ponderasse, uti causæ præsentis ratio videbatur requirere. Ut enim non urgeam prolixe, etsi omnia se haberent rite, prout non Textus quidem, sed tantùm Glossa perhibet, non tamen inde ratio *Sacramentalis* posset confici; id præsertim venit attendendum, quod *Possidius* in describendo hoc Augustini Ministerio ad duplex Præceptum Jacobi respexerit, quorum prius in primo, posterius in ultimo capite Epistolæ ab Ipso scriptæ legitur, Augustino utrumq; in visitationibus pro diversa ratione personarum observante. De suo autem addit *Launojus*, quod non obstante Silentio *Possidii*, nihilo tamen minus credendum sit, Augustinum hoc etiam unctionis ritu ad Apostolorum exemplum, & Jacobi præscriptum esse usum; quod tam diu dubium, hocque testimonium inter *argumenti negantis* exempla, quæ peculiari Tractatu satis copiosè collegit, & contra Antagonistam defendit *Launojus*, manet suumque occupat locum, quamdiu sufficiens ratio non potest indicari, cur *Possidius* Vitæ Augustini Scriptor laudatus precum, & impositionis manuum faciens mentionem omiserit *unctionem*, quæ tamen plerisque potissima pars hujus Sacramenti videtur, & in quâ *formalis* ratio ejusdem sita, vel apertior ex Augustino locus proferatur, unde possit constare, Sanct. Doctorem

hoc

hoc unctionis ritu usum, eundemq; aliis etiam commendasse. Cæterùm grati accipiunt Evangelici, quæcunque Scriptor hic Sorbonicus in Tractatu hoc de *vario*, uti ipsemet sub initium Dedicationis agnoscit, Unctionis ordine, per posteriora præsertim Secula, studiosè ex Authoribus non semper obviis in ordinem redegit, utpotè quorum accuratior consideratio hanc rem totam non parùm facere potest suspectam, quasi humanâ solum authoritate nitatur, non autem Divinâ, utpote tot mutationibus & additionibus obnoxiam. Nostris etiam inservit usibus, quod peculiare observatione stitit Lectori, *Disciplinam ungendorum infirmorum primis Ecclesiæ seculis infrequentiorem fuisse, quam posterioribus.* Quamvis enim videatur causas satis prægnantes in medium producere, ob quas hic unctionis ritus sit omissus, triplici nimirum respectu, *& pœnitentium, & Martyrum, & Sanctorum*, quorum numero fortè etiam Augustinus veniret adnumerandus, non pauca tamen obstant, quæ insufficientiam harum causarum possunt evincere. Si enim Ecclesia potuit ordinem observare in disciplina eorum, qui peccatis enormibus Scandalum infirmis præbebant, præscriptum videlicet ab ipsomet Christo, & ab Apostolis observatum; quidni potuerit etiam observare ordinem *unctionis* ægrotorum & morientium, si modò certa fuit, eum quoque à Christo mandatum, Exemplisque Apostolorum ad imitationem fuisse confirmatum. Præter id, quamvis numerus ferè fuerit innumerus *Martyrum*, qui Professionem Fidei inter gravissimos etiam cruciatus & tormenta varii generis & speciei, Sanguinis effusione & Morte tandem constantissimè & fortiter subitâ obsignarunt, constat tamen è Documentis fide dignis, cæteros fideles, quos Deus tanquam Semen sanctum, itidem numero non plane nullo, sed grassantibus adhuc Persecutionibus semper augmenta capiente super esse voluit, ne Christo Regi ad dextram Patris sedenti, & in medio hostium dominanti deessent subditi, Nomen Ejus Sanctum adorantes, etsi à publicis cœtibus prohibitos, in privatis tamen, occultis & *subterraneis* congregationibus, quarum vestigia Romani hodienum ostendunt & ostentant, nihil eorum intermisisse, quæ ad cultum DEO debitum, charitatemque proximo exhibendam videbantur necessaria, neque permissuros, ut morituri quam maxime auxilium & solatium expectantes, quidquam ad Artem bene beateque moriendi pertinens jure possent desiderare aut se à Fidei consortibus in hoc ultimo Necessitudinis articulo desertos conqueri. Quæ de *Sanctis* adduntur, falsâ nituntur hypothesi, quasi sint in hac mortali vita homines, qui *Pœnitentia*, atque sic etiam remissione peccatorum non indigeant. Augustinus certe tam procul remotus fuit ab hac opinione, ut idem *Possidius* testetur, Eum inter Colloquia familiaria dicere consuevisse, *post Baptismum receptum etiam laudatos Sacerdotes & Christianos absque digna, & competenti Pœnitentia exire de corpore non debere*, Ipsumque id fecisse ultima, qua defunctus est, ægritudine, *jussisse enim sibi Psalmos, qui sunt de Pœnitentia scribi, ipsosque quaterniones jacentem in lecto contra parietem positos diebus infirmitatis suæ intuitum legisse, & jugiter ac ubertim flevisse.* Hæc contra Launojum, è quo plura ad hoc argumentum bono cum DEO aliàs.

De *Ordinis Sacramento:*

CAPUT TERTIUM, QUINTUM, NONUM ET DECIMUM.

Quatuor inprimis Quæstiones controversas ventilat hic Bellarminus, adducta præsertim Augustini authoritate, quæ tamen ita inter se connectuntur, ut simul & semel possint, & breviter quidem tractari, totaque res paucis quibusdam observationibus expediri. De prima Quæstione, *an ordinatio sit Sacramentum*, hæc ad Institutum præsens habet Bellarminus: *Augustinus probat contra Donatistas*, Sacramentum ordinis semel habitum amitti non posse, quia Baptismus semel acceptus amitti non potest, scribens: *Explicent, quomodo Sacramentum baptizati non possit amitti, & Sacramentum ordinati possit amitti? Si enim utrumque Sacramentum est, quod nemo dubitat, cur illud non amittitur, & hoc amittitur? Neutri Sacramento injuria est facienda.* Similia habet alibi, *inquit Bellarminus*, addens, in his locis esse quædam observanda. *Primò*, ordinationem ab Augustino vocari Sacram. in duobus capitulis forte decies, contra mendaciũ *Lutheri*, in libro de *Captivitate Babylonica* adserentis, solum ex antiquis Authoribus Dionysium citari posse pro ordinis Sacramento. *Secundò*, Augustinum conferre ordinationem cum Baptismo, atque apertissime dicere, eodem modo utrumque Sacramentum

L. II. contra Parm. cap. 13.

Lib. 1. de Bapt. c. 13.

esse. *Tertiò*, eundem Augustinum adserere, neminem esse, qui dubitet de hâc veritate, quod est contra alterum Lutheri mendacium, docentis, recentem esse Sacramentorũ, & hinc etiam ordinis, quoad nomen Sacramenti inventionem. Et præterea, *subjungit Bellarminus*, est hic locus instar plurium. Si enim Augustinus non mentitur, omnes ejus temporis Authores, imò etiam omnes populi id credebant, quod nos modò credimus. Pòst tria adhuc alia Augustini loca citat Bellarminus quasi huc pertinentia, cum iterată provocatione ad primum ex Eo testimonium, docente ibidem, *per hoc Sacramentum dari Sp. Sanctum*, ex quo etiam colligitur, inquit Bellarminus, *eam Ceremoniam Sacramentum esse propriè dictum*. Ad secundæ Quæstionis, in quâ Ordinationem in specie Episcopalem esse Sacramentum, contra veteres quosdam & recentiores Scholasticos demonstrare nititur, confirmationem, præter aliorum Patrum, laudata etiam Augustini testimonia conducere existimat Bellarminus, utpote de solis intelligenda Episcopis, *quia Veteres nomine Sacerdotis absolutè intellexerint Episcopum*. In tertiæ Quæstionis tractatione, circa formam hujus Sacramenti, quam dicit esse *verba*, quæ dicantur, *dum signum sensibile*, quod pro materiâ hujus Sacramenti habet, (& duplex statuit, videlicet impositionem manuum & porrectionem instrumentorum, patinæ nimirùm & calicis in Presbyteratu, & libri Evangeliorum in Diaconatu,) *exhibetur*, Augustini iterum authoritate uritur, post Ambrosium & Hieronymum *verba* apertè requirentis. *Quarta* superest Quæstio de effectu hujus Sacramenti, potestate nimirum spirituali eâque perpetua, id est, impresso & hinc indelebili *charactere*, quem ut ex Augustino ostendat, sequentia duo Ejus testimonia producit. Prius ita habet: *Utrumq; Sacramentum est, & quâdam consecratione datur; illud cùm baptizatur, istud cùm ordinatur. Ideò in Ecclesiâ Catholicâ utrumq; non licet iterare.* Posterius autem hunc in modum: *Si fiat ordinatio Cleri ad plebem congregandam, etiamsi plebis congregatio non subsequatur, manet tamen in illis ordinatis Sacramentum ordinationis, & si aliquâ culpâ quis ab officio removeatur, Sacramento Domini semel impresso non carebit, quamvis ad judicium permanente.* Bellarminus addit loco tertii, Augustinum in laudato Sermone *de gestis cum Emerito* ipsum etiam nomen *characteris* ponere, ob quem dicat, *non posse iterari ordinationem.* De his ut breviter quidem, sed ordine agatur, quod *primam* attinet Quæstionem, *an ordinatio sit Sacramentum*, videlicet propriè sic dictum, & in eâ significatione, quâ Baptismus & Eucharistia ab utraq; parte dicuntur Sacramenta; quid de eâ haberi debeat, supra prolixè in ventilatione Quæstionis de numero Sacramentorum est ostensum, nimirùm, si omnia pro Sacramentis propriè dictis in Ecclesia sint agnoscenda, quæ solus tantùm Augustinus hic & ibi in suis Tractatibus variis hoc nomine recensuit, Septenarium nimis angustum fore, ac numerum eorum in multum iri auctum. Et hinc neq; Evangelici ordinationem negant esse Sacramentum, id est, sacram & non profanam actionem, à DEO, qui est Sanctus sanctorum, in Ecclesiæ bonum, quæ audit communio Sanctorum, institutam, Sacris Ceremoniis perficiendam, quâ homines certi ab aliis ad Sacras functiones segregantur, donisq; ministrantibus è Cœlo donantur, ut Nomen DEI sanctificetur, Ejusq; regnum in hac terra conservetur. *Comparatio* hujus Sacræ ordinationis cum Sacram. Baptismi ab *August.* facta non necessariò requirit, ut eo respectu sit Sacram. quo Baptismus, sed ad hoc modò tertium refertur, ut quemadmodũ Baptismus, à quocunque in Ecclesia etiam Schismatica conferatur, ratihabendus sit, & Gratia per eum collata, ob id, quod per hominem malum fiat, non amittatur, & hinc ipse Baptismus iterari non debeat; ita etiam ordinatio Sacra ab homine itidem Schismatico collata rati debeat haberi, & Gratia per eam concessa ideò non amittatur, neque ipsa ordinatio sit iteranda, ne Sacramento, id est, Sacræ actioni aliqua inferatur injuria, si videlicet Verbum DEI frustrà ibi dicatur adhibitum, de quo *quarta* agit Quæstio. Etsi igitur decies Augustinus locis à Bellarmino laudatis, vel etiam centies ordinationem dixisset Sacramentum, id est, ut dixi, sacram actionem; nihil tamen obineri posset indè pro significatione propria, nisi simul ea etiam in Sacramentorum propriè dictorum veniant censum, quæ Augustinus alibi non parce, sed satis liberaliter hoc Elogio designavit. Neque mentitus est *Lutherus*, cùm solum ex antiquis Dionysium pro Sacramentorum septenario, vel potius senario, quia omisso Matrimonii Sacramento sex tantum recenset, haberi scripsit; nullus enim produci potest antiquus & verè probatus Author, qui Sacramenta eo ordine ac eâ serie, quo apud *Dionysium*, (de quo Lutherus loco per Bellarminum citato non malè judicavit, *nihil fermè in eo solidæ Eruditionis esse*,) exhibentur, recensuerit. Quod verò addit Lutherus, *Nihil prorsus invenio quibus Patribus de illis Sacramentis legimus, nec Sacramenti nomine censuerunt, quoties de iis rebus*

Serm. de gestis cum Emer.

L. II. contra Parm. cap. 13. de Bono conj. c. 24.

iis rebus sunt locuti; recens est enim inventio Sacramentorum, id quod laudatis Augustini testimoniis contrarium esse putat Bellarminus, ubi in specie Ordinatio non semel Sacramentum dicitur, & ut vidimus, in non planè nullâ re cum Sacramento Baptismi comparatur; præter jam monita sciri debet, *Lutherum* quoque de mutata vocis Sacramenti notione & significatione, antehàc ampliori & generaliori, hodiè autem restrictiori esse locutum, videlicet, antiquos Ecclesiæ Doctores, & inter eos *Augustinum*, Sacramenti nomine non censuisse Ordinationem in specie, eo nimirum sensu, quo hodiè Sacramentum dicitur, quem esse recentem, id est, ab antiquitate Apostolicâ non provenientem, nemo dubitabit, qui, quæ suprà de hoc nomine ex *Augustino* fuere dicta, revocabit in memoriam. De suo autem addit Bellarminus, quando in *secundâ* ad dicta Augustini testimonia notatione monet, *apertissimè Augustinum dicere, eodem modo & Baptismum & Ordinationem esse Sacramenta*; quod non aliud meretur Responsum, quàm si iisdem utamur verbis, Bellarminum apertissimè falsum dicere. Dicit quidem Augustinus, *utrumque, & Baptismum & Ordinationem esse Sacramentum*; non verò dixit, eodem modo, quod Bellarminus, ut dixi, de suo addidit. Insuper, quod *neminem de eo dubitare* scripsit Augustinus, *& Baptismum & Ordinationem esse Sacramentum*, Bellarmino iterum Luthero quasi contrarium adserenti mendacium impingente, ex jam dictis facilè potest intelligi, nimirùm & hoc esse dictum ad sensum hujus vocabuli illo tempore, quo Augustinus scripsit & docuit, in Ecclesia usitatum, *Luthero* ad sensum hodiè receptum respiciente, quod semel notasse contra universam hanc Sacramentalem structuram proderit, ne Bellarminus obtineat, quod ex hâc Augustini phraseologiâ contendit, omnes Augustini tempore in Ecclesia Doctores, & hinc omnes quoque populos credidisse, quod Romanenses hodiè credunt, videlicet, *Ordinationem esse Sacramentum propriè dictum*, quod tamen inter plures etiam post Augustini tempora Scriptores, inprimis, qui dicuntur, Scholasticos, non usque adeò & omni planè modo indubitatum fuisse, ex iis constabit, quæ nunc ad *secundam* Quæstionem de *ordinatione Episcopali* in specie observabuntur, quam verè ac propriè Sacramentum esse, Bellarminus ipse fatetur, non solùm veteres quosdam Scholasticos, sed & ex recentioribus *Dominicum à Soto* negasse, id quod etiam in Vindiciis *Anti-Ottonianis & Anti-Thomisticis* est indicatum. Digna sunt autem, quæ hic non prætermittantur, quarum in hâc Quæstione aliquam *recognitionem* judicavit necessariam Bellarminus, utpote ex quibus patebit, quid de Augustini authoritate ab Eo hic commendata sit habendum.

Et *primò* quidem, dum contra Scholasticos veteres pariter & recentiores, ordinationem in specie Episcopalem negantes esse Sacramentum, *verè scilicet ac propriè dictum*, ad alios provocavit, idem adfirmantes, & inter eos ad *Cajetanum* quoque, ita post correxit pennam, scribens: *Dixi*, Cajetanum *admisisse, Episcopatum esse Sacramentum. Quamvis autem hic Author non expresè nominet Sacramentum, sed ordinem, videtur* (vel potius non videtur) *tamen omninò idem sensisse, quod nos diximus; qui enim negant, Episcopatum esse Sacramentum, iidem negant, esse ordinem. Nam cùm ordo Presbyteratus sit Sacramentum, sine dubio Episcopatus, qui Presbyteratu major est, aut non est ordo, aut etiam est Sacramentum; alioquin ordo superior non esset Sacramentum, & ordo inferior esset Sacramentum. Et contra, qui docent, Episcopatum esse Sacramentum, iidem docent, esse ordinis Sacramentum, ac per hoc ordinem; alioquin plura numerarentur Sacramenta, quàm septem.* Præterea, *ubi dixit*, Episcopatum & Presbyteratum esse unum ordinem, sed genere, non specie; *& iterum*, Presbyteros & Episcopos esse duas species Sacerdotum, *rectius dixissem*, inquit, *unum esse ordinem, sed diversos gradus; nam tàm Episcopus, quàm Presbyter est & dicitur Sacerdos, sed ille major, iste minor. Quare in libro Pontificali, ubi traditur ritus ordinandi Presbyteros, dicuntur Presbyteri ordinis secundi Sacerdotes.* Tandem, *ubi in eâdem hâc Quæstione docuit*, septem ordines unum esse Sacramentum, vel genere, vel quia ad unum omnes finem referuntur; *in recognitione monet*, illud, *vel genere*, omitti potuisset. *Nam ut Thomas rectè docet, ordinis Sacramentum non est unum universale, quod dividatur in species; nec integrale, quod dividatur in membra, sed unum potestativum, quod plenè reperiatur in ordine Sacerdotii, in aliis per participationem, ut ad Sacerdotium referuntur.* In harum recognitionum examine per eâ facillimo, quæ in citatis modò Vindiciis *Anti-Ottonianis & Anti-Thomisticis* ex recentiorum quorundam observationibus fuerunt adducta, hic non cum fastidio Lectoris repetenda, utut ex aliis amplificanda, si id Instituti Ratio permitteret; præter id, quod inter noviſſimos Hierarchiæ Encomiastas & Descriptores *Columbus*, in Opere satis splendido de *Angelica & humanâ Hierarchiâ*, de ordinibus quatuor minoribus agnovit, *inter Theologos juxta* l. IV. c. 17.

Fidem non constare, utrum à Christo vel ab Ecclesiâ sint instituta, & consequenter, an sint Sacramenta, quoad illud ad *Bellarminum & Vasquezium*, quoad hoc verò ad *Lombardum, Durandum, Cajetanum*, aliosque plures magni nominis Doctores provocans; id insuper venit circa ordinationem in specie Episcopalem, de quâ in hac Quæstione agitur, notandum, non ita facile videri responsum ad argumenta eorum, qui eam negant esse Sacramentum propriè & verè dictum, id inprimis, quod de charactere ejus formatur distincto à Sacerdotali vel Presbyterali. Bellarminus id numero & ordine tertium hunc in modum format: *Si Episcopalis ordinatio est Sacramentum, characterem certè imprimit. Vel ergò is character est major presbyterali, vel non. Si major, ergò est aliquid majus potestate consecrandi Eucharistiam, quod omnes negant; & præterea hinc sequeretur, esse ordinem aliquem Sacerdotali altiorem, qui jam deberet numerari octavus. Si non major est, ergo Episcopus ut Episcopus non est major Presbytero, sed æqualis, vel potius minor, quia nullus character æqualis est Sacerdotali.* Respondet quidem, *Characterem Episcopalem integrum & perfectum esse majorem Presbyterali, qui illum includit, & unum præterea alium; & hoc modo comparamus*, inquit, *Episcopos cum Presbyteris, cùm dicimus, alios esse superiores, alios inferiores. Si tamen quis conferat characterem, quem habet Episcopus ex ultima consecratione suâ, cum charactere, quem habet ex ordinatione Presbyterali, tunc iste est major intensivè, quia summa potestas est, posse Eucharistiam consecrare; ille est major extensivè, quia ad plura se extendit.* Verùm hæc non omni ex parte rem conficere, illi docent, qui de alio responsi genere tuêre solliciti, nominatim *Vasquez*, qui ad Quæstionem, quam huic præmisit, *an character impressus Sacerdoti per præcedentem calicis traditionem extendatur per manus impositionem?* juxta principia, quæ sequitur, ita respondet: *Quia character non potest esse in specie naturalis potentiæ, neq; principium operandi, ac proinde debeat esse in specie habitus & dispositionis non ad aliud, hoc est, ad operationem, sed ad se, hoc est, quà subjectum benè se habeat; ideo existimo, necessarium non esse, distinctum characterem per impositionem manuum & verba, Accipite Spiritum Sanctum, &c. produci, neque eundem extendi, sed satis esse ei, qui talem habet characterem, & priorem potestatem, nempè consecrandi, ei annexam, conferri aliam ad absolvendum. Hæc autem potestas, sicut & prior, supra characterem nihil aliud addit, nisi relationem destinationis Divinæ ad hoc aut illud ministerium, quæ est extrinseca denominatio, ac proindè in re denominatâ relatio rationis ex fundamento reali, tanquam à formâ extrinseca proveniens, sicut in aliis etiam accidit.* Post ubi in tractatione hujus de Ordinatione Episcopali Quæstionis ad argumentum, quod diversos urget characteres, præter *Michaelis Medinæ, Durandi & Paludani* Sententias ibi citatas, quarum in specie primam improbat & refellit, similem in modum ita respondet: *Ego hâc in re ita censeo philosophandum, sicut Dissputatione præcedente de Ordine Sacerdotali ad absolvendum à peccatis philosophatus sum, ut neque in tali ordinatione imprimatur character omninò distinctus à præcedente, nec extendatur præcedens, sed permanente eodem charactere conferatur aliqua potestas distincta à præcedente, ob eandem prorsus rationem. Addo etiam, licet verum esset, quod Medina docuit, videlicet per Episcopi ordinationem imprimi characterem omninò diversum à charactere Sacerdotali, sicut Sacerdotalis distinctus est ab aliis; nihilominus non fore, ut non præmisso Sacerdotali Episcopalis imprimi possit, sicut imprimi potest Sacerdotalis, non impresso neque collato ordine Diaconatus, quia ita instituti sunt ordines hujusmodi, ut Sacerdotium collatum non præmisso ordine Diaconi verum sit & firmum, at potestas absolvendi à peccatis non præmissâ potestate consecrandi, vel Episcopatus non præmisso Sacerdotio, si facto, non jure conferatur, neq; rata sit, neq; vera, id quod in communi Sententia adserendum est, si ve dicamus, esse unum & eundem characterem Sacerdotis & Episcopi, sive diversos.* Quorsùm hæc inservire possint, ad quartam indicabitur Quæstionem. Etsi autem non immeritò dubitetur, an hæc *Vasquezii* philosophia omnibus iis ad gustum sit futura, quibus non omninò displicet *Dominici à Soto* & aliorum, ordinationem in specie Episcopalem denominatione Sacramentali in propriâ & verâ significatione privantium Opinio, utut *Ægidius de Coningk*, Lovaniensis antehàc Theologus, *facilè eam defendi posse* putet, Bellarmini quamvis Sententiam *probabiliorem* existimans; manifestum nihilo-minus fit exindè, quantis laborent difficultatibus, qui ordinationem in specie Episcopalem defendere volunt esse Sacramentum propriè & verè sic dictum, ac suorummet domesticorum Antagonistarum objectionibus in contrarium satisfacere. Inde Bellarm. quasiad desperationem & extrema quævis redactus scribit: *Si ordinatio Episcopalis non est Sacramentum, non possumus aperiè ex Scripturis probare, ordinationem esse Sacramentum.* Imò, *amittemus etiam loca Patrum*, & ita Augustini quoq;, *pro controversia principali, si Episcopalis ordinatio non est Sacramentum.* Amen!

Tom III. in III. part. Th. Disp. 239. num. 57.

Disp. 240. num. 54.

Tom. II. de Sacrâ. in specie, Disp. 20. num. 74.

Ita

Ita est omninò, Bellarmine, uti scribis. Neque enim ex Scripturâ apertè demonstrasti, ordinationem esse Sacramentum, videlicet, propriè & verè sic dictum, & Patrum inprimis Augustini testimonia pro hâc Controversiâ tibi erepta esse, jam est ostensum, adhucque magis ostenditur, dum non pauci ex tuis domesticis, ordinationem in specie Episcopalem apertè satis negârunt, *esse Sacramentum verè & propriè sic dictum*; unde temetipso præeunte confirmatur, Patrum & ita Augustini etiam loca, quæ pro Ordinis Sacramento commendâsti, amitti, tanquam ad rem hanc probandam inidonea. Neque sufficiunt vulneri à tuismet, ut dixi, domesticis inflicto emplastra, quæ in recognitionibus, majori forte Experientiâ, ut videbaris, instructus, suppeditare voluisti, *Cajetani* Sententiam Antagonistis propitiorem ad tuas cogens partes, & quæ imprudentius de diversis Sacerdotum speciebus scripsisti, ad diversos gradus referens. Nam sicut Antagonistæ tui non concedent, se negando Episcopatum esse Sacramentum proprie dictum, negasse etiam, *Episcopatum esse Ordinem*; ita dum adfirmas, *septem ordines unum esse Sacramentum*, his autem ordinibus septem Episcopatus expresse non includitur, ab unitate hâc Sacramentali non obscure eum excludis, quasi impertinentem ad eam. Et quamvis præcipuum in eo quæras subsidium, quod & Scripturæ & Patrum interque ea etiam Augustini testimonia, quibus probare laborasti, ipsam in genere ordinationem esse Sacramentum, videlicet proprie sic dictum, de ordinatione solùm Episcopali intelligantur, quia, ut addis, *Veteres nomine Sacerdotis absolutè Episcopum intelligebant*; præter tamen & post ipsam locorum inspectionem, quantum hac iterata principii petitione fallas & fallaris, suprà in tractatione Quæstionis de *Presbyterorum & Episcoporum differentiâ*, vel potius convenientia apud antiquos videri potest, quorsum Lector studiosus remittitur.

In *tertiâ* Quæstione parum vel nihil omninò est difficultatis. Neque enim negant Evangelici, quod ex Augustino demonstrare laborat Bellarminus, ad consecrationem vel ordinationem Sacerdotis & Ecclesiæ ministri *verba* requiri, id exprimentia, quod ad ipsum pertinet negotium & actum, qui in publico & coràm Ecclesia exhibetur; sed id quæritur, inque controversiam venit, an verba proprie dici debeant causa formalis hujus actionis, & num ob hanc prætensam formalitatem Ordinatio Sacerdotalis Sacramentum vere & proprie sic dictum haberi debeat? Hoc negant Evangelici, neque probari potest ex laudato Augustini testimonio, de quo proxime ad quartam, quæ superad huc est, Quæstionem agetur. Certe, si verba sufficerent ad formam Sacramenti proprie dicti constituendam, multò plura, quàm septem Papæ haberent Sacramenta, quæ ipsimet inter eos, qui accuratiores & significationis verborum propriæ observantiores videri volunt, non Sacramenta tamen dicunt, sed tantùm *Sacramentalia*, quod alibi quoque observatum. Nunc ad *quartam*, ut dixi, Quæstionem de Charactere per ordinationem impresso, atque hinc indelebili & irreiterabili, quasi ordinario effectu hujus Sacramenti, quo spiritualis, & ea quidem perpetua potestas conferatur, ut tribus tantùm verbis aliquid addatur iis, quæ suprà in genere de *Sacramentali charactere* ex Augustino sunt dicta, & paulò ante ex *Vasquezio* de Charactere Episcopali in specie sunt adducta, id observari par est, ipsam Characteris in ordinatione ad Ministerium Ecclesiæ impressionem, ejusque specificam irreiterabilitatem, & hinc ejus indelebilitatem sano Sensu intellectam, non negari ab Evangelicis; sed illud saltem venire in Quæstionem, an hujus characteris indelebilis & hinc etiam irreiterabilis impressio ordinationem Sacerdotis & Ecclesiæ Ministri faciat propriè Sacramentalem, ac Sacramentum verè & propriè sic dictum constituat, quod Evangelici negant, Augustinus autem locis à Bellarmino citatis non adfirmat, solius irreiterabilitatis faciens mentionem, quæ utrobique, ut dixi, est indubia. Videant verò, quorum est inter, an *Medinæ* Sententiam de diversitate characteris Episcopalis à charactere Sacerdotali vel Presbyterali, (ob quam ordinatio Episcopalis numero Sacramentorum à non paucis excluditur, ne videlicet characteris iteratio concedi debeat,) evertat vel Bellarmini effugium de ejus intensione & extensione, vel *Vasquezii* subtilitas de peculiari relatione destinationis Divinæ ad hoc vel illud Ministerium, quam *Coninckius* facilè defendi posse existimavit, ut omnis præcaveatur iteratio characteris, nobis nunc ad sequentem Controversiam pergentibus.

DE

SACRAMENTO MATRIMONII,

CAPVT SECVNDVM ET TERTIVM.

PRolixam Bellarmini pro hujus Sacramenti denominatione è Scripturâ & Patribus demonstrationem non adeò difficulter elidere liceret quàm paucissimis, ipsius nimirùm Bellarmini verbis, quibus capite quarto inter cæteras rationes ad consensum totius Ecclesiæ, Græcæ pariter & Latinæ, *sed ab Annis tantùm quingentis* provocavit, scribens, à tempore Magistri Sententiarum omnes Theologi summo consensu docuerunt, septem esse novæ Legis Sacramenta, *& in eis semper Matrimonium adnumerarunt*, eometipso fassus, quæ in antecedentibus è Scripturâ & Patribus laudavit testimonia, non ejus esse roboris, cujus sint ea, quæ è Seculis quinque posterioribus haberi possint, quem consensum quidem his Antiquariis & Antiquitatis orthodoxæ ac per omnia à Christo tempora Catholicæ & universalis jactatoribus superciliosis facilè largiri possunt Evangelici; verùm ne ea, quæ vel ex Scripturâ per Augustinum explicatâ, vel ex aliis Augustini testimoniis in medium adduxit Bellarminus, quidquam continere videantur, quod Evangelicorum doctrinæ de Matrimonio sit contrarium, brevi ea subjiciemus Examini. Ut igitur demonstret Bellarminus, *Matrimonium esse Signum rei sacræ, & proinde non solùm civilem contractum, sed etiam Mysterium quoddam & Sacramentum*, Eph. V. illo inprimis Pauli nititur Oraculo, quo Apostolus Conjuges de mutuo inter se debito informans, eos ad unionem Christi capitis cum Ecclesiâ & membris ejus, acutrisque in Amoris & honoris sinceritate imitationem duxit, *Mysterium id magnum* esse dicens, quod *de Christo & Ecclesiâ* scripsit; quod ut suo adplicet proposito Bellarminus, non solùm defendit interpretis Latini, qui Vulgatus hodiè dicitur, versionem, *Mysterii* vocem in *Sacramenti* vocabulum mutantis, sed & adstruere satagit, Apostolum non tàm Christi cum Ecclesiâ, quàm Mariti cum uxore unionem & conjunctionem, quarum hæc illam repræsentet, vocasse *Mysterium*, & ex Interpretis authentici mente *Sacramentum*, propriè nimirum & vere sic dictum. Ne & hic Augustini authoritas ei defuisse videatur, post Commentarium in Epistolas sub *Ambrosii* nomine & inter Ejus opera extantem, *Hieronymum* quoque & laudatum ab Eo *Gregorium Nazianzenum*, item *Chrysostomum*, & qui Eum sequuntur, *Theophylactum*, *Oecumenium* & alios, sequentia Ejus verba commendat: *Sacramentum nuptiarum commendatur fidelibus conjugatis, unde dicit Apostolus, Viri, diligite* Lib. I. de Nupt. & Concup. cap. 10. *uxores vestras* &c. Quia verò non nescivit loca, quæ *Chemnitius* ex Augustino in contrarium objecit, ideò ad illa respondere studuit, præmisso eorum tenore. *Vnus est*, inquit, Tract. 9. in Joh. *ex nono Tractatu in Iohannem*, ubi negat Augustinus, *Sacramentum, de quo loquitur Apostolus, esse in Conjugio Viri & Fœminæ, & tantùm esse docet in Christo & Ecclesiâ.* Erunt, *ita scribit Apostolus* duo in carne una: Sacramentum hoc magnum est. *Et ne quis istam Sacramenti magnitudinem in singulis quibusque hominibus Vxorem habentibus intelligeret*, Ego Lib. I, de Nupt. & Concup. cap. 21. autem, *addidit*, dico in Christo & in Ecclesiâ. *Alter locus* est, ubi Augustinus ita scribit: *Quod in Christo & in Ecclesiâ magnum est Sacramentum, hoc est in singulis quibusque viris atque uxoribus minimum, sed tamen conjunctionis inseparabile Sacramentum.* Bellarminus ad hæc respondet, *Augustinum dupliciter nomen Sacramenti accipere, cum de Matrimonio agitur. Vno quidem modo*, inquit, *pro sacro & indissolubili vinculo, quod tamen aliquandò non vocat Sacramentum, quàm Sacramenti rem vocat*, ad citatum à se provocans Sancti Patris testimonium; *alio autem modo Sacramentum accipit pro sacræ conjunctionis Signo.* Priori modo *magnum esse dicit Sacramentum in Christo & Ecclesiâ, minimum verò in hominibus conjugatis, quia nimirum singuli quique fideles conjugati respectu Christi & Ecclesiæ sunt minimi, etsi tamet si vinculum tam inter Christum & Ecclesiam, quàm inter homines conjugatos non* de Bono Conjug. cap. 18. *sit minimum sed maximum, quia omninò insolubile.* Posteriori modo *accepit Augustinus Sacramentum alibi*, scribens, *Sacramentum singularium Nuptiarum significare subjectionem unius Ecclesiæ ad unum Deum*; & loco iterùm mox sub initium laudato, ubi apertissimè dicit,

cit, *Sacramentum nuptiarum commendari fidelibus conjugatis ab Apostolo ad Ephesios.* Post aliqua addit, Augustinum in laudato itidem poximè libro de Bono Conjugali passim affirmare, *Matrimonium non esse Sacram. nisi in Ecclesiâ.* In seqq. ubi Sacram. denominationem Matrimonio tributam ex Patrum testimoniis probatam dare studuit, præter hæc duo Scripta, quorum mentio jam est facta, alia quinq; citat, in quib⁹ Matrimonio nomen Sacramenti tribuatur. Ne autem in solo nomine Sacram. hæreat, rationem quoq; Sacramenti Matrimonio in his locis tribui adserit, sequentibus id probans argumentis. *Primò,* inquit, quia absolutè & ordinariè Augustinus hâc voce in Disputatione de Matrimonio utitur. Nam quæ sunt Sacramenta impropriè & largo quodam modo, non solent nisi rarò & cum addito Sacramenta nominari. Exemplum esse potest in eo Pane sanctificato, qui dabatur Catechumenis loco Eucharistiæ; nam eum panem Augustinus vocat Sacramentum; sed id semel tantùm facit, & eodem in loco admonuit, eum panem non esse corpus Christi, & Catechumenis non sufficere ad Salutem. *Secundò,* quia in plerisque locorum Augustinus dicit, Matrimonium non esse Sacramentum, nisi in Ecclesiâ, & per hoc distingui Matrimonium Christianorum à Matrimoniis gentilium. At Matrimonia gentilium sunt vera, legitima, & largo (quodam) modo Sacramenta. Nam & Innocentius III. Pontif. Matrimonium infidelium vocat Sacramentum, & ipse etiam *Chemnitius* adprobat Sententiam Brentii, qui Matrimonium largo (quodam) modo Sacramentum adpellati posse existimat, quia est sanctum Vitæ genus à Deo institutum & commendatum. Ergò Augustinus, cùm distinguit Matrimonia fidelium à Matrimoniis infidelium, quod illa sint Sacramenta, hæc non sint, de Sacramento propriè dicto agit, non de Sacramento largo (quodam) modo sumto. *Tertiò,* quia Augustinus non obiter dicit, Matrimonium esse Sacramentum, sed id adsumit tanquam certum, ad probandum dogma Ecclesiasticum, quod videlicet vinculum Matrimonii sit prorsus insolubile, ut patet ex libro de *Bono Conjugali.* At certè hoc argumentum Augustini nihil valeret, si loqueretur de Sacramento largo (quodam) modo accepto, de quo in sequenti capite. *Quartò,* quia Augustinus eodem modo loquitur de Matrimonio & de Baptismo, cùm de Sacramenti ratione disputat. Nam, cùm dixisset, Sacramentum Matrimonii manere etiam in eis, qui re ipsâ à se mutuò separantur, & alia ineunt Conjugia; (adhuc enim primum viget vinculum, & ideò uterque mœchatur, quia non est illius conjunx, cui adhæret, sed illius, quem deserit:) subjungit, idem accidere in Sacramento Baptismi, quod nunquam potest amitti, etiamsi quis amissa fide deficiat à Christo. Hæc certè comparatio manifestè declarat, Matrimonium Augustino verissimum fuisse Sacramentum. *Ita Bellarminus,* qui dum hæc non undiquaque ab exceptionibus & instantiis libera vidit, ne quid prætermittat ad rem faciens, sequentem *Chemnitii* ex Augustino objectionem subjunxit: *Objicit Chemnitius unum Augustini locum,* ubi scribit, *Nuptias Patriarcharum cum fœminis pluribus Sacramentum fuisse conjunctionis Christi cum multitudine Nationum totius Mundi, quæ convertebantur ad Fidem; nuptias verò Christianorum cum unâ tantùm Vxore Sacramentum esse unitatis Ecclesiæ Christo subjectæ.* Ex quo colligi videtur loco, Matrimonium apud Augustinum non fuisse Sacramentum, nisi largo (quodam) modo, prout videlicet aliquid mysticè significat in Christo & Ecclesia. *Respondet Bellarminus,* non accipere Augustinum Sacramenti nomen eodem modo ubique, id quod vel ex ipso Chemnitio probari possit, docente, nuptias Christianorum apud Augustinum esse Sacramentum, quia significant conjunctionem Christi cum Ecclesiâ, & quia sunt Sacramentum, non ullo pati modo Polygamiam plurium simul Uxorum. *Ergo,* cum Augustinus dicit, polygamiam Patriarcharum fuisse Sacramentum, non eodem modo accipit Sacramentum, quo accipiebat, cùm idem nomen tribueret nuptiis Christianorum, quæ polygamiam non admittunt ex eo, quo Sacramentum sunt. *Adde,* quod polygamiam Patriarcharum fuisse Sacramentum Christi & Ecclesiæ, non nisi impropriè & materialiter dici potest; non enim multæ Nationes ad Christum conversæ sunt multæ Ecclesiæ aut multæ Sponsæ, nisi materialiter & impropriè, formaliter enim ac propriè, una tantùm est Ecclesia, una Sponsa, unum corpus. *Quare* Augustinus largo (quodam) modo Sacramentum accepit, cùm illud scripsit de veterum Patriarcharum polygamia; longe autem aliter Eum accepisse, cùm de Matrimonio Christianorum ageret, ex argumentis suprà adlatis facile potest perspici. *Hæc iterùm Bellarminus,* qui dum in tertiâ probatione ad caput sequens quartum provocavit, quo ex rationibus, Matrimonium esse Sacramentum, proprie nimirum & vere sic dictum, demonstrare est conatus, in *primâ* statim ratione Augustini mentionem fecit. Duxit verò eam ab *insolubilitate Matrimonii & Monogamiâ,*

Lib. II. de peccat. merit. cap. 26.

c. Gaudemus, de Divortiis.

Lib. I. de Nupt. & Concup. cap. 10.

de Bono Conjug. cap. 18.

miâ, quâ passim uti Augustinum monet, hoc ex Eo proponens argumentum: Matrimonium Christianorum est unius tantùm cum unâ, & omninò insolubile. Igitur est Sacramentum conferens gratiam. Antecedentes patet ex illo, *Qui dimiserit Vxorem suam, &* Marc. 10. *aliam duxerit, adulterium committit super eam.* Consequentia probatur. Nam ex eo, quod est unum & insolubile, colliguntur duo. Primò, esse Signum sacrum; secundò, conferre Gratiam, quæ duo Sacramentum propriè dictum efficiunt. *Primum* apertè colligitur. Nam illa insolubilitas omnimoda in unis Nuptiis non potest referri in causam primariam & certissimam, nisi in Signum conjunctionis Christi cum Ecclesiâ, in quam causam perpetuò Augustinus eam insolubilitatem refert in libro de *Bono Conjugali*. Nam si consideret Matrimonium, ut officium naturæ ad propagandam sobolem, ægrè potest reddi ratio, cur ob sterilitatem Conjugis non liceat eam dimittere aut aliam ducere? Si consideres, ut est in remedium contra fornicationem, cur non poterit Uxor perpetuo laborans morbo dimitti, aut cur non poterit alia duci? Quare habet Matrimonium ex jure quidem Naturæ quandam insolubilitatem, non tamen tantam, quin aliquandò dicter expedire ratio, ut solvatur, accedente præsertim Divinâ (vel humanâ potius) dispensatione. Cur igitur Matrimonium sit omninò insolubile, illa est potissimum causa, quia significat Institutionè Divinâ insolubilem Christi & Ecclesiæ conjunctionem.

Et hactenus prolixè satis Bellarmini ex Augustino adparatus pro Sacramenti denominatione Matrimonio adtribuendâ. Quem ut breviter excutiamus, & quid vel bonarum mercium vel malarum ferat secum, videamus, quædam necessariò ex Vindiciis *Anti-Ottonianis* veniunt repetenda, omninò ad præsens Institutum pertinentia, additis quibusdam utrobique tùm prætermissis. *Primum* verò locum juxta ordinem à Bellarmino observatum occupabit Oraculum Apostoli de Mysterio sive Sacramento, circa Eph. V. cujus sensum ante, quàm Augustini vindicetur Sententia, præmitti debent aliquorum Interpretum ex numero domesticorum Suffragia, utpote ex quibus constabit, an Bellarminus ritè ad hoc Oraculum, inque Ejus explicatione ad Augustini provocaverit authoritatem. *Guillaudus* in suis ad Epistolas Pauli Collationibus à *Possevino* infinitè commendatis hæc habet: *Collatio hæc, quæ est Adæ viri & Evæ Vxoris ad Christum & Sponsam suam Ecclesiam, magnum est Mysterium.* Explicat hoc in subjectâ Conciliatione: *Christus adhæsit Ecclesiæ, ut essent duo in carne unâ. Quomodo reliquit Patrem, quomodo reliquit*

Philipp. 2. *Matrem? Reliquit Patrem, quia cùm in formâ DEI esset, non rapinam arbitratus est, esse æqualem DEO, sed semetipsum exinanivit, formam Servi* accipiens; *hoc est enim, reliquit Patrem, non quia deseruit & recessit à Patre, sed quia non in eâ formâ adparuit hominibus, in quâ est æqualis Patri. Reliquit Matrem, relinquendo Synagogam Iudæorum, de quâ Secundum Carnem natus est, & inhærendo Ecclesiæ, quam ex omnibus congregavit gentibus, & quam illuminavit per Apostolos, ut ostenderet nobis, quid ibi quæreremus. In ipsa una Sententia,* erunt duo in Carne unâ, *Sacramentum magnum in Christo & in Ecclesia. Iam licet nobis ubique Christum quærere, & de omnibus hydriis potare Vinum. Dormit Adam, ut fiat Eva; moritur Christus, ut fiat Ecclesia. Dormienti Adæ fit Eva de latere, mortuo Christo lancea percutitur latus, ut profluant Sacramenta, quibus formetur Ecclesia. Et huic Ecclesiæ Sponsæ suæ adeò adhæsit Christus, ut ipse & Ecclesia sint noum corpus, & sit verum hic Conjugium. Et ne existimes, quod de quocunq; Conjugio dicat Paulus, subjungit,* Erunt duo in Carne unâ, Sacramentum hoc magnum est, Ego autem dico in Christo & in Ecclesiâ. *Fit ergò ex duobus una quædam persona, ex capite & corpore, ex Sponso & Sponsa. Sacramentum seu Mysterium horum verborum magnum est.* Johannes Gagnæus, Theologus itidem Parisiensis, Superiori Seculo inter suos celebris, in suis ad easdem Pauli Epistolas Scholiis sequentia adposuit: *Quanquam ad literam de mutuâ Viri & Vxoris conjunctione & dilectione hæc verba sint dicta, hoc tamen magnum est Sacramentum & Mysterium,* id est, *sub hâc Matrimonii institutione latet mysticè Christi & Ecclesiæ unanimis & indissolubilis conjunctio. Sicut enim patrem & matrem relinquit homo, ut Vxori adhæreat, sic quodammodo Patrem homo*

Joh. 16. *factus reliquit Christus, sicut Ipse ait,* Exivi à Patre, & veni in Mundum; *non per desertionem Divinitatis, sed humanitatis adsumtionem; & Matrem Synagogam, cui quâ Iudæus suberat, dereliquit, ut Vxori suæ,* id est, *Ecclesiæ gentium adhæreret.* Thomas de Vio Cajetanus ante Bellarminum satis audacter, sed & simul verè: *Non habes ex hoc loco, prudens Lector, à Paulo, Conjugium esse Sacramentum; non enim dicit, Sacramentum, sed, Mysterium hoc magnum est. Continent enim,* id est Pauli verba, *& indivisibilitatem Conjugii, ut Dominus explanavit apud Matthæum; continent & jus Naturæ, abhorrendi* (vel potius, abhorrentis) *conjugium*

cum

cum Patre & Matre, (id est, filiæ cum Patre, & filii cum Matre;) *continent & officium à Viro plus Vxori, quàm Patri & Matri debitum; continent & hoc, quo modò Paulus declaravit, Vxorem esse carnem Mariti. Vndè verò Mysterium hoc magnum est?* Ego autem dico in Christo & Ecclesiâ, *pro, in Christum & Ecclesiam. Adcumulat Paulus magnitudini hujus Mysterii secundum literalem Sensum, magnitudinem secundum spiritualem Sensum, referendo hæc ad Christum & Ecclesiam, ut jam retulerat dicendo, quia membra sumus corporis Ejus, de Carne ejus & de ossibus ejus.* Quid perpetuus Cajetani adversarius, nimirum *Catharinus*, ejusdem quamvis cum Eo ordinis & Instituti, in his desideraverit verbis, *Sixtus Senensis* exhibet, qui cùm in multorum manibus sit, prudens Lector Eum hic evolvet. Idem *Catharinus* tamen in suis ad Epistolas Apostolorum Commentariis sibimetipsi objiciens, *quædam in Scripturis vocari Mysteria, quæ tamen non sint sacramenta*, (eo nimirùm sensu) *quo Scholastici capiunt, qualia sint Septem illa, quæ Ipsi enumerant*; respondit, *nihil prohibere, quin possint Sacramenta vocari quælibet Mysteria, quamvis non sint de illis Septem; nonne enim*, inquit, *Mysterium Incarnationis Christi etiam dicitur Sacramentum.* In sequenti verborum Pauli explicatione addit: *Carnale conjugium eâ ratione Sacramentum esse; quia Signum est spiritualis conjugii inter Christum & Ecclesiam contracti; conditiones namque eædem sunt.* In hunc quoque modum *Esthius* scribit: *Sensus Apostoli est, Sacramentum seu Mysterium verbis præcedentibus significatum est magnum. Illa Viri & Mulieris arctissima conjunctio, de quâ dictum est*, relinquet homo Patrem & Matrem &c. *magnæ alicujus Sacræ & arcanæ rei Signum est.* Ego autem dico, *Mysterium hoc explico & intelligendum doceo* de Christo & Ecclesiâ. *Per hoc enim, quod homo relictis parentibus adhæret Vxori, & cum eâ efficitur una Caro, mysticè significatur, Filium DEI è sinu Patris & quasi relicto Patre, Matre etiam, id est, Synagogâ, vel cœlesti Hierusalem derelicta, in terras descendisse, & per adsumtam Carnem humanam Ecclesiæ, quæ ex hominibus constat, conjunctum esse, unumque cum ea corpus effectum, & per hoc indissolubili Amoris vinculo conglutinatum.* Et post aliqua: *Ex hâc Apostoli Sententiâ manifestum est, Conjugium non solùm duorum primorum hominum, sed etiam, ac pleniori ratione posterorum (nam primi homines non habuêre Parentes, quos relinquerent,) esse Sacramentum*, id est, *rei sacræ cujusdam magnæ Signum.* Quamvis verò ex Catholicæ (*id est, Tridentino-Romanæ*) Ecclesiæ definitione dubitandum non putet, *Matrimonium esse unum ex Sacramentis novæ Legis, quæ ejus Gratiæ, quam significent, Signa sint efficacia*; quæri tamè scribit: *an hoc ipsum ex præsenti loco Apostoli possit doceri? Cajetano certè non videtur*, inquit, addens: *At neq; Veteres hanc efficaciam probant exindè, sed magis eam solent statuere ex facto Christi, qui nuptiis in Canâ Galilææ benedixit, utiq; spirituali benedictione; quod etsi Scriptura non expressit, in Concilio tamen Ephesino tanquam Traditione acceptum, & apud multos Patres legitur. Atq; hæc Sententia*, ita pergit Esthius, *nobis etiam probatur, & quàm revera probabilis sit, latè ostendimus Scripto in libros Sententiarum.* Pro ratione subjungit: *Quod enim ad hunc locum attinet, Apostoli Sententia, quâ dicit*, Sacramentum hoc magnũ est, *veritatem habuit ab initio, quo dictum est*, Propter hoc relinquet homo &c. *Nec tamen ab eo tempore cœpit Matrimonium esse efficax Gratiæ Sacramentum, sed tale demum est à Christo, novæ Legis Authore, institutum.* Fromondus post alios novissimè hanc Pauli verbis adscripsit paraphrasin: *Sacramentum hoc magnum est, Matrimonium illud Viri & fœminæ consummatum per copulam carnalẽ, quod verbis ex Genesi recitatis explicatur, est Signum magnæ rei Sacræ.* Ego autem dico (*non in seipso spectatum, sed*) in Christo & in Ecclesiâ, *Græcè, in Christum & in Ecclesiam*, id est, *si referatur ad Christi & Ecclesiæ conjugium, quod significat. Nam Christus derelicto Patre quodammodo per descensum de Cœlis, relictâ Matre Synagoga, quæ erat Ei Mater ex Semine David secundum carnem, ardentissimo amore adhæsit Sponsæ suæ Ecclesiæ, & una Caro cum ea factus est per Incarnationem. Hoc verò Sacramentum seu Sacra significatio non tantùm est in Matrimoniis fidelium, sed infidelium etiam.* Paucis interjectis: *Bellarminus & quidam alii ex hoc loco contra hæreticos probant, Matrimonium novæ Legis esse Sacramentum, conferens gratiam Conjugibus ex opere operato; sed infirmiter, ut rectè omnia Bellarmini argumenta dissolvens* Vasquezius *ostendit. Nam Apostolus vocat hic Sacramentũ* (μυστήριον) *non respectu Gratiæ Sacramentalis, quam significet & efficiat, sed respectu conjunctionis Christi cum Ecclesia per Amorem & Incarnationẽ; quod mysterium in Matrimonio Adami & Evæ etiam fuit, quod tamen Sacramentum non erat Gratiam conferens. Nec Tridentina Synodus ait, ex hoc loco solidè probari, Matrimonium esse inter Septem Sacramenta, sed tantùm innui* &c. Ut post Scripturæ Interpretes è numero Doctorum Scholæ unus etiam & alter accedat, *Ægidius de Koninck*, laudatus ad caput antecedens Professor antehàc Lovaniensis, notans in antecessum pro resolutione hujus Quæstionis, *dupliciter sumi Sacramentum*, primò, *propriè pro re vel ceremoniâ Divinitùs instituta, ad significandam Sanctitatem*

Bibl. S. l. 6. Anot. 307.

NB.

l. cit. Disp. 24. n. 10. seqq.

tem veram vel legalem, quam suo conferat usu; secundò *lato* (*quodam*) *modo, pro quovis Signo rei sacræ Divinitus instituto*; quamvis statuat, *Matrimonium primo ex his duobus modo sumtum inter baptizatos esse Sacramentũ novæ Legis proprie dictum*, idq; non tam laudato Pauli Oraculo, quàm aliquibus Augustini testimoniis demonstrare conetur; in alia tamen Conclusione determinavit, *Matrimonium pro ipso sumtum vinculo nec jam esse, nec unquam fuisse Sacramentum proprie dictum.* Et quia inter difficultates, quas præmisit, non potuit dissimulare, quosdam, videlicet inter suos, id adfirmare, ideò præprimis, *quia Patres*, adeoque Augustinus etiam, *communiter ipsum videantur vinculum vocare Sacramentum*, hinc de responso ad hanc objectionem idoneo sollicitus dicit, *Patres*, & ita Augustinum quoq;, *accipere Sacramentum lato quodam modo, pro quovis Signo rei sacræ Divinitus instituto*, dicentes, *Matrimonium esse Sacramentum, non quia significet aliquam Sanctitatem, quam suo conferat usu, sed quia significet conjunctionem Christi cum Ecclesiâ*, hinc etiam docentes, *Matrimonium in Lege Naturæ simili modo Sacramentum fuisse*, post Leonem Augustino etiam in testimonium adducto. Confirmat hoc postmodùm in eâ etiam Conclusione, quo *Matrimonium inter infideles contractum, etiamsi posteà baptizentur, nunquam tamen fieri posse verum Sacramentum*, contra domesticos quosdam suos defendit, ad objectionẽ, *Patres & communiter Doctores dicere, Matrimonium infidelium ideò majorem habere insolubilitatem, quia sit Sacramentum; & si Matrimonium infidelium per Baptismum adquirat hanc indissolubilitatem, adquirere etiam (ipsum) esse Sacramenti*, respondens, *Patres loqui de Sacramento largè sumto, quia agant de vinculo Matrimonii, quod non sit, nisi largo* (*quodam*) *modo Sacramentum.* Thomas Sanchez, spissi de hoc argumento Operis Author, de tempore

Lib. II. Disp. 4. p. m. 120. Institutionis Matrimonii agens, ubi retulit, aliquos censere, *institutum esse illud immediatè in Lege Naturæ ab Adamo, & illis quidem verbis, quæ Deo inspirante protulerit, dicens*, Hoc nunc os ex ossibus meis &c. *idq; probare* partim, *quia ipse Christus probet indissolubile Matrimonium esse ex Verbis* (primæ) *Institutionis, dicendo*, quos Deus conjunxit, homo non separet &c. partim, *quia Paulus dicat*, Propter hoc relinquet homo &c. *Et subdat*, Sacramentum hoc magnum est, *ubi clarè significet, verba hæc ab Adamo prolata fuisse Institutionis verba*; post adductum eâ de re Synodi Tridentinæ monitum, ab aliis quoque laudatum,

Lib. 14 de Civit. Dei, cap. 22. addidit, *hujus Sententiæ videri Augustinum, & tenere eam ex Theologis Lombardum, Alensem, Bonaventuram, Durandum, Richardum, Hugonem, Waldensem, Adrianum, Tapperum, ex Iurisperitis præter Glossatorem alios*, nullius in hâc tractatione censûs. Quantum hæ & plurii, qui silentio nunc prætermittuntur, Scripturæ Interpretum & Scholæ Doctorum hypotheses & Sententiæ contra institutum Bellarmini, Matrimonium esse Sacramentum propriè & verè sic dictum, ex laudato Pauli Oraculo & Augustini authoritate demonstrare conantis, possint inservire, Lector attentus videt, ita ut prolixâ opus non sit ostensione, ne Solem plenis in mero die radiis lucentem indice digito velle videat indicare. Nihil certè Bellarminus in prolixa deductione sua, vel ad dictum Pauli Oraculum, vel ad Augustini testimonia, partim vindicanda, partim explicanda, si non potius implicanda, ut, quod Semel defendendum suscepit, vi etiam adhibita obtineat, ex omnigenæ Eruditionis promtuario adduxit, in quo non ex domesticis suæ Religionis, imò etiam Ordinis & Instituti Scriptoribus habeat adversarios, & in faciem quasi contradicentes, inter quos sanè eminet *Vasquezius* à *Frommondo* hic commendatus, è quo plusculà adscribi merentur, ea nimirum, quibus Bellarmini è Paulo & Augustino argumenta ex professo examinavit, eorumque invaliditatem ad præsens Institutum ostendit. Is igitur non so-

Tom. II. in 3. part. Th. Disp. 127. cap. 17. lùm in genere de Sacramentis agens, probaturus, *nomen Sacramenti usurpandum & retinendum esse in eâ significatione, ut idem sit Sacramentum, quod rei sacræ Signum*, quam significationẽ *Coninckius* latam dicit, ad hoc Pauli Oraculum provocat, conferendo quoad usum vocis, *Mysterium*, ex Apocalypsi Johannæa Visionem, qua fuit ostensa Meretrix Babelica, in cujus fronte scriptum erat nomen, *Mysterium*, quod in proxime sequentibus explicatur per *Sacramentũ* Mulieris, hac cum notatione, *manifestum esse, eo in loco accipi Sacramentũ & Mysteriũ pro signo rei occultæ*, ea etiã cum restrictione, quod, etsi recentiores contendent ex illo Pauli Oraculo deducere nomen Sacramenti, ut non solùm significet Signũ rei occultæ in universũ, sed & speciatim res illas septem, quæ Sacramenta Ecclesiæ vocantur, *sibi id non probetur, cùm indè non* (*rectè*) *colligatur, Matrimoniũ esse unum ex septẽ Sacramentis*, promittens, se suo id loco aperte probaturum; verum etiam, ubi in Tractatu

Tom. IV. in 3. part. Th. Disp. 2. speciali de *Sacramento Matrimonii*, inchoato quidem, non a. ad finem perducto, (quem Editores ideò *Benonium* vocant partum, *quem Author mutilum adhuc cum ipso pene Spiritu sit enixus*:) de eâ Catholicorum, id est, Papistarum, nec paucorum, nec suo etiam judicio ignobi-

ignobilium agit Sententiâ, quâ docent, *Matrimonium esse Sacramentum non in novâ Lege a Christo, sed initio Mundi à Deo institutum*, eam hoc quoque argumento probari dicit: *Si ex aliquo* (nimirùm Scripturæ) *loco colligi potest, Matrimonium esse Sacramentum, maximè ex illo Pauli ad Ephesios potest. Ex hoc autem loco non colligitur, à Christo primùm in Lege Evangelicâ fuisse institutum, sed à Deo à principio Mundi. Nam verba hæc Apostoli non solum de Matrimonio post Legem Evangelicam, sed de omni ab initio Mundi intelliguntur; ac proindè ex hoc loco sequitur, semper ab initio fuisse Sacramentum à Deo institutum.* Quamvis autem *Vasquez* hanc Sententiam, ideò, quia definitioni Tridentinæ contrariam, non adprobet, sed eidem se acriter opponat, circa ipsam nihilominus Oraculi Apostolici & testimoniorum Augustini à *Chemnitio* objectorum explicationem datas à Bellarmino ad ea responsiones non parùm infirmat, aliasque ex suo adponit Ingenio. Postquàm ergò eas, tacito quamvis Bellarmini nomine, ne Socius videatur Socio contrarius, breviter & per compendium retulit, de earum insufficientiâ ita judicavit: *Si hæc esset mens Augustini, saltem ex Eo probaretur, Sacramentum non usurpari à Paulo pro Signo sacro, sed pro ipsâ re absconditâ, & hanc esse conjunctionem Christi cum Ecclesiâ, ac proindè ex hoc Pauli loco id, quod contendimus, non probari.* Quare, *ita pergit Vasquez*, multò melius respondeo, ad prius testimonium ex *Tractatu nono in Iohannem*, Augustinum per Sacramentum intelligere quidem Signum sacrum, ideò autem dixisse Ipsum, magnitudinem Sacramenti, hoc est, Signi, non esse in singulis, quia ad magnitudinem Sacramenti duo requiruntur, & ipsum Signum, & magnitudo rei signatæ, ex quâ solùm magnitudo Sacramenti sumitur. Ne igitur quis putaret, totam Sacramenti magnitudinem & omnia ad ipsum requisita intra singulos concludi & contineri homines, sed Christum & Ecclesiam pertinere ad eam, rectè dixit Augustinus addidisse Paulum, *Ego autem dico in Christo & Ecclesiâ*, q. d. hæc Sacramenti magnitudo non sine Christo & Ecclesiâ est, sed indè sumitur, quod conjunctionem Ejus cum Ecclesiâ designet; & ita non est in singulis hominibus, prout Matrimonio conjunctis, si id tantùm, quod in ipsis est, consideremus. Ad posterius testimonium respondeo, *scribit porrò Vasquez*, eodem modo; addo tamen, ex ipsius Augustini in eo verbis id, quod præmisimus, & hæretici refellere contendunt, manifestè deduci. Nam cùm dixisset Augustinus, *quod est in Christo & in Ecclesiâ magnum, hoc in singulis quibusque Viris & Vxoribus est minimum*; continuò addidit, *sed tamen conjunctionis inseparabilis Sacramentum*, q. d. Quod minimum est, si intra ipsos solùm homines consideretur, & nihil extra eos significet, ipsum videlicet Matrimonium, nihilominus est Sacramentum vinculi indissolubilis, quo inter se mutuò connectuntur & obligati manent, quod quidem hâc ratione non est magnum (adeò) Sacramentum, sicut revera est, quatenus extra homines denotat vinculum & conjunctionem Christi & Ecclesiæ indissolubilem. Ipsum igitur Matrimonium, quod in hominibus minimum esse dixit, vocat Sacramentum & Signum vinculi inter Virum & Mulierem indissolubilis, ac proindè hoc idem Sacramentum vocat magnum (quatenus) relatum ad Christum & Ecclesiam. *Post plura addit Vasquez*, Quod ex Augustino adlegant, nimirùm Bellarminus & Sequaces Ejus, quod hunc Pauli locum de solo Matrimonio in Ecclesiâ & populo Dei intellexerit, falsum esse ex capite præcedente patet, neque minimum aliquod verbum in Augustino invenies, quo id vel leviter insinuet. Fateor sanè, *ita adhuc Vasquez*, discrimen aliquod adsignâsse Augustinum inter Matrimonium inter infideles, & Matrimonium in populo Dei ab Origine Mundi, tum etiam inter Matrimonium Christianorum & Patriarcharum, qui Christum præcesserunt; illud tamen longè diversum est, & à nobis ibi explicatum. Verùm, nullibi docet, Matrimonium esse Sacramentum, (non-) nisi in Ecclesiâ. Quia verò ad caput antecedens provocat *Vasquez*, in quo non tantùm singula Augustini loca à Bellarmino citata, sed & rationes Bellarmini exindè deductas diligenter expendit, ideò aliqua ex eo huc derivanda sunt, ut vanitas illationum Bellarmini ex Augustino fiat manifesta. Ita autem ibi Vasquez: *Recentiores non nulli disputantes contra hæreticos nostri temporis contendunt pro viribus, doctrinam de Matrimonii Sacramento verè & propriè sic dicto Catholicam*, vel potius Papæo-Romanam, *Augustini testimoniis comprobare; id quod maximè expetendum & optabile esset, si rectè fieri posset. Arbitror tamen, ipsum*, id est, Augustinum, *Matrimonium in sensu, de quo disputamus, nusquam adpellasse Sacramentum*, ut per singula facilè demonstrabo. Indicatis autem locis, quæ Bellarminus citaverat, recensitis etiam rationibus, quas Bellarm. exindè deduxerat, suam de iis Sententiam ita proponit Vasquez. *Postquàm singula Augustini loca perlegi & attentè consideravi, manifestè deprehendi, Ipsum non loqui de Sacramento propriè, prout in præsenti loquimur, videlicet quatenus est Signum*

de Sacr. Matr. cap. 2. §. 9.

Ibid. c. 6. §. 47. & 48

Ibid §. 60.

Ibid. cap. 5. §. 30. & seqq.

Gratiæ recipientes sanctificantis, sed de Sacramento latiori significatione, prout est Signum unionis Christi cum Ecclesiâ, ac proindè judicavi, authoritate ipsius in hâc parte contra hæreticos uti non oportere. Et primum quidem ex Opere de Genesi ad literam, ut ex libro de Fide & Operibus, ex libro de Sancta Virginitate, & ex libro de Bono Conjugali, adserit solùm, *tria in Matrimonio reperiri bona*, & inter ea numerat Sacramentum, vel certè ipsum Matrimonium vocat Sacramentum. Ideò autem dicit in eo esse bonum Sacramenti, quia vinculum ejus est indissolubile, aut in eo Sacramenti Rationem constituit, quod nullâ ratione possit dissolvi, nec usquam Sacramenti Rationem, quam Matrimonio tribuit, alio explicat modo. Censet autem, ex ipsâ Sacramenti Ratione oriri indissolubilitatem, sicut ex aliis locis colligere licet, tametsi per indissolubilitatem explicet rationem Sacramenti, aut indè ipsam deducat. Vel igitur putat, ratione Sacramenti in Matrimonio esse indissolubilitatem, vel certè cum eâ reciprocari, ita ut una sine aliâ nequeat inveniri. Et in Opere de *Peccato Originali*, postquam explicavit duo priora Conjugii bona, & testimonio Scripturæ confirmavit, de bono Sacramenti ait, *Propter Connubii Sacramentum, quod DEus conjunxit, homo non separet*, videlicet, scriptum est. Hoc autem dictum & scriptum fuit, non propter Sacramentum Matrimonii, quod post adventum Christi ad conferendam Gratiam est institutum, sed propter Sacramentum, quod fuit ab initio in Matrimonio, ut patet ex capite decimo & nono Matthæi, ubi Christus retulit, quo pacto DEus ab initio Masculum & Fœminam Matrimonio illis copulavit verbis, quæ Adamo inspiravit, *Propter quod dimittet homo Patrem & Matrem, & adhærebit Uxori suæ &c.* & statim addidit, *Quod ergo DEus conjunxit, homo non separet*, videlicet, quod ab initio ita conjunxit. Loquitur Augustinus igitur de Sacramento, quod fuit ab initio. In eo autem loco idem argumentum eodem modo, quo in reliquis omnibus, de indissolubilitate Matrimonii prosequitur, ut comminisci non liceat, Eum de aliâ Sacramenti Gratiâ in aliis locis fuisse locutum. Quocirca eodem in loco, postquàm tria Matrimonii bona, & inter ea bonum Sacramenti explicuit, subdidit, De quibus, scilicet bonis, in aliis Opusculis nostris, quæ non sunt incognita, quantum Domino adjuvante potuimus, satis nos disseruisse meminimus. Et in libro de *Bono Conjugali*, postquàm egit de bonis Matrimonii, ut in aliis locis, bonum Sacramenti in Matrimonio ostendit alio modo fuisse in Patriarchis & in Lege Evangelicâ, cùm tamen semper fuerit indissolubile, ut in antiquis non fuerit Sacramentum hoc redactum ad unum & unam, eò quod Matrimonio illorum significabatur una ex variis gentibus Ecclesia, Viro uni Christo copulanda; nostro autem tempore jam non sit nisi inter unum & unam, quo unus Christus cum unâ tantùm Ecclesiâ designatur. Et de eo, qui mortuâ Conjuge primâ aliam ducit, inquit, quandam Sacramenti normam amisisse, non ad Vitæ meritum, sed ad ordinationem Ecclesiasticam, ut jam non possit in Ecclesiâ ordinari. Nullam certè normam Sacramenti propriè dicti, videlicet Gratiam conferentis, amisisse eum dicere possumus, quia neque minus Gratiæ in secundo, quàm in primo recipit Matrimonio, si æquè fuit dispositus; sed aliquid de Sacramento latiori modo sic dicto, hoc est, de significatione conjunctionis Christi cum Ecclesiâ, cujus ratione bigamus Ordine Ecclesiastico indignus meritò censetur, sicut etiam dixit in Epistolam ad Titum apud *Bedam* in Collectaneis in hanc Epistolam, & apud Glossam ordinariam & apud Gratianum. In Opere etiam de *Nuptiis & Concupiscentiâ* agens de hâc ratione Sacramenti, quam tribuit Matrimonio, inquit: *Hujus procul dubio Sacramenti res est, ut Mas & fœmina Connubio copulati, quamdiu vivunt, inseparabiliter perseverent.* Ubi non constituit rem Sacramenti in Gratiâ, quam conferunt, nimirum Sacramenta, sed in vinculo inseparabili. Subdit verò: *Hoc enim custoditur in Christo & Ecclesiâ, ut vivens cum vivente in æternum nullo separetur divortio.* Ratione igitur Sacramenti in latiori significatione, prout Matrimonium est Signum conjunctionis Christi cum Ecclesiâ, deducit bonum Sacramenti, quod est in vinculo indissolubili. Demum in Opere & loco eodem ostendit, si peccatum in mundo non fuisset, nihilominus tria illa bona in Matri-
NB monio futura; probatq; id de bono Sacramenti, eò quod ante peccatum de eo dictum sit in Paradiso, *Propter hoc relinquet homo Patrem & Matrem &c.* Subdit verò Augustinus, quod magnum Sacramentum dicit Apostolus in Christo & Ecclesiâ. Certum verò apud omnes (Romano-Papæos) est, Matrimonium non futurum Sacramentum propriè unum ex septem, conferens Gratiam, nisi peccatum fuisset, quia dignitatem hanc habuit, sicut reliqua sex, ex Passione Christi; quæ quidem Passio Christi non foret, si peccatum non fuisset, ut omnes ingenuè fatentur. Constat igitur, ubiq; Augustinum explicare Rationem Sacramenti in Matrimonio per id, quod ab initio mundi habuit, ut esset signum conjunctionis Christi & Ecclesiæ, vel inter Christum & Ecclesiam inseparabilis. Hac-

Hactenus Vasquez de ipsis Augustini testimoniis à Bellarmino citatis, ostendens, frustrà id ab Eo factum esse. Nunc ad rationes Ejus exindè deductas, quas itidem nullas esse docet, porrò scribens: *Iam verò, quam pravi* (fortè, parvi) *sint momenti, quæ recentiores Theologi*, & inter eos iterùm Bellarminus, *adducebant ad probandum, Augustinum in locis adsignatis de Sacramento propriè sic dicto fuisse locutum, videamus.* *Primò* quidem, parum refert, quod absolutè & sine additamento Matrimonium vocaverit Sacramentum, ut proindè dicamus, de Sacramento propriè intelligendum esse, quoniam Paulus etiam illud absolutè & sine additamento vocavit Sacramentum, & reverà eâ ratione Sacramentum absolutè dici potest; cùmque aliâ etiam Ratione Matrimonium sit Sacramentum, nullum erat periculum, ipsum absolutè Sacramentum significatione illâ latiori adpellare. Quia verò periculum erat, ne quis existimaret, panem benedictum esse verum ipsum Sacramentum corporis Christi, ideò semel tantùm ab Augustino Sacramentum est vocatum, & ab Eo explicatum, quâ ratione esset Sacramentum. Ad *secundum* dico, Augustinum ideò Matrimonium vocâsse Sacramentum in Ecclesiâ Dei solùm, non autem apud infideles, non quia existimaret, Matrimonio infidelium non significari unionem Christi cum Ecclesiâ individuam; sciebat enim, Matrimonium hâc Ratione Sacramentum *ab initio Mundi* fuisse vocatum, idque in omne futurum NB. Matrimonium convenire debuisse, & de omni etiam verè dixisse Christum, *Quod Deus conjunxit, homo non separet*, quâ ratione Innocentius III. Matrimonium gentilium latiori significatione vocat Sacramentum; sed ideò solùm apud populum Dei & fideles Matrimonium vocat Augustinus Sacramentum, & in eo bonum Sacramenti requirit, quia solùm in populo Dei vinculum ejus fuit inseparabile, non dico (tantùm) jure, sed (etiam) facto & existimatione populi, in populo autem infideli & facto & existimatione, quamvis non jure, multis de causis solvebatur. *Adde*, quod per populum Dei, in quo solo Matrimonium Augustinus vocat Sacramentum, non intelligit populum solùm Christianum, sed fidelem etiam antiqvum ante Christi adventum, in quo (tempore) vixerunt Patriarchæ; apud hos autem Matrimonium non fuit Sacramentum propriè, nimirùm Gratiæ ipsos sanctificantis Signum, sed latiori tantùm significatione, denotans unionem Christi cum Ecclesiâ. Ex eo igitur, quod Augustinus Matrimonium in solo populo & Civitate Dei vocat Sacramentum, non sequitur, de Sacramento propriè dicto Ipsum fuisse locutum. *Porrò*, cùm Augustinus Matrimonium Christianorum comparat cum Matrimonio Patriarcharum, neque soli Matrimonio Christianorum tribuit Rationem Sacramenti, neque Patriarcharum Matrimonio eam denegat, quin imò eam in utroque agnoscit, ut patet ex libro de *Bono Conjugali*, sed ostendit, diverso modo fuisse Sacramenti (rationem) in Matrimonio Patriarcharum & Christianorum, licet in utroque Sacramentum in eo est, ut denotaret conjunctionem Christi cum Ecclesiâ indissolubilem, quia videlicet, ut suprà memoravimus, per Matrimonium Patriarcharum, quod unius erat cum pluribus, una significatur Ecclesia, Christo uni Viro ex variis gentibus copulanda; per Matrimonium verò Christianorum, quod redactum est ad unum & unam, denotetur unio & conjunctio unius Christi unâ cum Ecclesia, simpliciter & absque alio inseparabilis. Et quamvis de iis, qui plures habent Uxores, etiam successivè, sicut inter Christianos accidit sæpius, dicat, eos quandam Sacramenti normam amittere, non loquitur tamen de Sacramento propriè dicto, sed latiori significatione, prout est Signum conjunctionis Christi cum Ecclesia, sicut suprà probavimus, eò quod aliquid tollitur de perfectione hujus significationis inter Christianos etiam, per plures Uxores, quas ducunt successivè; & ideò indigni ordine Ecclesiastico censentur, quia carnem suam in plures diviserunt, cùm tamen Christus uni tantùm Ecclesiæ fuerit copulatus, non autem quia de Sacramentali Gratia aliquid amittant, ut suprà notavimus. Ad *tertium* ingenuè fatemur, Augustinum non obiter, sed ex professo de bono Sacramenti, quod in Matrimonio est, egisse, & indè illius indissolubile vinculum probâsse; indissolubilitatem tamen non ex Ratione Sacramenti propriè, sed ex significatione conjunctionis Christi cum Ecclesiâ, quæ etiam indissolubilis est, deduxisse, manifestè ostendimus ex Opere de *Nuptiis & Concupiscentiâ*. Quod verò Theologi allegati, & inter eos præsertim Bellarminus, contendunt, indissolubilitatem Matrimonii solùm provenire ex ratione Sacramenti propriè sic dicti, fallũ planè est. Et satis (fortè, satius) quidem fuisset illis carere unico Augustini testimonio in disputatione contra hæreticos, ubi tot alia firmissima Catholicæ Veritatis fundamenta contra ipsos præstò sunt, quàm ita abjectè de vinculo Matrimonii secundum se & in ipso Jure Naturali sentire, sicut inferiùs contra ipsos videbimus. Ad *quartum* respondeo, Au-

Matth. 19

gustinum uti quidem exemplo Baptismi, qui nunquam deletur in hæreticis fidem deserentibus, quod attinet Characterem, quin imò eodem modo etiam uti Eum exemplo Ordinationis Ecclesiasticæ; hinc tamen non sequi, Ipsum existimâsse, Matrimonium esse Sacramentum propriè dictum, sicut Baptismus & Ordo sunt, ad hoc enim tantùm prædictis usus est exemplis, ut quamvis ipso facto Matrimonium solvatur, nihilominus reipsâ maneat vinculum, sicut character baptizati semper manet, quantumvis ille, qui Baptismo fidem nostram est professus, ab eâ separetur, & sicut reipsâ manet ordinatus is, qui ab officio removetur. Constat autem, Augustinum in illis locis non solùm agere de vinculo Matrimonii Christianorum, quod est Sacramentum propriè, sed cujuscunque Matrimonii in populo DEI; per populum DEI autem intelligit etiam antiqvum populum Patriarcharum, ut satis superque est probatum.

Ad Bellarmini rationem primam ab insolubilitate Matrimonii desumtam, & Augustini iterùm authoritate firmatam Vasquez porrò hæc habet: In hac ratione aliqua certè adlumuntur, quæ mihi non parùm displicent. *Primùm* quidem, quod perpetuitatem vinculi in voluntatem DEI Matrimonium (ideò) instituentis, ut esset signum conjunctionis CHRISTI cum Ecclesiâ, non autem in ipsam Conjugii naturam & Jus naturale illius, reducere non dubitant, Bellarminus nimirum & sequaces; & cùm simul dicant, Matrimonium infidelium non esse Signum hujus conjunctionis, adserere coguntur, Matrimonium in se infidelium unâ ex illis causis, quas ipsi referunt, in suâ ratione solvi posse, quod tamen manifestè falsum est, alioquin & infideles ad Fidem conversi non cogerentur in quocunque casu cum Uxore primâ manere & reliquas dimittere, cujus oppositum definit Innocentius &c. *Præterea*, quamvis Augustinus ex unione CHRISTI cum Ecclesiâ, quam dicit in Matrimonio repræsentari, quod indissolubilis sit, colligat indissolubile ipsius Matrimonii vinculum, nunquam dicit tamen, ex eò tantùm indissolubile Matrimonium esse, quod conjunctionem CHRISTI cum Ecclesiâ repræsentet; quin imò, cùm in re, quæ in signum alterius desumitur & instituitur, debeat esse quædam naturalis aptitudo, ut suprà diximus, ideò voluit DEUS, ut Matrimonium ex se indissolubile & perpetuum perpetuæ & indissolubilis CHRISTI cum Ecclesiâ unionis esset signum. *Deindè*, quod adsumunt, Matrimonium post CHRISTI adventum solùm esse Signum hujus unionis CHRISTI cum Ecclesiâ, & ideò esse Sacramentum propriè dictum, capite præcedente satis superque impugnatum est, (& demonstratum,) de omni Matrimonio dictum fuisse à CHRISTO, *Quod DEus conjunxit, homo non separet*, ac proindè esse indissolubile, ibidem evicimus. Quare, quamvis indissolubilitas Matrimonii ex Repræsentatione unionis CHRISTI cum Ecclesiâ proveniret, non sequeretur, esse Sacramentum propriè, sed latiori illâ significatione, de quâ hactenus multum diximus. Neque verò usquam Augustinus existimavit, antiqua Patriarcharum conjugia, quæ unius erant Viri cum pluribus fœminis, fuisse solubilia, & ideò non repræsentâsse conjunctionem Christi cum Ecclesiâ; hoc enim absurdum erat manifestè. Nam cùm quisque eorum verè posset dicere ad quamlibet Uxorem illud Adami, *Hoc nunc os ex ossibus meis*, &c. & rursùm Christus de illis, comparatione cujuscunque Uxoris, quam ducebant, verè posset illud dicere & reipsâ dixerit, *Quod DEus conjunxit, homo non separet*, eò quod vera essent eorum Matrimonia, inspiratione DEI facta; non minus indissolubilem Christi cum Ecclesiâ unionem quodcunque Matrimonium illorum potuit repræsentare, & reipsâ repræsentavit, quàm Matrimonium unius cum unâ inter Christianos, nisi quod, ut capite quinto observavimus ex Augustino, ii, qui plures ducebant Uxores, aliquam Sacramenti normam amittebant, videlicet, quod attinet Rationem Sacramenti significationis latiori, quæ consistit in repræsentatione conjunctionis Christi cum Ecclesiâ, non autem Sacramenti propriè dicti, id quod eodem modo etiam accidere in baptizatis Christianis, qui unâ Uxore mortuâ aliam ducunt, ibidem notavimus, ut hinc colligamus, per quodcunque Matrimonium Patriarcharum significatam fuisse indissolubilem CHRISTI cum Ecclesiâ unionem, quamvis aliquid de hac significatione amitterent, videlicet unius CHRISTI cum una Ecclesia, quod tamen contra indissolubile vinculum non erat, neque omninò contra Repræsentationem Unionis CHRISTI cum Ecclesia, ut illo capite quinto ostendimus. *Et hactenus directè contra Bellarminum* de Augustini Sententia circa Sacramenti denominationem Matrimonio adtribuendam *Vasquez*, undè simul etiam patet, quid haberi debeat de Bellarmini responso ad objectum à *Chemnitio* ex eodem Augustino locum. Quamvis autem non

Ibid. cap. 7 §. 69. & seqq.

non necessum fuisset, in horum Augustini locorum & desumtorum ex iis Bellarmini argumentorum examine *Vasquezii* vitulâ arare, dum ex laudatis aliorum Authorum observationibus sufficientes suppeditari potuerint responsiones; quia tamen *Vasquez* simul & semel omnibus satisfacere studuit, utut intermixtis hinc indè hypothesibus non usque adeò indubiis, consultum fuit visum, Socio opponere socium, atque hoc etiam documento ostendere, quàm Bellarmini authoritas apud sui etiam Ordinis & Instituti homines non sit omni ex parte ita eminens, ut ei contravenire non liceat, etsi plerisque pro omnis polemicæ Eruditionis promo & condo, & qui instar sit omnium aliorum, habeatur. Reliqua, quæ ibidem plura contra Bellarminum prolixissimè habet *Vasquez*, utpotè ab Instituto præsenti aliena, & nihil cum Augustino commune habentia, non addo; silentio etiam prætermittens, quæ in sequenti Controversiâ de hujus Sacramenti, si quod est, Ministro Bellarminus ad objectiones *Melchioris Cani*, Ecclesiæ Ministrum ad illud requirentis, nominatim ad objectionem textam, Augustini authoritate fultam, respondit, Lectori committens judicium & simul Eum remittens ad Vindicias *Evangelico Thomisticas*, in quibus de hâc *Cani* Sententiâ actum est. Quæ de Polygamiâ vel successivâ, vel simultaneâ ex Augustino Bellarminus adducit, nominatim de Polygamiâ in Veteri Testamento fidelium & DEO dilectissimorum Patriarcharum, quia nec dum inter Scriptores Papæos omninò convenit, nec aliqua fundamentalis controversia inter illos & Evangelicæ partis Doctores intercedit, Patribus etiam antiquis inter se non consentientibus, quin nec Ecclesiâ Romanensi hactenus aliquid certi definire ausâ, ideò de iis hic quidem nihil.

vid. M. Anton de Domin. l. V. c. XI. num. 48.

Prodiit, postquam hæc scripsi, Parisiis *Launoji* Tractatus de *Regia in Matrimonium potestate*, sive de *Iure Principum Secularium Christianorum in sanciendis impedimentis Matrimonium dirimentibus*, in cujus primæ Partis, Articulique ejusdem secundi capite post decimum primo contra illos agit Scriptores Papæos, *qui Veteris Legis Matrimonio nomen ac dignitatem Sacramenti abjudicant*, inter quos dum Bellarminus suum quoque nomen extare voluit, juvat exindè sequentia adscribere quatuor Augustini testimonia, quæ Sorboniста hic eidem & cæteris voluit cum pluribus aliorum recentium & antiquorum Ecclesiæ Doctorum & Conciliorum testimoniis opponere. *Tria* quidem priora sunt ex Opere de *Bono Conjugali*. Primus ita habet: *Illis temporibus, cum adhuc Propheticis sacramentis nostræ Salutis Mysterium velabatur, etiam qui ante Nuptias erant tales*, (quales in antecedentibus verbis describit Augustinus,) *officio propagandi Nuptias copulabant, non victi libidine, sed ducti Pietate.* Secundus, *Sicut Sacramentum plurium Nuptiarum illius temporis significavit futuram multitudinem Deo subjectam in omnibus gentibus terrenis, sic sacramentum Nuptiarum singularium nostri temporis significat unitatem omnium nostrûm subjectam Deo futuram in unâ cœlesti Civitate.* Launojus addit de suo, Hæc Comparatio Sacramenti nomen & honorem ita defigit in Veteris Testamenti Matrimonio, ut indè refigi non possit. Tertius, *Bonum Nuptiarum per omnes gentes atque omnes homines in causâ generandi est, & in fide castitatis. Quod autem ad populum Dei pertinet, etiam in sanctitate Sacramenti; per quam nefas est, etiam repudio discedentem alteri nubere, dum vir ejus vivit, saltem nec ipsâ pariendi causâ.* Quartus tandem & ultimus est ex Opere de Genesi ad Literam: *Non quia Incontinentia malum est, ideò Connubium, vel quo incontinentes copulantur, non est bonum; imò verò non propter illud malum culpabile est hoc bonum, sed propter hoc bonum veniale est illud malum, quoniam id, quod bonum habent Nuptiæ, & quod bonæ sint Nuptiæ, peccatum esse nunquam potest. Hoc autem est tripartitum, Fides, Proles, Sacramentum. In fide attenditur, ne præter vinculum conjugale cum altero vel alterâ concumbatur. In prole, ut amanter suscipiatur, benignè nutriatur, & religiosè educetur. In Sacramento autem, ut Conjugium non separetur, & dimissus aut dimissa, nec causâ prolis, alteri conjungatur.* Launojus iterùm loco Epierisèos subjungit, Tria hæc in omni Matrimonio sive antiquæ, sive novæ Legis reperiuntur. Ego hic nihil addo, dum quæ hic de indissolubilitate scripsit Augustinus, capite sequenti prolixius sint discussa, nunc autem sufficere possit, ausum fuisse hunc Sorboniстam, quod *Vasquezius* non fuit ausus, contra Synodi Tridentinæ Sententiam, Matrimonio Veteris etiam Testamenti Rationem Sacramenti adscribere, & quidem authoritate Augustini. Et quia Bellarminus aliorum ante *Vasquezium* meminit, hoc idem statuentium, quod Launojus defendit, subjunctâ contra Bellarminum censurâ, juvat utriusque verba adscribere. Bellarmini hæc sunt: *Non desunt Catholici, qui admittunt, Matrimonium non esse Sacramentum novæ Legis proprium, sed fuisse in Lege Veteri etiam*

c. 13. c. 18. c. 24. l. 9. c. 7.

apud Iudæos, & à Christo non tam institutum, quàm confirmatum; *ita enim docet* Alphonsus à Castro, libro contra hæreses undecimo, *Verbo*, Nuptiæ, *Hæresi tertia*; Petrus à Soto, Lectione secundâ de Matrimonio, *& alii quidam, quorum rationes sunt præcipuè tres*:
cap. 5. *Prima*, quia Apostolus ad Ephesios de Conjugio Adami & Evæ dicit, Sacramentum hoc magnum est &c. *Secunda*, quia DEus in Genesi benedixit Conjugio Adami & Evæ, ex quo videtur Gratiam signo adjunxisse. *Tertia*, quia Leo Magnus dicit, Nuptias ab initio sic institutas, ut haberent in se Christi & Ecclesiæ Sacramentum. *Launojus hæc*
Epist. 92. *subjicit*, Postquam Bellarminus testimonium historicæ Veritati dedit, continuò subnectit, sibi non videri, quod ista tutò defendi possit Sententia, propter Concilium *Florentinum*, quod Matrimonium Sacramentis novæ Legis connumerat, & propter Synodum *Tridentinam*, quæ idem facit. Quasi verò, *ita porrò Launojus*, qui Tridentinæ non interfuit Synodo, Bellarminus, mentem ejus cognoverit melius, quàm *Alphonsus* æqualis Synodo, & *Sotus*, qui eidem magnâ cum Eruditionis famâ interfuit. Ad *Florentinum* quod attinet Concilium, Bellarminus peccat in duobus, & *primò* quidem, quod Florentinum Concilium dicendum non fuit, sed Eugenius quartus in Decreto pro unione Armenorum; finitum erat Concilium, ubi Decretum est editum. *Deinde* Matrimonium potuit esse utriusque Legis Sacramentum, licet in novâ Lege perfectius, quàm in vetere, quod neque Eugenius, neque Patres Tridentini negârunt unquam. Porrò Bellarminus non videtur satis fuisse versatus in Traditione, quæ Matrimonii Doctrinam complectitur. Hæc ibi *Launojus* contra Bellarminum, quæ alibi etiam poterunt inservire.

CAPUT DUODECIMUM, & seqq.

De

Matrimonii solubilitate vel insolubilitate.

TRiplicem in hâc Quæstione Controversiam tractat, quorum *prima* tangit Matrimonium infidelium, vel cujus una pars est fidelis, altera autem infidelis; *secunda* solubilitatem vel insolubilitatem quoad thorum & cohabitationem, *tertia* verò quoad vinculum. Ubique Augustini mentio occurrit. In *primæ* Quæstionis discussione ut obtineat Bellarminus, extra controversiam esse, *Conjugium infidelium solvi posse etiam quoad vinculum, si alter Conjugum convertatur ad Fidem, & alter nolit ei cohabitare*, ad doctrinam Pauli præprimis provocans; quia vidit obstare doctrinam Christi, dicentis, *quod DEus conjunxit, homo non separet*, Et ibidem, *Qui dimiserit uxorem exceptâ for-*
1. Cor. 7. Matth. 19. *nicationis causâ* &c. Chemnitium accusavit, non rectè loca hæc Christi & Pauli conciliantem, *quasi Christus de eo loquatur, qui injustè dimittit, Paulus autem de eo, qui injustè dimittitur*, hâc Augustini observatione usus: *Augustinus notat, Paulum non permittere tantùm Conjugi deserto ab infideli aliud inire Matrimonium, sed permittere etiam simpliciter, dimittere infidelem, etiamsi cohabitare velit*; *& solùm consulere Eum, non autem præ-*
Lib. I. de adult. conjug. c. 1. & seqq. *cepere, ut Conjux fidelis non dimittat infidelem Conjugem, si is velit cohabitare, & ideò si quis dimittat cohabitare volentem, non peccare contra ullum præceptum.* Dicendum est igitur cum Augustino, *inquit Bellarminus*, Christum loqui de Matrimonio inter fideles, Paulum de Matrimonio inter infideles contracto, id quod Paulus ipse satis declarat. Nam cùm dixisset, *Præcipio, non Ego, sed Dominus, Vxorem à Viro non discedere*, subjungit, *ceteris autem Ego, non Dominus dico, si quis habet Vxorem infidelem, & hæc consentit habitare cum illo, non dimittat illam* &c. Ubi per cæteros intelligit eos, qui Matrimonium ante Fidem contraxerunt, de quibus nihil præceperat Dominus. *De his ergò Paulus consilium dat, ut Vir non dimittat Vxorem infidelem, si ea velit cohabitare sine injuriâ Creatoris. Sed quia hoc est Consilium, non præceptum, ideò licet etiam dimittere Vxorem infidelem, & tunc maximè, si nolit cohabitare.* Ut Chemnitium ab accusatione Bellarminianâ vindicemus, Oraculo Christi ad Quæstionis tertiæ Examen reservato, de Pauli Sententiâ nunc agendum est, circa quam in genere contra Bellarminum observari debet, *Ambrosium Catharinum* ei contradicere & scribere, verbis sequentibus: *Qui sunt isti cæteri, quibus se ait dicere, & non Dominus? Oportet, ut à superioribus dependeat hæc declaratio. Dixerat enim*, IIS AUTEM, QUI MATRIMONIO *&c. nunc consequenter ait*, Cæteris autem &c. *Procul dubio eos significari oportet, qui non sunt Matrimonio juncti.* Porrò *cum inchoatum prosequatur Sermonem de Matrimonio junctis, ideò referri hoc adsuperiora est necessum, ubi scripsit*, Dico autem, non nuptis & Viduis &c. *ut nunc declaret, se illis talia dixisse, non quasi expresè à Domino accepisset, sed illa suo Spiritu admonuisse.*

Non

Non *ergò potest hoc inferioribus, quæ statim subnectit, aptari, licet id quidam velint, quoniam de iis, qui Matrimonio juncti sunt, agit, ut manifestè patet; nisi fortè pro non-Matrimonio accipit illud, quod erat apud infideles. Sed non placet hæc evasio, superioribus igitur aptari debet.* Alibi ibidem ad Oraculum hoc notata jam non addo, quia in specie ad authoritatem Augustini veniendum est, de quâ alii Interpretes, nominatim *Gagnæus*, Sorboniста, ad Controversiam præcedentem quoque laudatus, qui hoc Scholion adposuit verbis Pauli: *Vult Paulus, quod si quis infidelium ad Fidem convertitur, manente altero in Infidelitate, non dirimatur propterea Matrimonium, modò qui remanet infidelis consentiat, scilicet, citra injuriam Creatoris & Fidei, cohabitare fideli, quia ut Græci hic dicunt, Si fideli statim liceret abjicere infidelem, omnia tumultibus ac turbatione essent plena.* Porrò *etiam contingit plerumque, à fideli infidelem converti, ideò non vult Paulus hujusmodi Matrimonia dirimi; quanquam Augustinus propter hæc verba,* Dico autem Ego, non Dominus, *dicat esse consilium Christiano* (datum,) *ut* (aut) *infidelem etiam consentientem retineat, aut si velit, abjiciat.* (Sed) *Theodoretus,* (Interpres) *Græcus, ait esse præceptum, solvens Augustini rationem, cujus verba ita vertimus:* Dico autem Ego, pro eo, quod est, non invenio hujusmodi legem in Divinis Evangeliis scriptam, nunc verò illam addo. Quod enim ipsius Apostoli leges sint leges Domini Christi, manifestum est iis, qui Divinas callent Scripturas; ipsius enim vox illa est, An experimentum quæritis Christi in me loquentis? Et illud, Non Ego, sed Gratia Dei mecum. Sic & hoc loco Spiritu Sanctissimo per Eum loquente legem tulit Apostolus. Ita *Theodoretus* & exindè *Gagnæus*, Sententiam *Theodoreti* faciens suam. Prolixius autem hunc locum contra Bellarminum authoritate Augustini nitentem tractat *Esthius*, omninò iterum hic ob ingenuam mentis & pennæ libertatem audiendus vel legendus, scribens: *Multi cæteros intelligunt Christianos, conjuges (adhuc) infideles (secum) habentes, quibus scilicet ante Fidem Christi susceptam fuerant conjuncti; hos enim consequenter instruit Apostolus, quantum ad Conjuges dimittendos vel non dimittendos, cum in præcedentibus tantum egerit, ut volunt, de conjugibus, quorum uterque Christianus esset. Sensum verò hunc faciunt:* Cæteris Ego svadeo, cæteros hortor & moneo; non enim habeo præceptum Domini, quod iis adnuntiem. *Hæc Augustini Expositio est, cujus Sententiam verbis ipsius reddidit* Sedulius *in Commentario, juxta quos non præcepti est, sed Consilii, quod sequitur, ne fidelis Conjugem infidelem dimittat, si consentiat habitare secum; quâ in re Augustinum sequuntur Author Glossæ interlinearis*, Lombardus & Gratianus, *adprobante Glossâ*, Item Hervæus, Aquinas, Lyranus & Carthusianus *in Commentariis, nec non Sententiarii plerique, quibus & accedit* Dominicus à Soto. *Verùm aliis hæc Sententia non probatur, nec verò probanda est.* NB. *Nunquam enim in Ecclesiâ fuit permissum, ut fidelis conjugem infidelem, cui in Paganismo fuerat conjunctus, absq. Religionis injuriâ commanere volentem, à se dimitteret. Quod si licuisset, uti prudenter* Theophylactus & Oecumenius *adnotant, in magnam reprehensionem venisset Religio Christiana, per quam Conjugia legitimè contracta tam facilè dirimerentur, non sine gravi perturbatione Societatis humanæ.* Quapropter *& ipse Augustinus diligenter inculcat, hoc, quod licitum dici possè putat, non tamen expedire. Sed in* Retractationibus *fatetur, se in eo Opere, quod de* adulterinis Conjugiis *scripsit, non pervenisse ad perfectam Quæstionis enodationem, quam ibi tractavit.* Lib. II. cap. 57. Et postquàm duplicem verborum Pauli Expositionem ab Augustini Sententiâ abeuntem tradidit *Esthius*, posteriori suum adjiciens calculum, quam è Patribus antiquis *Tertullianum* indicasse, è recentioribus autem Scripturæ Interpretibus solidè probâsse *Catharinum*, suffragante *Iohanne Hesselio*, Lovaniensi monuit, hoc addidit: *Hoc, quod sequitur de Fratre uxorem habente infidelem, novum & diversum à superiori est argumentum, eatenùs tamen cohærens illis, quæ dixit de Conjuge non dimittendo, quia continet peculiarem casum, quo possit Conjux dimitti, non obstante Domini præcepto.* In proximè sequentibus ad ulteriora Pauli verba contra Bellarminum observavit: *Quod sequitur, non dimittat illam*, nimirùm fidelis infidelem cohabitare volentem, *Præceptiest, non Consilii, tàm ex eorum Sententiâ, qui secundam Expositionem, quàm qui tertiam partis antecedentis tradunt; Præcepti, inquam, quo prohibet Viro fideli, ne Vxorem infidelem dimittat, modò consentiat habitare cum ipso, eo sensu, qui jam expositus est*, id est, *salvo religionis honore, & ut dici solet, citra contumeliam Creatoris, extensâ tamen hâc locutione ad quamvis notabilem ac permanentem religionis Christianæ injuriam, ubi & studium pertrahendi conjugem ad peccata damnabilia comprehenditur.* Loco probationis subjungit: *Pertinet hoc præceptum ad Legem Naturæ Divinitùs propalatam iis verbis, & adhærebit Vxori suæ.* Plura itidem hic ab *Esthio* observata adscribere supersedeo, utpotè ab Instituto præsenti alieniora, quamvis non

parùm hanc Pauli explicationem contra Bellarminum confirmantia. Post hunc *Fromundus* Augustini quidem & Ejus authoritate Bellarmini Sententiæ adhærens, non tamen inficias ire potuit, quo minus agnosceret, *multos hodie Scholasticos negare, fuisse licitum, dimittere, videlicet infidelem, si separata esset cohabitare sine Creatoris contumeliâ; quia Christus, inquiunt, tantùm dedit privilegium dimittendi & dissolvendi Conjugium, si infidelis ultrò discedere vellet, vel cohabitare quidem, sed cum injuriâ Creatoris.* Omnibus ferè aliis succedens *Franciscus Carriere*, Minorita, statuit, *Quæstionem Corinthiorum fuisse, an fidelis possit conjungi & cohabitare infideli? Respondisse Paulum, posse, imò debere, si infidelis consentiat pacificè cum fideli habitare.* Addit, *Infidelitas tempore Pauli non erat impediens aut dirimens Matrimonium, jam verò inductum est consvetudine in Ecclesiâ, ut non hæresis, sed infidelitas, non tantùm impediat, sed etiam dirimat.* Pergit, *Ratio Pauli hæc est, Sanctificatus est enim Vir infidelis per Mulierem fidelem*, q. d. *Matrimonium & conjunctio ista est sancta, nec profanatur per disparitatem cultûs nubentium, sed infidelis potius morali quâdam denominatione & quasi adspergine Sanctitatis* (ut ait Anselmus,) *indè sanctificatur, tùm quia maritus est Sancta, id est, fidelis conjugis, tùm quia eam in Fide suâ non impediendo & benevolè cum eâ vivendo quasi viam sternit sibi, ut per Preces (merita) & Exempla conjugis convertatur & ipse.* Post quædam, *Alia ratio subjungitur, aliquin filii vestri essent immundi, nunc autem sancti sunt*, q. d. *Si faciatis divortium, & alias ineatis Nuptias, filii vestri habebuntur quasi adulterini & illegitimi; nunc autem Sancti sunt*, id est, *mundi seu legitimi, (τὸ enim Sancti opponitur immundis,) mundi autem*, id est, *ex honesto & legitimo Matrimonio concepti & nati.* Ita Ambrosius, Anselmus, Thomas & Augustinus, qui cæteris omninò præponi debuit. Horum Interpretum Papæorum notata si attendantur, facilè *Chemnitium* ab accusatione Bellarminianâ poterunt liberare, ne objecta Augustini authoritas ullum ei vel Evangelicis adferre possit damnum.

NB.

Ad *secundam* nunc Quæstionem de solutione Matrimonialis vinculi *quoad thorum & cohabitationem* ut breviter aliquid dicamus, Bellarminus primæ objectioni contra eam à *Chemnitio* factæ, quâ ad verborum Pauli ab adversâ parte non bene intellectorum provocat sensum à Scriptore intentum, responsurus, Augustini iterùm nititur authori-

1. Cor. 7. tate. Apostoli verba hæc sunt: *Præcipio, non Ego, sed Dominus, uxorem à Viro non discedere* &c. De iis Bellarminus hunc in modum scribit: *Catholici ex hoc loco verissimè divortium justum & licitum, manente tamen vinculo didicerunt; quamvis non ex hoc solùm loco, sed ex aliis multis etiam, ut suprà ostendimus. Nam ut Augustinus rectè vidit &*

L. cit. *monuit, non loquitur Paulus de eâdem discessione, cùm ait*, Præcipio, Uxorem à Viro non discedere &c. *Et cùm ait*, quod si is discesserit, manere innuptam. *Nam in priori loco agit de injustâ discessione, in posteriori autem de justâ. Si enim Apostolus ageret de separatione illicitâ ob leves causas, cùm ait*, Quod si discesserit &c. *non daret conjugibus optionem, ut post separationem aut manerent innuptæ, aut viris suis reconciliarentur, sed simpliciter præciperet, ut Viris reconciliarentur. Si enim Dominus uxorem à Viro discedere prohibuit, nimirùm sine justâ causa, ut ipse testatur Apostolus; quomodò fieri potest, ut idem Apostolus ibidem permittat contra Domini præceptum, uxorem à Viro sine justâ causâ separatam manere? Quare hic erit sensus Apostoli*, Præcipio, non Ego, sed Dominus, *Vxorem à Viro non discedere, nimirùm sine justa causa; quod si discesserit, causa nimirùm justâ inventa, manere innuptâ &c.* Non meis, sed *Esthii* iterùm verbis hoc Bellarmini ex Augustino responsum pro *Chemnitii* Innocentiâ ostendam esse infirmum, qui ad laudatum Apostoli Oraculum hæc notat: *Illud, si discesserit, Augustinus intelligit ex causâ, qua discedere licet; nam aliter* (forte legendum, aliàs) *Apostolum non dicturum, maneat innupta, sed omninò jussurum, ut ad suum revertatur Virum. Igitur hic illam innui vult exceptionem, quam Dominus in suo expressit Præcepto, dicens*, nisi ob fornicationem, *quæ hoc loco propterea est tacita*, ait Augustinus, *quia*

NB. *est notissima. Verùm*, ita notantur Esthius, *hâc tanta verborum tàm generalium restrictione nihil arbitror opus esse, nec video, quid obstet, quò minus generaliter, ut verba sonant, hunc discessum sive Separationem interpretemur, ut Sensus sit: Quod si separata fuerit à Viro, idque vel sponte digressa, sive propter ejus fornicationem, sive propter aliud; vel ab illo dimissa ob quamcunque causam, (ut solent tam Iudæi, quàm gentiles qualibet ex causa suas dimittere Vxores,) non licebit ei cum alio conjungi viro, cùm Dominus expressè dicat*, Si uxor dimiserit virum suum, & alii nupserit, mœchatur &c. Sed maneat innupta aut &c. *Nam*

Marc. 10. *quod objicitur de optione Mulieri datâ, quæ locum non habeat, nisi ex justa discesserit causa, quomodo dilui possit, infrà dicemus.* Id in sequentibus ita habet: *Cùm Apostolus eam Mulierem, quæ discessit à viro, disjuncti vè jubeat aut innuptam manere, aut suo reconciliari Viro,*

resi at

restat breviter dicendum, quando manere possit aut debeat innupta, & quando reconciliari viro. Primùm *igitur innupta potest manere absq; reditu ad virum, si propter ejus fornicationem ab eo fuerit digressa. Sic agens utitur suo jure, quo potest adulterum ob fidem Conjugii violatam simpliciter à carnibus suis abscindere. Poterit nihilominus, imò suadente charitate debebit operam dare, ut viro resipiscenti reconcilietur, si vel suâ, quod sentiat se non posse continere, vel viri salus, alioqui vocanda in discrimen, ita fieri postulet. Innupta autem debebit manere, si vir in adulterio, propter quod dimissus ab eâ fuit, perseveret,* (id quod ad mentem Synodi Tridentinæ scripsit Esthius.) *Cogetur etiam manere innupta, propter quamlibet causam dimissa aut digressa, si vir eam nolit recipere, nec compelli possit, ut recipiat.* Post aliqua: *Ex his intelligitur, Apostolum non dare Mulieri, quæ discessit, optionem liberam, ut quomodocunq; discesserit, aut innupta manere possit, aut ad virum redire; sed disjunctivum Apostoli sermonem diversos spectare casus, quoniam alii cogant Mulierem manere innuptam, alii compellant ad reditum, quamvis & contingat existere casum, in quo libera Mulieri sit optio utrumlibet eligendi.* NB.

Tertia nunc restat Quæstio, eaq; momenti aliquantò gravioris, nimirum de solubilitate Matrimonii quoad vinculum in casu fornicationis vel adulterii, circa quam fatetur Bellarminus mox ab initio, *multos se habere adversarios*, præter hæreticos nimirùm, quos dicit *Latinos*, etiam *Græcos*, *Erasmum* quoque, & ex numero, quos vocat, Catholicorum, nominetenùs *Cajetanum & Ambrosium Catharinum*. Contra hos ut adstruat, *Matrimonii inter fideles contracti & consummati vinculum esse adeò insolubile, ut neque causâ fornicationis possit dirimi, & ideò vivente Conjuge priore nunquam esse licitum ad alias adspirare Nuptias*, provocat partim ad Oracula Scripturæ, partim ad testimonia Patrum. Inter Oracula Scripturæ duo sunt, quæ Augustini muniuntur authoritate, primum videlicet & tertium. Et *primum* quidem, cui utpotè parallelum proximè adjungitur secundum, ex ore Christi ita habet: *Omnis, qui dimiserit Vxorem suam, excepta fornicationis causa, facit eam mœchari; & qui dimissam duxerit, adulterat.* Matth 5. & 19. Ex omnibus autem horum Christi verborum explicationibus optimam Bellarminus esse dicit Augustini, docentis, *Matthæum, vel potius Dominum apud Matthæum accepisse illud*, nisi ob fornicationem, *negativè, non exceptivè, ut sensus sit:* Quicunq; dimiserit Uxorem, nisi ob fornicationem, id est, extra causam fornicationis, & aliam duxerit, mœchatur. Ex quo adfirmatur quidem ejus adulterium, qui dimissa uxore extra causam fornicationis duxerit aliam; sed nihil dicitur de eo qui duxerit aliam priore ob fornicationem dimissa. Lib. 1. de adult. Conjug. cap. 9.

Tertium verò oraculum ex Apostoli pennâ hoc est: *An ignoratis, Fratres, (scientibus Legem loquor) quia lex in homine dominatur, quanto tempore vivit? Nam quæ sub Viro est mulier, vivente Viro adligata est Legi; Si autem mortuus fuerit Vir ejus, soluta est à Lege viri. Igitur vivente viro vocabitur adultera, si cum alio fuerit viro &c.* Rom. 7.

Post laudatum Pauli ex priori ad Corinthios Epistolâ testimonium simile, subjungit Bel-
„larminus: Ex his locis colligimus, nunquam solvi vinculum conjugale, nisi per Mor-
„tem; & quia non solvitur, manere etiam post divortium quâcunque de causa factum.
„Addit: Hoc argumentum tanti fecit Augustinus, ut clamaverit: Hæc Apostoli ver-
„ba toties repetita, toties inculcata, sunt vera, sunt viva, sunt sana, sunt plana. Nullius
„viri posterioris Mulier esse incipit, nisi prioris esse desierit. Esse autem desinet Uxor
„prioris, si moriatur Vir ejus, non si fornicetur. Licitè itaque dimittitur Conjux ob
„causam fornicationis, sed manet vinculum prioris. Propter quod sit reus adulterii,
„qui dimissam duxerit, etiam ob causam fornicationis. In serie testimoniorum ex Patribus, ad Seculum numero & ordine quintum, decretis Conciliorum *Milevitani & Africani*, ut & responso *Innocentii* Pontificis accenset authoritatem Augustini, ex professo hoc docentis, tùm in libris de *adulterinis Conjugiis*, tùm in libro de *Bono Conjugali*, nullis tamen verbis in specie adductis. Ibid. lib. II. cap. 4.

Sequuntur tandem rationes, inter quas primum occupat locum, *quod Matrimonium fidelium sit Signum conjunctionis Christi cum Ecclesiâ, quæ unio cùm sit indissolubilis, sequi, etiam conjugale vinculum esse indissolubile*; addito, *hanc rationem à Sacramento ductam valdè Augustinum urgere.* Sed quia hujus à Sacramento rationis invaliditatem ad Controversiam antecedentem ostendit *Vasquezius*, repetitione opus non est. Post ad objectiones *Chemnitii* progreditur Bellarminus, è quarum numero tertia & nona Augustini respiciunt authoritatem. *Tertia* illud exhibet oraculum Christi, ad quod Bellarminum primo statim loco vidimus provocantem. *Ex eo hanc objectionem Chemnitii adducit Bellarminus*: Pharisæi Christum interrogantes, an liceret uxorem dimittere, loquebantur de dimissione quoad vinculum, & non tantùm quoad thorum; neque enim aliam

cogno-

cognoverant dimissionem, nisi quæ in Lege permittebatur. Illa autem talis erat dimissio, ut aliam ducere liceret. Christus igitur respondens eis etiam loquitur de dimissione quoad vinculum, nam alioquin non respondisset ad propositum. Undè semper Dominus conjungit dimissionem unius cum acceptione alterius, dicens, *Quicunq; dimiserit uxorem suam, & aliam duxerit &c.* Sed de illâ dimissione quoad vinculum loquens excipit causam fornicationis, ergò voluit posse dimitti uxorem quoad vinculum in causâ fornicationis. Et confirmatur *primò* argumentum hoc à Sensu contrario. Nam sicut Christus dicit, Qui dimittit uxorem, exceptâ fornicationis causâ, & aliam ducit, mœchatur; ergò (vel, ita) qui propter causam fornicationis dimittit uxorem, & aliam ducit, non mœchatur. Sunt autem hæc argumenta à contrario sumta omnium & manifestissima & firmissima. *Secundò* confirmatur ex eo, quod Augustinus, qui contrarium sensit, non potuit istum explicare locum, nisi miserè torquendo Textum Evangelii. Dicit enim, hunc esse Sensum exceptionis, quod illi gravius quidem peccent, qui sine causâ fornicationis faciant divortium, sed tamen & illos adulterii reos esse, qui propter causam fornicationis priore dimissâ Uxore aliam ducant. At inspiciatur Textus, & manifestum erit, Christum hoc non dicere. *Præterea*, particulæ παρεκτὸς & εἰ μὴ illam Augustini contorsionem non admittunt, nam in Scripturis passim accipiuntur exceptivè. *Respondet Bellarminus*: Ad hoc argumentum duplex solutio potest adhiberi. Nam illa Matthæi verba, nisi ob fornicationem, possunt accipi exceptivè, vel negativè; & *siquidem accipiantur exceptivè*, tùm respondendum est, Christum non loqui de dimissione quoad vinculum, sed solùm quoad thorum, quando concedit dimissionem in causâ fornicationis. *Dices*, At Pharisæi interrogaverant de dimissione quoad vinculum, ergò & Dominus de eâdem respondit. Concedo, Pharisæos de dimissione quoad vinculum interrogâsse, sed nego, Dominum de eadem respondisse. Ergo, *inquit adversarius*, Dominus non satisfecit propositæ Quæstioni. *Neganda est consequentia.* Nam cùm in dimissione perfectâ, quæ est quoad vinculum, duo contineantur, dimissio unius & potestas aliam ducendi; Dominus hæc duo separavit, ac unum quidem concessit, dimissionem videlicet, cum restrictione ad causam fornicationis, alterum verò sustulit omninò. Et hæc est causa, cur ferè semper Dominus illa duo posuerit distinctè, *Quicunque dimiserit, &, aliam duxerit &c.* ut nimirùm explicaret repudium in Lege permissum, & partim adprobaret, partim improbaret. Ad argumentum igitur (ejusve primam confirmationem,) à Sensu contrario (juxta primam Solutionem) respondeo, *inquit Bellarminus*, nihil illud concludere. Nam si exponamus verba Domini hoc modo, *Quicunque dimiserit &c.* id est, mœchatur illam dimittendo, quia facit eam mœchari, & mœchatur aliam ducendo, quia propriè committit adulterium, atq; ita bis mœchatur, tunc à contrario Sensu est inferendum, Ergò, qui propter fornicationem dimittit Uxorem, & aliam ducit, non mœchatur bis, sed semel tantùm, id est, non mœchatur dimittendo, sed solùm accipiendo aliam, & hoc est verissimum. Sic etiam si alteram accipiamus Expositionem, quæ talis est, *Quicunque dimiserit Vxorem suam, nisi ob fornicationem*, id est, quod non licet, nisi ob fornicationem, & aliam duxerit, mœchatur, à sensu contrario non potest inferri, nisi hoc, Ergò, qui propter fornicationem dimittit uxorem, & aliam ducit, non peccat dimittendo, sed solùm mœchatur aliam ducendo. *Et hæc de primâ solutione Bellarminus, de alterâ autem sequentia habet*: Si cum Augustino accipiamus illa verba, nisi ob fornicationem, non exceptivè, sed negativè, tunc id argumentum principale admittimus, Christum loqui de dimissione quoad vinculum, ut Chemnitius contendit, sed negamus, concedi istam dimissionem in causa fornicationis, quia illud, nisi ob fornicationem, non est exceptio, sed negatio; negat enim Dominus, licitam esse talem dimissionem sine causa fornicationis, sed non dicit esse licitam, si adsit causa fornicationis. Ad *primam* (igitur) confirmationem respondeo, argumentum à sensu contrario non concludere, nisi rectè accipiantur contraria. Jam in proposito cùm dicimus negativè, Quicunque sine causa fornicationis uxore dimissâ ducit aliam, mœchatur, non rectè infertur, Ergò qui propter fornicationem Uxore dimissâ ducit aliam, non mœchatur, sed tantùm inferri potest, ergò minus graviter mœchatur. Nam qui sine causa fornicationis uxore dimissa ducit aliam, non ideò mœchatur, quia sine tali causa aliam ducit, sed quia aliam ducit, quod autem ea absit causa, non facit eum mœchari, sed facit eum mœchari cum injuriâ Conjugis prioris. Et ideircò qui propter fornicationem priore dimissa ducit aliam, mœchatur quidem, sed minus graviter, quia sine injuria prioris Conjugis. Ponit exemplum Augustinus ex oraculo Jacobi, scribentis, *scienti bonum & non facienti, peccatum est illi.* cap. 4.

est illi. Neque enim à sensu contrario debet inferri, Ergò ignoranti bonum & non facienti, peccatum non est illi, nam sunt etiam peccata ignorantiæ; sed inferri debet, ergò ignoranti bonum & non facienti, minus peccatum est, quam si sciens peccâsset. Quemadmodum si quis diceret, qui nisi ob inopiam furatur, peccat, inde non posset inferre, Ergò qui ob inopiam furatur, non peccat, sed ergò, qui ob inopiam furatur, minus peccat, nisi fortè sit extrema necessitas, quia tunc non modò non peccatum, sed nec furtum esset adpellandum. Ad *secundam* (verò) confirmationem respondeo, Chemnitium semper sui esse similem, id est, fraudulentum & mendacem; neque enim Augustinus usquam scripsit, exceptionis illius, nisi ob fornicationem, esse sensum, quod illi gravius peccent, qui sine causa fornicationis divortium faciunt, quasi proposita fuisset quæstio, quodnam ex illicitis divortiis esset gravius. Nihil inquam tale scribit unquam Augustinus, sed solùm, Christum in Evangelio Matthæi expressisse unam adulterii speciem, eamque gravissimã, aliis prætermissis, quia id requirebat locus & tempus disputationis illius cum Pharisæis habitæ. Ad illud, quod Chemnitius ultimò de particulâ exceptivâ objecit, respondeo, *inquit Bellarminus*, negari non posse, illas sæpè accipi exceptivè, ut loca à Chemnitio allata demonstrant; sed tamen posse etiam aliter accipi. *Deindè* etiam si in hoc testimonio Matthæi vox, Nisi, accipiatur exceptivè, tamen poterit esse exceptio negativa, & id sufficit Sententiæ Augustini. Cùm enim dicitur, *Quicunq; dimiserit uxorem, exceptâ fornicationis causa, & aliam duxerit, mœchatur*, potest excipi causa fornicationis, vel quia cùm ea adest causa, adulterium non est, aliam ducere, & hæc est exceptio adfirmativa; vel quia de eâ causa nihil in præsentia determinatur, an sufficiat excusare adulterium, nec ne, & hæc est negativa, quam Augustinus rectè amplexus est. *Objectio Chemnitii nona*, prout à Bellarmino exhibetur, Augustini respiciens authoritatem, hæc est: *Pollentius* quidam Augustini Sententiæ de illicito post divortium Conjugio contradixit apertè, non igitur erat hoc Augustini tempore Dogma Catholicum. *Bellarminus respondet*, Pollentius non contradixit Augustino, sed Eum consuluit circa Quæstionem obscuram & loca Scripturæ difficilia, ut ex principiis libri utriusq; potest intelligi. Neque mirum est, si Augustinus Pollentium non vocavit hæreticum, nec acriter increpavit; non enim hæretici sunt, quicunque errant in Fidei doctrinâ, sed qui pertinaciam adjungunt ad errorem, quod Pollentius non legitur feciſſe. Quare idem Augustinus in Epistolâ ad Volusianum tertiâ non reprehendit Volusianum, sed modestè admonet & instruit, licet quæstiones Ei proposuerit impias planè. Adde, quod Augustini tempore non erat Dogma hoc ab aliquo generali Concilio explicatum, & ideò facilius excusari poterant, si qui in hâc re errâssent. Quare idem Augustinus in libro de *Fide & Operibus* dicit veniaaliter falli, qui ob Scripturæ obscuritatem existimant, eum non esse adulterum, qui uxore dimissa fornicationis causa aliam ducit.

Hæc omnia pro Augustini Sententiâ Bellarminus, ad quæ ante, quàm breviter respondeamus, lubet hic in gratiam Lectoris curiosi referre, quæ circa eam pro & contra sub initium hujus Seculi in celeberrimâ Universitate *Oxoniensi*, inter *Iohannem Horosonum* & *Thomam Pyum*, Theologiæ ibidem Professores sunt disputata, illo Augustini & Bellarmini, hoc autem oppositam ei Sententiam defendentibus, publicato sine Authoris nomine sub idem tempus Tractatu, in gratiam Sententiæ Augustini, quam contra *Thomæ Pyi* exceptiones defendit, unde aliqua in rem hanc adduci merentur, ne quid prætermittatur, quod ad Augustini authoritatem videtur pertinere. Dicit verò Author hujus Tractatûs, *Pyum* duo contra hanc Sententiam objicere, *unum*, quod Augustinus in hâc Quæstione dubitet, hæsitet & se interdùm revocet; *alterum*, quod unicus & is expeditu facillimus fuerit nodus, qui impedierit Augustinum, ne novas post divortium ob Adulterium nuptias probaret, & ad hæc duo confirmanda *Pyum* duo Augustini proferre loca. *Vnum* ex libro de *Fide & Operibus*, cujus etiam meminit Bellarminus, hoc verborum tenore: *Quisquis Vxorem in adulterio deprehensam dimiserit, & aliam duxerit, non videtur æquandus iis, qui excepta adulterii causa dimittunt & ducunt; & in ipsis Sententiis Divinis ita obscurum est, utrum & iste, cui quidem sine dubio adulteram licet dimittere, adulter tamen habeatur, si alteram duxerit, ut quantum existimo, venialiter ibi quisq; fallatur.* Addit Horosoni hyperaspistes: Ex hoc loco cùm Pyus concludit, Augustinum non modò dubitâsse, sed & revocâsse Sententiam, attendisset etiam ad illud, quod ibidem verbis subjicitur proximis, *eos qui dimissâ adultera ducunt aliam, in permagnum discrimen suam mittere capita.* Quo certè modo Augustinus de iis nunquam fuisset locutus, si eos tantùm venialiter falsos & deceptos putâsset. De eo igitur, qui hominem novis post divortium ob adulterium

cap. 19.

cõf. Voet. Pol. Eccl. Tom II. p. 171. & seqq.

nuptiis

nuptiis non renuntiantem admitteret ad Baptismum, loquitur Augustinus, & quidem Baptismi ministrum, si talem ad sacrum admiserit Lavacrum, venialiter falli putat, quia res in Divinis Sententiis ita est obscura; ipsum verò baptizandum, in eo, quod dimissa (per divortium) adulterâ duxerit aliam, venialiter falsum fuisse nunquam dicit. Postulant ita accipi hunc locum ipsæ circumstantiæ, ubi Quæstio tractatur, an hujusmodi maritus sit ad Baptismum admittendus; postulat & argumentum libri, ut qui contra eos est scriptus, qui Professores Fidei Christianos, etsi adhuc in peccatis nefariis & manifestis hærerent, nihilominus ad Baptismum admittendos contenderunt. *Alterum* ex libro cap. 7. de *Bono Conjugali*, ubi profitetur Augustinus, se mirari, si quemadmodum dimittere licet Uxorem, ita licet eâ dimissa aliam ducere; ubi etiam unum modò Scripturæ nodum indicat, (de quo in antecedentibus actum est,) quo impediretur, ne hoc existimet licere. Ad hunc locum, *scribit Horosoni hyperaspistes*, quatenus ad priorem Pyanam objectionem spectat, respondeo, ut detur illud, Augustinum, dum ista scriberet, de hâc Quæstione nonnihil dubitâsse, (mirari enim non est Scientiæ, sed ad Scientiam,) nihil tamen hinc incommodi. Quid enim, si obiter hanc Quæstionem respiciens, & aliud ex professo agens, dubitantius pronuntiat, ideòne etiam in iis, quæ posteà scripsit, ubi hanc rem tractat ex professo, ubi disertè, & constanter, & sæpiùs agit, hujusmodi Conjugia esse adulterina, de authoritate solitâ amittet? aut in iis quoque locis dubitare & hæsitare dicetur? Quanquam de masculo tantùm conjuge miratur eò loci Augustinus, utrum ne ipsi quidem liceat alteram priore ob adulterium dimissâ ducere; nam de fœmina sine omni dubitatione ibidem pronuntiat, in eâ hujusmodi nuptias esse adulterinas. Unde etiam de Marito, quod initio (more modestorum) dubitanter proposuerat, satis disertè concludit: *Quomodò* inquit, *Viro possit esse licentia ducendæ alterius uxoris, si reliquerit adulteram; cùm Mulieri non sit licentia nubendi, si adulterum reliquerit, non video?* Quid est illud, *non video?* Manifesta certe res est, Augustinum hoc loco contra Sententiam Ambrosii, quem plurimi faciebat, disputare; (Ambrosius enim in hunc locum soli fœ-
1. Cor. 7. minæ novum post divortium ob adulterium putat illicitum esse conjugium,) & hæc sanè causa, non aliqua Sententiæ hæsitantia, cur modestius loqueretur. Nihil ergò protulit Pyus, *ita pergit Horosoni hyperaspistes*, unde Augustinum hæsitâsse, multò minus verò Lib. II. Sententiam revocâsse dicamus. Nam quod ex opere *Retractationum* ab aliis adfertur, cap. 57. (quod paulò ante *Esthium* quoque ad primam hujus Controversiæ Quæstionem contra Bellarminum observasse vidimus,) Augustinum ibi confiteri de libris suis, quos de Conjugiis adulterinis scripsit, *nescire se, utrum difficillimam Quæstionem illam enodatissimè solverit, imò sentire, se ad hujus rei perfectionem non pervenisse*; non est dubitatio de ipsa thesi, utrum recte statuerit, ista Conjugia esse adulterina, sed de enodatione alicujus objectionis difficilis, illius puto, quæ ex Matthæo petitur, quam objectionem confitemur (*NB.*) cap. 19. ab Augustino non enodatissime aut perfectè solutam, dum scortationis causam ideò putat exceptam, quia tolerabilius in hâc causa secundum Conjugium, quàm in aliis, utcunque & ipsum quoque illicitum sit. Hanc interpretationem, ut videtur, Augustinus non satis probat in *Retractationibus*; sed cùm reprehendens eam de ipsa taceat thesi, certè quod ad thesin attinet, in Sententiâ permansisse Eum constat, alioqui enim non dubitâsset, utrum enodatissime, sed utrum omninò hanc solvisset quæstionem, nec de perfectione tractatûs illius, sed de veritate doctrinæ detraxisset. Quod enim putant, Augustinum confiteri, quemvis, qui Tractatum eum intelligenter legeret, de imperfectione ejusdem judicare posse, verba Augustini sunt, *Imò, non me pervenisse ad hujus rei perfectionem sentio, quamvis ejus multos sinus aperuerim, quod judicare poterit, quisquis intelligenter legit*; ubi (tamen) illud, quod judicare poterit, non videtur dici de perfectionis defectu, sed de sinuum illorum, quos dixit, evolutione, ut Sententia sit quemvis intelligentem Lectorem posse judicare, multos difficilis istius Quæstionis sinus in istis ad *Pollentium* libris apertos atque evolutos, quemadmodùm & eodem loco ait, *se in iis libris omnia, quantum potuit, secundùm Scripturas definivisse*. Sed ut ad illum Augustini locum de *Bono Conjugali* redeamus, *Ita porrò Horosoni hyperaspistes*, quem Pyus præcipue profert, ut doceat, unicum tantùm nodum fuisse, qui Augustinum impedivit, ne nova post divortium ob adulterium Conjugia probaret; *Primùm*, quomodo ex eo constat loco, Augustinum unico hoc nodo impeditum? Respondebit, quia ibidem hunc unicum profert. Misera consequentia! aliud enim Augustinus intuetur eo in loco. De hâc re ibi obiter agit, ut nihil fuerit necesse, omnia, quæ Ei hanc persvaserant Sententiam, ibi exponere, quæ tamen alibi, ubi ex professo hanc Quæstionem tractat, fusiùs prosequitur. Adfine

huic

huic argumento & illud est, quod, ut Augustinianæ authoritati detrahatur, alii urgent, ex primo de *Conjugiis adulterinis* libro, quasi ex eo in hanc Sententiam inductus fuisset Augustinus, quasi putâsset, ex Græco potius legendum, *præter causam fornicationis*, quàm, *nisi ob fornicationem*, unde cum ista distinctio & ipsa sit levissima, & ex Græco minimè confirmetur, sequeretur, Sententiæ Augustinianæ levissimum & planè nullum fuisse fundamentum. Sed ubi ex professo hunc Matthæi locum interpretatur Augustinus, nulla planè hujus distinctionis mentio, quemadmodum nec in libro contra *Adimantium*, ubi aliam ab eâ, quam in libro de *Conjugiis adulterinis* sequitur, Interpretationem profert, tantum loco citato quasi aliud agens, nec ex illâ distinctione quidquam urgens, verba Matthæi ita repetit, *Quicunq; dimiserit uxorem, nisi ob fornicationem*, vel hoc, quod magis in Græco legitur, præter causam fornicationis, *& aliam duxerit, mœchatur*. Quæ causa moverit Augustinum, ut dixerit, magis in Græco legi, *præter causam fornicationis*, quàm, *ob fornicationem*, sive memoria deceptus, quod in altero Matthæi loco ita legitur, in utroque ita legi putâsset; sive illud ἐπὶ πορνείᾳ, pro ἐπὶ λόγῳ πορνείας, ex altero Matthæi loco interpretatus fuisset, (quod certè Græcis auribus absurdum non est,) quidquid erat, non multùm interest, certe enim in istâ distinctione nihil momenti ab Augustino positum fuisse, ex eo, quod penè apud Augustinum immediatè habetur, nimis manifestum est, ubi disertè confitetur, sive legamus cùm aliis Exemplaribus, *exceptâ fornicationis causa*, sive cum aliis, *præter causam fornicationis*, sive cum aliis, *nisi ob fornicationem*, verba eundem habere sensum, nihil ad unam eandemq; Sententiam interesse. Sed ut demus Pyo, *Ita adhùc Horosoni hyperaspistes*, quod tamen dandum minimè est, illum, quem dicit unicum fuisse nodum, qui Augustinum impedivit; non tamen sequitur, eum, qui Augustinum impedivit, nodum expeditu facillimum esse; nec adjuvabit, quod sine justâ probatione addit, Paulum loqui illo in loco de Divortiis, quæ ob alias causas, quàm ob fornicationem fierent. Nam ut hoc verum esset, nisi etiam per se clarum esset, & cuivis obvium, non tamen sequeretur, nodum Augustini expeditu facillimum esse. Sed Pyus ne verum quidem hoc esse probat, imò ne verisimile quidem esse. *Quæ in sequentibus subjungit* Horosoni hyperaspistes, quia non in specie ad Augustini, sed Oraculi Paulini authoritatem pertinent, de quo in secunda Quæstione hujus Controversiæ ex *Esthio* actum, ne actum agamus, hic prætermittimus, ea addentes, quæ propiùs Instituto præsenti videntur inservire, inprimis, quæ ulteriorem Bellarmino in hâc causa præbent defensionem.

cap. 11.

Ib. cap. 9.

Provocavit is, ut vidimus, præter oraculum Christi ad testimonium Pauli ex septimo Epistolæ ad Romanos capite, & quidem ad mentem Augustini, ex quo alia duo loca *Conzenius* in suis ad hanc Epistolam Commentariis exscripsit, ut omnimodam Matrimonii insolubilitatem pro viribus tueretur. Prior ita habet: *Bonum nuptiarum per omnes gentes atque omnes homines in causâ generandi est & in fide castitatis. Quod autem ad populum DEI pertinet, etiam in sanctitate Sacramenti, per quam nefas est, etiam intercedente repudio alteri nubere, dum vir ejus vivit, nec ipsa sit alterum pariendi causa.* Alter verò hunc in modum: *Hoc custoditur in Christo & Ecclesiâ, ut vivens cum vivente in æternum nullo separetur divortio, cujus Sacramenti tanta est observatio in Civitate DEI nostri, in Monte sancto Ejus, hoc est, in Ecclesiâ Christi, ut, cùm filiorum procreandorum causa vel nubant fœminæ, vel ducantur Vxores, nec sterilem fas sit relinquere Conjugem, ut alia ducatur fœcunda. Quod si quisquam fecerit, non lege hujus Seculi, ubi repudio interveniente sine crimine conceditur cum aliis alia copulare connubia, quod etiam Sanctum Mosen Dominus propter duritiam cordis illorum Israelitis permisisse testatur, sed lege Evangelii reus est adulterii, sicut illa etiam, si nupserit alteri. Et usque adeo manent inter viventes inita semel nuptiarum jura, ut potiùs sint inter se conjuges, qui ab alterutro sunt separati, quàm cum his, quibus aliis adhæresciunt; cum aliis quippè adulteri non essent, nisi ad alterutrum conjuges permanerent.* Unus adhuc super est, hic etiam memorandus, utpotè qui præ cæteris ferè omnibus hanc causam, & ex Augustino quidem, prolixissime contra Græcos tractavit; *Arcudius*, infelix ante *Leonem Allatium* Ecclesiæ Occidentalis & Orientalis in re Sacramentariâ conciliator, qui præter laudata à Bellarmino & aliis ex Augustino pro Matrimonii in causa etiam fornicationis vel adulterii quoad vinculum in dissolubilitate testimonia adhuc alia quædam suppeditat, ut hanc insolubilitatem ex augustissimi Doctoris Sententiâ eò faciat firmiorem & magis stabilem. Et quidem ex primo de Sermone Domini in Monte libro hæc habet: *Consulamus Apostolum, ne quid temerè dicamus.* His, qui sunt in Conjugio, præcipio non Ego, sed

de Bono Conjug. cap. 24.

lib. 1. de Nupt. & Conjug. c. 10.

lib. 7. c. 11. p. 466. seqq.

cap.16. sed Dominus, Uxorem à Viro non discedere; quod si discesserit, manere innnuptam, aut suo reconciliari Viro. *Potest enim fieri, ut eâ de causa discedat, quâ Dominus permisit. Aut si fœminæ licet Virum dimittere, etiam præter fornicationis causam, & non licet Viro; qui respondebimus de hoc, quod posterius dixit:* Et Vir uxorem non dimittat? *Quare non addidit,* excepta fornicationis causa, *quod Dominus permittit? Nisi, quia similem vult intelligi formam, ut, si dimiserit, quod in causa fornicationis permittitur, maneat sine Vxore, aut reconcilietur Vxori.* Et ex eodem in sequentibus: *Fieri potest, ut Vir dimittat uxorem causa*
cap 25. *fornicationis, quam Dominus esse voluit exceptam. Iam verò si nec illi nubere conceditur vivo Viro, à quo recessit, neq; huic alteram ducere vivâ uxore, quam dimisit; multò minùs fas est, illicita cum quibuslibet stupra committere.* Iterùm ex eodem post aliqua: *Dominus ad illud confirmandum, ut non facilè dimittatur Vxor, solam fornicationis causam excepit; cæteras verò molestias universas, si quæ extiterint fortè, jubet pro fide conjugali, pro castitate fortiter sustineri. Et mœchum dixit Virum, qui eam duxerit, quæ soluta est à viro.* Ex Opere de Nuptiis & Concupiscentiâ hæc commendat: *Non fœcunditas tantùm, cujus in prole fructus est, nec tantùm pudicitia, cujus vinculum est fides, verùm etiam Sacramentum quoddam Nuptiarum commendatur fidelibus conjugatis. Vndè dicit Apostolus,* Viri diligite uxores vestras, sicut & Christus dilexit Ecclesiam: *Hujus procul dubio Sacramenti res est, ut mas & fœmina connubio copulati, quamdiu vivunt, inseparabiliter perseverent, nec liceat, excepta fornicationis causâ, à conjuge conjugem dirimi.* Sequuntur hic ea, quæ paulò ante *Conzenius* quoque exhibuit, quibus subjunguntur sequentia: *Mortuo viro, cum quo verum fuit connubium, verum non potest fieri connubium, cum quo prius adulterium fuit. Ita inter viventes manet quoddam vinculum conjugale, quod nec separatio, nec copulatio cum altero possit auferre; manet autem ad noxam criminis, non ad vinculum fœderis, sicut anima (apostatæ) velut de conjugio Christi recedens, Fide etiam perditâ, Sacramentum fidei non amittit, quod regenerationis lavacro accepit. Redderetur enim procul dubio redeunti, si amisisset abscedens; habet autem hoc, qui recessit, ad cumulum supplicii, non ad meritum præmii,*
cap.17. Et iterùm ex eodem: *In nuptiis bona diliguntur nuptialia, proles, fides & Sacramentum; Sacramentum dico, quod nec separati, nec adulterati, nec spe prolis amissâ, amittunt conjuges.*
cap.7. Ex libro de Bono Conjugali sequentia sistit: *Continentia meriti amplioris est, reddere verò debitum conjugale nullius est criminis, exigere autem ultra generandi necessitatem culpa venialis, fornicari vel mœchari puniendi criminis; cavere igitur debet Charitas conjugalis, ne dum sibi quærit, undè amplius honoretur, conjugi faciat, undè damnetur. Qui enim dimittit Vxorem suam, excepta fornicationis causa, facit eam mœchari. Vsque adeò fœdus illud initum nuptiale cujusdam Sacramenti res est, ut nec ipsa separatione irritum fiat, quandoquidem vivente Viro, à quo est relicta, mœchatur, si alteri nupserit, & ille hujus mali causa est, qui reliquit.* Et postquàm mirari se scripsit Augustinus, *si, quemadmodum dimittere licet Vxorem,* videlicet adulteram, *ita etiam liceat eâ dimissa aliam ducere,* Sancta nimirùm Scriptura difficilem per Apostolum Paulum faciente nodum, de quo *Horosoni* hyperaspistes egit prolixè, hæc porrò subjunxit: *Quæ si ita sunt,* tantum *valet illud vinculum sociale conjugum, ut cùm causâ procreandi colligetur, nec ipsa procreandi causa solvatur; posset enim homo sterilem dimittere uxorem, & ducere, de quâ filios habeat, & tamen non licet, & nostris quidem jam temporibus ac more Romano, nec superducere, ut amplius habeat, quàm unam vivam. Et utique relictâ adultera, vel relicto adultero possunt plures nasci homines, si vel illa nuberet alteri, vel ille duceret alteram; quod tamen si non licet, sicut Divina videtur Regula præscribere, quem non faciat intentum, quid sibi velit tanta vinculi conjugalis firmitas? Quod nequaquam tamen puto valere potuisse, nisi alicujus rei majoris, ex hâc infirmâ hominum mortalitate, quoddam adhiberetur Sacramentum, quod deserentibus atque id dissolvere cupientibus inconcussum maneret ad pœnam; siquidem interveniente Divortio non aboletur illa confœderatio nuptialis, ita ut sibi Conjuges sint etiam separati, cum illis autem committant adulterium, quibus etiam post repudium fuerint copulati, vel illa Viro, vel ille Mulieri.* Ex eodem præter ea, quæ *Conzenius* quoque adduxit, sequentia porrò habet Arcudius: *Cùm causa pariendi sola sit, quâ Nuptiæ fiunt, eâre non subsequente, propter quam fiunt, non solvitur vinculum Nuptiale, nisi Conjugis morte; quemadmodum si fiat ordinatio Cleri ad plebem congregandam, etiamsi plebis congregatio non subsequatur, manet tamen in illis Sacramentum ordinationis, & si aliquâ quispiam culpâ ab officio removeatur, Sacramento Domini semel impositio non carebit, quamvis adjudicium permanente.*

Et hæc

Et hæc post alios ex Augustino testimonia collegit *Arcudius* pro Matrimonii omnimoda etiam in casu adulterii & sequentis inde divortii insolubilitate, de quibus omnibus & singulis ut Sententia nunc dicatur, in genere prænonendum est, in Evangelicis id non intolerabile videri debere, si, quemadmodum in duabus prioribus hujus Controversiæ Quæstionibus magis specialioribus *Esthium* ab Augustini authoritate in Oraculi Apostolici explicatione secessum fecisse absque ejus læsione vidimus, ut alia jam hujus generis exempla hic & ibi occurrentia non urgeam, pace augustissimi Doctoris, ac cum bonâ Ejus veniâ, imò etiam ad imitationem & monito Ejus, in hâc Controversiâ, ob verborum Christi omnimodam perspicuitatem, quæ nullas planè admittunt tenebras, modestè ab Eo dissentiant, ac rationes Sententiæ, quâ per adulterium quoque Matrimonii vinculum non solvi existimavit, examini subjiciant; præprimis cùm in hâc etiam causâ eos habeant sibi consentientes, quos Bellarminus ipse dicit *Catholicos*, celeberrimos priori Seculo in Ecclesiâ Romanensi Doctores, *Cajetanum*, purpurâ insignem, & *Ambrosium Catharinum*, Episcopali itidem dignitate conspicuum, Augustini, utut maximi ab utroq; habiti, authoritate non ita constrictos, ut non liberum sibi putarent, eâ in aliis salvâ, hic in gratiam Veritatis diversum ab Eo sentire & defendere. Eorum verba huc pertinentia, etsi ubivis ferè occurrant, ubi Controversia hæc ab Evangelicis tractatur, omninò tamen & hic legi merentur, non tam ob authoritatem Sententiæ conciliandam, quàm ob ponderarerum ac momenta, quæ in iis occurrunt notatu dignissima. Et *Cajetani* quidem verba ad caput Matthæi decimum & nonum hæc sunt: *Textus ille clarè constituit Mœchum duo hæc facientem, scilicet, dimittere Vxorem non fornicariam, & aliam ducere; & in promtu ratio mœchatus est, quia durat conjugium cum primâ dimissa. Quid autem sit in dimittente Vxorem fornicariam, & aliam ducente, Textus iste nihil dicit. At si urgens objeceris, verba IEsu non esse superflua, & propter exceptionem fornicationis aliquid significare diversum ab aliis causis, fateor, sic esse; & si instes, illud diversum nihil aliud esse, nisi, quod propter fornicationem dimittens Vxorem, & aliam ducens, non mœchatur, respondeo, sic sonare Textum secundùm planum literæ sensum. Sed quoniam non audeo opponere me contra torrentem Doctorum & Iudiciorum Ecclesiasticorum, ideò dixi, Textum nihil disponere de dimittente fornicariam. Intelligo igitur ex hâc Domini IEsu Christi lege, licitum esse Christiano, dimittere Vxorem ob fornicationem carnalem ipsius Vxoris, & posse aliam ducere Vxorem, salvâ semper Ecclesiæ definitione, quæ hactenus non adparet*; (scripsit hæc *Cajetanus* ante Synodum Tridentinam,) *nam Decretales Pontificiæ de hâc materia non sunt definitivæ Fidei, sed judiciales facti. Profitentur autem ipsimet Pontifices*, ut patet in c. quanto, de divortiis, & in c. licet, de Sponsalibus duorum, (ipsos) *Pontifices Romanos in his Iudiciis Matrimoniorum errâsse*. Catharinus, qui in multis aliàs *Cajetano* fuit contrarius, vi tamen Veritatis coactus, ad septimum prioris Pauli ad Corinthios Epistolæ caput, ex quo quam maximè in hâc Controversia agi solet, sequentia scripsit *Cajetani* Sententiæ similia: *Occurrit Quæstio, an hoc, quod ait Apostolus*, Vir uxorem non dimittat, *intelligendum omninò sit etiam in causâ fornicationis? Certè Dominus contra dixit, & ipse Paulus contestatur, se ex Domini Sententiâ loqui, non ex suâ ipsius propria. Subintelligenda igitur est manifestè illa exceptio, quam fecit Dominus de fornicatione.* Hæc illi, antehàc inter suos celeberrimi Scriptores, quæ in Iudicibus Expurgatoriis, Romano nimirùm & Hispanico, in quibus alia Eorum non pauca notantur, nullam passa sunt censuram, quod mirum. *Erasmus*, quem Bellarminus itidem inter adversarios ponit, plura ad laudatum Apostoli caput in suis Annotationibus observavit, quæ rem hanc illustrare possunt, è quibus tamen ea tantùm libet nunc excerpere, quæ Augustini propiùs respiciunt authoritatem. Inter alia autem ibi hæc leguntur: *Non defuerunt, qui ita senserint, à rectè diremto Matrimonio licuisse cum aliâ copulari; ne quis protinus hanc Propositionem velut inauditam & modis omnibus absurdam existimet explodendam & indignam, quæ vocetur in disputationem.* Post aliqua de Origine subjungit: *Ejusdem opinionis fuit Pollentius quidam, Vir ut adparet gravis & eruditus, contra quem libris duobus egit Augustinus, sed non ut cum hæresiarchâ, sed ut cum antagonista, itaque refellit Illius sententiam, ut hæreseos crimen non intentet.* Et post plura, ubi causas ab Hieronymo ad demonstrandam Matrimonii etiam in casu fornicationis vel adulterii indissolubilitatem laudatas recensuit, subnexo brevi eorum examine, addidit: *Consimiles fermè causas adducit Augustinus in libris ad Pollentium. Atqui primum Evangelium non vetat iterare Matrimonium, ubi jure dimiseris Vxorem.* Denique post omnia, quæ in hanc rem protulit, quasi pro clausula totius argumenti hujus scripsit: *Augustinus clarè pronuntiat, sceleratius esse extra connubium libidinari, quàm à divortio novo Marito junctam vivere; neq; simpliciter negat, hujus esse uxorem, sed magis esse illius, quem reliquit, quàm cui nupsit.*

Nunc ut in specie deveniatur ad ea, quæ Bellarminus partim ex verbis Christi, partim ex verbis Apostoli, ad mentem Augustini, pro insolubilitate Matrimonii in casu etiam fornicationis adduxit, quod verba Christi attinet, sicut ea intellexit Augustinus, de iis sequentia notavit M. Antonius de Dominis: *Augustinus quæstionem hanc exagitat plurimùm & licet fateatur obscuram esse in Matthæo, propter illam exceptionem,* nisi ob fornicationem, *tamen solutionem ait esse petendam ex aliis Evangelistis,* Marco & Lucâ, *qui absolutè & absq; ullâ exceptione ponunt, mœchiam esse, si dimissa alteri nubet, vel dimittens alteram ducit. Quare concludit, adulterium esse etiam, quando dimissa propter fornicationem nubit, & dimittens aliam ducit. Ego tamen plurimùm miror modum hunc Augustini in Evangeliis explicandis diversum longè ab ipsius & cæterorum Sanctorum Patrum communissimo more, ut Evangelista, qui plus dicit, & addit aliquid aliis Evangelistis, explicari & quasi corrigi debeat ab illis, qui minus dicunt. Verùm est, fateor,* Marcum & Lucam *adferre Propositionem generalem absque ullâ exceptione, nullam dimissam posse nubere, & nullum dimittentem posse aliud inire Matrimonium, quod etiam Paulus generali similiter dicto adseruit. Sed quoniam Matthæus generalem illam Propositionem à Christo, unâ exceptione addita, arctatam fuisse adserit, certè omnis bona ratio interpretandi dicta Evangelica postulat,* ut Marco, Lucæ & Paulo *exceptionem addamus ex* Matthæo. *Quin imò ipsemet Augustinus vidit generalem illam* Marci, Lucæ & Pauli *propositionem, in Divortiis negantem novi Matrimonii contrahendi potestatem, non omninò absq; illâ exceptione in praxi sequendam esse.* Id ut ex Augustino doceat, illud testimonium ex libro *de Fide & Operibus* profert, quod Bellarmino quoque ignotum non fuit, & de quo *Horsoni* Oxoniensis Theologi contra *Pyum* hyperaspistes prolixè egit, *Antonio de Dominis* ad illud observante: *Augustinus ergò admittit eum ad Baptismum, qui ob crimen adulterii unam dimisit Vxorem, & eâ vivente aliam duxit; neque ullum ponit discrimen, quod in Infidelitate id factum sit, sciebat enim, vinculum Matrimonii idem esse. Unde & eadem Christi verborum regula id examinat, & obscurum esse ait, quid Divinæ velint Sententiæ; Ita tamen, ut si divortium totale ex causa fornicationis legitimum & à Christo concessum ab aliquo putetur, ac secundum ideò Matrimonium ab eo tanquam legitimum admittatur, periculum erroris non adsit, nisi ad summum venialis.* Quoad sensum verborum Pauli, ex quibus itidem Bellarminus juxta mentem Augustini pro Matrimonii insolubilitate disputavit, audiendus iterùm est, sicut ad antecedentes duas Quæstiones, *Esthius*, sequentia exhibens: *Cùm Lex conjugii non Mosaica sit, sed ab initio data, atque à Christo confirmata, rectè ex hoc loco, quo Paulus eam explicat, docent Theologi, esse vinculum Matrimonii insolubile, vita utriusque conjugis durante; quod tamen utrum aliquam habeat exceptionem, disputatur ad quartum librum Sententiarum. Neque id negat Apostolus, sed ab eo, quod est ordinarium in Lege Matrimonii, adsumit comparationem; neque hic attinebat alicujus exceptionis meminisse, præsertim cum rari sint & privilegiarii casus,* ut, *dum infidelis cum conjuge conversa cohabitare non sustinet absq; injuriâ Christi, & dum inconsummato adhuc Matrimonio alter ingreditur Religionem.* Fromondus etiam hæc paraphrasi verborum Pauli adjecit: *Quidam hinc malè colligunt, nullo alio modo, quàm morte viri Mulierem posse à vinculo matrimoniali absolvi,* ut *per Pontificis potestatem, si Matrimonium non sit consummatum &c. nam Apostolus vulgarem tantùm attulit modum, quo Vxor liberatur à lege sui Mariti, qui faciebat ad comparationem institutam; morte enim Mariti solvitur vinculum Matrimonii, & omnis lex maritalis, quæ à tali vinculo dependebat, quia nuptiæ sunt bona mortalium, ut post Augustinum ait Thomas, ideòq; earum obligatio post vitam mortalem se non extendit.* Aliorum Interpretum Sententias super hoc loco jam non colligo, quorum pleriq; tamen hoc argumentum Bellarmini pro Matrimonii in casu fornicationis insolubilitate ex eo deductú silentio prætermittunt, eoquemet ipso invaliditatis arguunt. Satis hic esse potest adebet, duos hosce recentissimos, & qui aliorum ante se Commentaria legerunt, agnovisse, Pauli comparationem esse desumtam ab eo, quod ordinarium est in Lege Matrimonii, atque Apostolum attulisse tantùm vulgarem modum, quo Uxor liberetur à lege sui Mariti, nec opus fuisse alicujus exceptionis facere mentionem, videlicet hucimpertinentem. Etsi præter ordinarium & vulgarem hunc modum, solvendi nimirùm vinculi Matrimonialis per mortem alterius Conjugum, hi duo Interpretes alios quosdam, videlicet, *si infidelis cum Conjuge conversa cohabitare non sustineat absq; injuria Christi,* (de qua exceptione ad primam hujus Controversiæ Quæstionem auditus fuit Sententiâ dicente Esthio,) *vel si Matrimonio adhuc inconsummato alter conjugũ ingreditur Religionẽ,* ac vinculũ conjugale per Sponsalia ritè nexum, sed per Pontif. Romani potestatem, quibus cunq; etiã causis intercedentibus, solvitur, quæ exceptiones duæ posteriores authoritate solùm humanâ nitũtur, adeòq; nõ ita facilè omni exceptione intermissa admitti possunt aut debẽt, quam-

de Rep. Eccl. lib. v. cap. II. num. 16.

1. Cor. 7.

Rom. 7.

quanto magis valebit exceptio ab ipsomet Conjugii institutore Christo clarissimè & ita clarè expressa, ut nihil clarius esse possit, nulloque modo cogitandum erit, Apostolum aliàs, ut supra vidimus, & *Catharinus* apertè testatur, in eodem hoc argumento ad Domini authoritatem provocando, in hâc Comparatione ad præsentis Instituti tenorem formatâ, ordinarium & vulgarem modum solvendi per mortem vinculi Matrimonialis exhibentem, Christi tam claram & apertam exceptionem voluisse excusam, adeòque partem in casu fornicationis vel adulterii Innocentem, quæ, si res absq; præjudicio ponderetur, inque sincerum trahatur examen, hâc ratione vim à parte nocente patitur, vinculo Matrimoniali adhuc obligatam, à quo tamen per ipsum fornicationis vel adulterii actum, Juri & debito conjugali, si quid est, quammaximè adversum & contrarium, libera est facta, inque pristinum libertatis statum redacta. Id ut ex ipsis Christi verbis jam porrò ostendatur, *Chemnitius* noster simul vindicari debet, cujus ex hoc oraculo Christi objectionem Bellarminus modo non uno studuit eludere, ea reponens, quæ ipsius rei causam non parùm facere possunt suspectam, Augustino etiam id agnituro, si hodie post accuratius Examen de toto hoc negotio pronuntiare daretur.

Variè nimirùm Bellarminus prodit, quam defendit, Sententiam non firmo per omnia stare talo, hinc indè fluctuans, ac ubi pedem constanter figat, ignarus, Augustini defensor infelix. Dicit, & quidem more solito, ad argumentum Chemnitii ex verbis Christi ritè intellectis duplicem adhiberi *posse* solutionem, ac verba Christi apud Matthæum *posse* accipi vel exceptivè vel negativè. At monitum hactenus non semel est, in explicatione Oraculorum non respici debere, quid dici vel intelligi possit, sed quid ad mentem dicentis, è consideratione circumstantiarum & integri contextûs intelligi de jure debeat, ne quid præter debitum Spiritui Sancto adfingatur, Lectorq; incautus umbram pro corpore amplectatur. Et quam maximè id fieri est necesse in iis, quæ in controversiam inter duas partes adversarias veniunt, necessitate id requirente, ut in rem veniatur præsentem, omniaq; observatu digna probe attendantur. Sed videamus, quid ad utramque solutionem adferat Bellarminus, ut Augustini tueatur Sententiam, disputator & hic non semel Heautontimorumenos. Pro sensu nimirùm *exceptivo*, (ex quo ad hominem quasi contra Evangelicos vult argumentari, & quem omninò repudiare non potest absque *Vulgatæ* Versionis repudio, quæ ad caput Matthæi quintum expresse agnoscit exceptionem,) ex suo fingit ingenio, *Christum loqui saltem de dimissione quoad thorum*. Verùm probare debuit, hoc obtinere volens, tempore Christi hoc dimissionis & repudii genus apud Judæos in usu fuisse, & de eo Pharisæos interrogâsse Christum. Hoc usque dum probetur, multas Latini habebunt calendas, ac earum loco Græci novilunia. Et quamvis negare non potuit, *Pharisæos de dimissione quoad vinculum interrogâsse*, id quod hic non parvi debet esse momenti, ausus tamen est negare, *Christum de eâ respondisse*, quod nihil est aliud, quàm de insufficientiâ responsi Christum accusare. *Cornelius à Lapide*, ut hoc sui Sodalis effugium imprudens qualitercunq; excuset, commentus est, *Christum de Uxore adulterâ dicere nil voluisse ad evitandam invidiam Pharisæorum & populi, cui illo tempore licita fuerint & usitata adulterorum repudia, & novæ cum aliis Nuptiæ*. Sed absurda absurdis cumulantur. Quid enim? An sine injuria Christi potest dici, Eum dissimulasse veritatem ad declinandam populi & Pharisæorum invidiam, cui hostes testimonium coacti præbuerunt, quod Verax sit, & sine personarum respectu viam Dei in veritate doceat & ostendat, tot etiam Concionibus ex ore Ejus ab Evangelistarum quadrigâ adnotatis, quibus & Pharisæorum & populi vitia acriter reprehendit, non facturus, si eorum invidiam evitare necesse existimasset? Et omninò satis fecisse Christum quæstioni à Pharisæis propositæ par est credere, nisi dicere velimus, Eum quæsitores singulari studio reliquisse in suspenso, quod tamen bonitati Ejus & in docendo sinceritati esset contrariũ. Ut autem satis ex asse fecerit, opus est, ut ad id etiam responderit, de quo fuit interrogatus. Sit ita, duo esse diversa, dimissionem unius, videlicet adulteræ, & potestatem ducendi loco ejus aliam; at Christus hic ea non separavit, unum concedendo, alterum auferendo, sed utrumq; conjunxit, omnem conjugis dimissionem, & insequentem alîus cõjunctionem extra causam fornicationis prohibendo & quasi adulterium accusando, utpotè quâ exceptione in causâ fornicationis expresse utrumq; concessit, nisi verbis per se claris vi adhibita tenebras inferre velimus, Christi Sententiam intellectu facillimam datâ quasi operâ pervertentes. Hinc quod Bellarminus porrò contra argumentum *Chemnitii* ex his Christi verbis à sensu contrario sumtum, manifestissimum certè & omni ex parte firmissimum argutatur, illud retorquendo nihil aliud sequi, quàm, *qui propter fornicationem*

cationem dimittit Vxorem & aliam ducit, non mœchari quidem dimittendo, sed solùm accipiendo aliam, non nisi somnium est, in cerebro ejus malè sano natum, interq; postulata nondum probata, neque etiam probanda referendum. Jam si expendamus ea, quæ pro sensu Augustini *negativo* habet, itidem adparet, Eum pennâ titubante usum esse, dum scripsit: *Negat Dominus, licitam esse dimissionem sine causa fornicationis, sed non dicit, esse licitam, si adsit causa fornicationis.* Atqui eo met ipso, dum sine eâ illicitam dixit, cum eâ licitam pronuntiavit. Et ut hoc obtineatur, provocare audent Evangelici ad quoscunque, qui de positu verborum naturali, nullis occupati præjudiciis, eorumque Sensu legitimo judicare sunt docti. Pertinetque & hoc inter Bellarmini figmenta, quod ex Christi verbis nihil aliud inferri posse existimat, quàm, *qui propter fornicationem Vxore dimissa ducit aliam, minus graviter mœchari, quàm qui sine eâ Vxorem dimittit & aliam ducit.* Exemplum quod Augustino præeunte ex Epistolâ Jacobi adducit, hùc omninò non quadrat, utpotè expressam continens negationem, qualis in Christi verbis non est; quamvis si hanc Apostoli Sententiam eâ methodo tractare vellemus, quâ Bellarminus contra *Chemnitium* sæpè dicta Christi verba tractavit, contrarium ex iis Sensum circa particulam *exceptivam* retorquens, alia planè propositio exindè deduci posset.

cap. 4. Verba Jacobi sunt, *Scienti bonum & non facienti, peccatum est illi.* Monet autem Bellarminus, non debere à Sensu contrario inferri, *Ergò ignoranti bonum & non facienti, peccatum non est illi,* cùm sint etiam peccata ignorantiæ; sed inferri debere, *Ergò ignoranti bonum & non facienti, minus peccatum est, quàm si sciens peccâsset.* At, inquam Ego, neutrum exindè sequi, si eâ methodo procedatur, quâ in explicandis Christi verbis, ubi nervus concludendi ex ipsa particula *exceptivâ* deducitur, câq; remotâ Sensus à contrario eruitur. Etsi enim certum sit, peccata ignorantiæ minora esse, quàm quæ à scientibus fiunt, id quod Christus illustri confirmavit Oraculo; non tamen illud ex his Apostoli Jacobi verbis sequitur, si juxta dictam methodum fieri debet argumentum. Sed id sequitur, remota particula negativâ, *Scienti bonum & facienti, laudem fore.* Simile, quod majoris illustrationis, rectius, obscurationis causa Bellarminus adfert de furto ex necessitate, non currit quatuor pedibus, neque cum Oraculo Jacobi comparari potest, etsi quoad externum tenorem verborum cum verbis Christi, quia utrobique particula *exceptiva* habet locum, maximo tamen cum discrimine; dum Propositio Christi, quia ex ore Veritatis profecta, non potest non apud verè Christianos valere, propositio autem Bellarmini, *qui, nisi ob inopiam furatur, peccat,* in Theologia verè morali, non ut hodie audit, *probabili*, nondum omninò apud omnes cordatos obtineat; sed adhuc per

vid. Sinnich. in Saule Exrege, c. 116 num. 442. Conf. D. Dannh. Colleg. Decal. p. 847. seqq. Edit post.

DEI gratiam inter ipsos etiam Romanenses supersint, qui huic doctrinæ tanquam improbabili se opponant, eamque ut scandalosam damnent, cùm vix dabilis sit aut esse possit tam extremæ necessitatis & inopiæ omni modo inevitabilis casus, ut homini ad furtum sit deveniendum, nec aliunde aut aliis quibuscunque mediis habere possit, quo fami succurrat, sequemet honestè sustineat. Cadit hinc sequela Bellarmini, quam ex Propositione nondum liquidâ & ab omnibus recepta deducit; quin & cadit, quod insuper tanquam omninò indubium adnectit, *in extremâ necessitate furari non modo non peccatum, sed nec furtum esse dicendum*, quod paradoxum alibi & ab aliis prolixius excutitur. Calumnia de cætero est, quando Bellarminus hic quoque *Chemnitium* sui similem, id est, *fraudulentum & mendacem* esse dicit, ideò, quia Augustino Sensum in explicatione verborum Christi adscripserit peregrinum, videlicet, ex Sententia ejus *peccare gravius, qui sine fornicationis causa faciant divortium, quàm qui cum vel ex eâ*; ad cujus declinationem nihil aliud nunc quidem respondeo, quàm quod Bellarminus iterùm sui fuerit immemor, & ex mera calumniandi & Lectorem incautum piis, vel potiùs impiis fraudibus circumveniendi libidine propter id *Chemnitium* dixerit esse mendacem, quod ipse in antecedentibus proximè ad defendendam Augustini Sententiam contra ipsummet *Chemnitium*, & sic etiam contra seipsum graviter ursit, juxta sensum verborum Christi negativum, quem Augustinus eis inesse statuit, arguens, *non rectè inferri, qui propter fornicationem Vxore dimissa aliam ducit, non mœchatur*, sed tantùm inferri posse, *Ergò minus graviter mœchatur.* En Bellarminum & hic heautontimorumenon! Quoad ipsam particulam *exceptivam*, quæ hic ante omnia debet attendi, non opus est aliqua prolixitate post ea,

vid. Hacksp. de Loc. S Disp. III n. 29. seqq.

quibus alii eam contra quasvis adversariæ partis exceptiones in hujus Controversiæ discussione vindicarunt, præprimis cùm ex iis, quæ hactenus breviter ad Bellarmini responsum sunt observata, Lectori Veritatis studioso satis manifestũ esse possit, quid de legitimo sensu verborũ Christi haberi debeat. Sufficiat & hic ingenua Bellarm confessio, quinegari non posse scripsit, tales *particulas exceptivas sæpè, juxta loca à Chemnitio laudata, accipi exce-*

exceptivè, etsi addiderit, *posse etiã aliter accipi*, quod cum aliis pluribus pertinet ad Theologiã Bellarmini *possibilem*, in quâ à posse ad esse valebit in posterũ consequentia, Sicut ad Theologiam Ejus *contradictoriã* referri debet, quod, dum pro incrustandâ Augustini sententiâ porrò fingit, si in verbis Christi vox *Nisi* accipienda sit exceptivè, *possit* (cur nõ debeat?) esse exceptio *negativa*, in proximè sequentibus largitur, *posse excipi in Christi verbis causam fornicationis*, quia, cùm ea adsit causa, adulterium non sit, aliam ducere, *& hanc esse exceptionem adfirmativam*. Ita nimirùm solet fieri, ut, qui manifestam oppugnare laborant Veritatem, sibimetipsis hic & ibi contradicant, & inviti quoq; inter oppugnandum ei testimonium præbeant, cujus rei Bellarminus specimen in sequenti etiam responso ad nonã *Chemnitii* objectionem Lectori exhibet. Provocavit nimirùm *Chemnitius* inter alia ad celebrẽ quendam Virum, nomine *Pollentium*, Augustini tempore viventẽ, ac Ejus Sententiæ apertè contradicentem, quod factum non fuisse videri potest, si tùm insolubilitas Matrimonii in causa etiam fornicationis vel adulterii quasi dogma Cathol. & ab omnibus ubivis in Ecclesia receptum fuisset. Variè iterum Bellarmin° respondet, ne quidquam exinde contra Synodi Trid. Decretum anathemate munitum obtinere possit. Negat, *Pollentium* Augustino contradixisse, sed Eum *consuluisse* tantùm circa Quæstionem obscuram & loca Scripturæ difficilia. Quod verò idem Augustinus non hæreticũ vocaverit *Pollentium*, aut acrius increpaverit, ideò id factum, *quod non omnes sint hæretici, qui in Fidei doctrinâ errent, sed qui errori jungunt pertinaciã*. Ita Augustinum non reprehendere *Volusianum*, sed modestè Eum admonere & instruere licet Quæstiones Ei proposuerit impias plane. *Addit*, tempore Augustini hoc non fuisse dogma ab aliquo generali Concilio explicatũ, & ideò facilius excusari potuisse, si qui hâc in re errâssent. Imò, ipsũ quoq; Augustinum in de *Fide & Operibus* libro scripsisse, falli venialiter, qui ob Scripturæ obscuritatem existimant, *eum non esse adulterũ, qui causa fornicationis Uxore dimissa aliam ducit*. Repeti hæc omninò debuerunt, quia non una in eis suppeditavit arma Bellarminus, quibus contra se Evangelicos feliciter uti posse per imprudentiam non vidit. Concedamus enim, *Pollentium* non tàm contradixisse Augustino, quàm consuluisse Eum; satis est, ex confessione Bellarmini Quæstionem hanc tùm temporis fuisse obscuram, & loca Scripturæ, quæ de eâ agunt, visa fuisse difficilia. Sequitur nimirùm exinde, quod voluit *Chemnitius*, omnimodã Matrimonii insolubilitatẽ, & in casu quidem fornicationis vel adulterii, Augustini tempore non fuisse ab omnibus, etsi ab Augustino probatam, cui omnes alios in Ecclesiâ Doctores calculum addidisse, probatũ, imò probandum nõ est. Et si Augustinus *Pollentium* ob Sententiam in hâc Quæstione contrariã non dixit hæreticum, aut Sententiam, quam Ei objecit, hæreticã; undè tantus rigor ante hoc Seculum occupavit Patres in Synodo Trident. conscriptos, quâ item authoritate factum est, ut tanquam hæreticos diro percuterent *anathemate*, qui exceptione à Christo nominatâ pro Matrimonii in causa fornicationis vel adulterii solubilitate à vinculo utuntur. Certè, si vestigia Augustini, ad cujus provocant authoritatẽ, legere maluissent, quàm terroribus & minis orbem Christianum implere, mitius cum iis agere debuissent, quos nũquam ritè accusatos, nunquam auditos vel etiam admissos, contra jus omne, innocentissimos quippè damnârunt, & quantum in ipsis fuit, per fulmen, sed DEI gratiâ brutum, Ecclesiæ gremio ejecerunt, & tamen culpã schismatis eorum humeris imponentes præter meritum. Diversitatem quæstionum à *Volusiano* & *Pollentio* propositarũ, quam ipse Bellarminus agnoscit, jam non urgeo; id saltem repeto, utrobiq; Augustini modestiam elucere, quam desiderantes in Doctoribus Ecclesiæ Roman. non malè judicant Evangelici, eos alio agitari Spiritu, ac rem eo met ipso nimis facere suspectã. Si etiam non solùm Augustini tempore, à nullo generali Concilio fuit definitum hoc Dogma, tanquam dogma Cathol. ut Bellarminus iterùm fateri necesse habuit, sed etiã *Cajetanus* agnovit, suo adhuc tempore, i. e. paulò ante Synod. Trid. nullam super hâc Quæstione controversia Ecclesiæ definitionem fuisse, *Ambrosio* quoq; *Catharino* vix ausuro solubilitatẽ Matrimonii in casu fornicationis vel adulterii defendere, si Ecclesiæ vel alicujus Concilii generalis Decretum ante se habuisset; adparet hinc iterùm, quàm vana sit Antiquitatis Catholicæ jactatio, quæ hic vix unum superat Seculum, tempus ad præscriptionem in re Fidei nimis breve.

conf. D. Tarn. de Conjug. lib. III. cap. 19. pag. 864. seqq.

Accedit, quod Bellarminus tandem concedere fuit coactus, ex Sententiâ Augustini falli tantum *venialiter*, qui ob Scripturæ obscuritatem existimant, *eum non esse adulterum, qui causa fornicationis uxore dimissâ aliam ducit*; de quâ Augustini Sententiâ aliquid amplius nunc dicendũ est, ubi breve Examen addi debet eorum, quæ Theologi Oxonienses *Horsoni* contra *Thomam Pyum*, ejusdem Professionis ibi hominem hyperaspistes porrò pro Augustini Sententiâ in medium attulit, ante omnia hoc Augustini testimonium adversariæ parti auferre conatus, quo ex libro de *Fide & Operibus* utuntur, inferens ex verborum contextu, non ibi de Marito Uxorem adulteram repudiante & aliam

liam ducente, sed de Baptismi ministro agi, talem Maritum ad Baptismum admittente, hunc, videlicet Ministrum, *venialiter* tantùm falli, non Maritum, utpotè de quo pronuntiet Augustinus, eum caput suum ducendo aliam *in permagnum mittere discrimen*, hoc modo non locuturus aut scripturus, si eum *venialiter* tantùm existimâsset falsum & deceptum. Verùm præter id, quod *Antonius de Dominis* suprà ad hanc Augustini Sententiam observavit; neque etiam eo prolixè repetito, quod hæc ipsa Augustini Sententia *Chemnitium* ab impactâ per Bellarminum calumniâ possit liberare, quasi Sancto Patri alienam adscripsisset mentem, verbis ita perspicuis, ut magis esse perspicua non possint: *Quisquis Vxorem in adulterio deprehensam dimiserit, & aliam duxerit, non videtur iis æquandus, qui exceptâ adulterii causâ dimittunt & ducunt*. His, inquam, hic non repetitis, id nunc saltem observo, si mortaliter peccare eos, qui dimissâ ob adulterium Vxore aliam ducunt, judicâsset Augustinus, non *venialiter* tantùm peccare Ministrum Baptismi existimasset, tales admittentem ad Sacramenti participationem, utpotè qui hoc facto inevitabiliter se illius peccati fecisset participem. *Præterea*, dum Augustino visum fuit, obscurum esse in Sententiis Divinis, *utrum & iste, cui sine dubio adulteram licet dimittere, adulter tamen habeatur, si alteram duxerit*; non definivit, sed quid sibi in hâc re videretur, liberè pronuntiavit, *venialiter* ibi quemque falli, talibus verbis usus, quæ non præcisè ad Ministrum Baptismi debent trahi, ad minimum non solùm, sed & ad ipsum Maritum possunt adplicare, si & hic nobis ex Theologiâ *possibili* aliquid in usus nostros licet transferre, & id quidem ex Augustini verbis aliquantò facilius, quàm ex Oraculis Scripturæ, quod Bellarmino non est insolitum. Nec quidquam hic momenti habet, quod idem Doctor Sanctus in verbis proximè sequentibus porrò monuit, eos, qui dimissâ adulterâ ducunt aliam, *in permagnum discrimen sua mittere capita*; cùm id etiam possit esse verum de iis, qui ne veniale quidem committunt peccatum, sed in re omni ex parte laudabili occupantur, experientiâ teste, nihil tam benè agi, ubi non hinc & indè immineant discrimina, & eò quidem majora, quò majus est opus, quod perficiendum suscipitur. Quin & augustus Pater non dixit, *venialiter* peccare, vel Maritum adulterâ dimissâ aliam ducendo, vel Ministrum Baptismi talem Maritum ad Sacramenti susceptionem admittendo; sed *venialiter* falli, quòd utroque respectu sine peccato fieri posse, inde constat, quia innocenter etiam & absque culpâ falli quis potest, non autem fallere, quod hactenus ad Augustini Sententiam à duriori glossâ liberandam sufficiat. *Ad* alterum ex libro de *Bono Conjugali* testimonium concedit *Horosoni* hyperaspistes, *Augustinum dubitantius de hâc Controversiâ pronuntiâsse*, etsi id excusare tentet, scribens, *Eum obiter hanc Quæstionem respexisse, & aliud ibi ex professo egisse, alibi autem, ubi hanc rem tractet ex professo, diserte, constanter & sæpius docuisse, hujusmodi Conjugia esse adulterina, adeòq; hæc posteriora de authoritate solitâ ob priora nihil amittere.* Sed, si Augustinus constanter docuit, hæc Conjugia esse adulterina, non debuit alibi dubitanter de eo pronuntiare, utpotè quod signum constantis animi non est. Etsi enim in libris contra *Pollentium* non dubitavit adserere, hæc Conjugia esse adulterina, non id tamen ita firmiter ex Oraculis vel Christi vel Pauli potuit ostendere, ut rei propositæ satis ex asse faceret, id quod *Cajetanum, Catharinum, Esthium, Fromondum*, maximi aliàs authoritatem Augustini habentes, maximi etiam à suis antehàc habitos, agnovisse, eorum testimoniis est ostensum. Imò, quia Augustinum ibi de Marito fuisse miratum scribit sæpè dictus *Horosoni* hyperaspistes, utrum ne ipsi quidem liceat alteram priore ob adulterium dimissâ ducere, addens, *Eum de fœminâ sine omni dubitatione ibidem pronuntiasse, in eâ hujusmodi Nuptias esse adulterinas*; simul etiam debuit agnoscere, Augustinum quoad maritum habuisse contrarium sibi *Ambrosium*, utpotè docentem, *soli fœminæ novum post divortium in casu fornicationis vel adulterii illicitum esse Conjugium*, quamvis, quod hanc attinet Observationem, non desint, quæ possient excipi, videlicet, incertum adhuc esse apud Eruditos, an Commentarii in Epistolas Pauli, qui inter *Ambrosii* Opera habentur, *Ambrosium* agnoscant authorem, adeòq;, quod indè sequitur, an sub authoritate *Ambrosii*, vel etiam cujuscunq; Scriptoris Ecclesiastici, Augustino fuerint cogniti, & si illud etiam sit, an Augustinus hoc quidem in loco ad eos aliquem habuerit respectum, quia id ex verborum Augustini contextu non patet, nullâ planè *Ambrosii* mentione factâ, ex quâ hæc observatio posset elici. Ego ad hominem & ex concessis disputando illud nunc solùm noto, si juxta *Horosoni* hyperaspistem Augustinus ritè ex *Ambrosii* Sententiâ est argumentatus, quod, cùm Mulieri non sit licentia nubendi, si adulterum reliquerit, neq; Viro possit esse licentia ducendæ alterius, si reliquerit adulteram; non ineptè inverti posse argumentum Augustini, quod, cùm juxta laudatam *Ambrosii* Sententiam Viro non illicitum sit novum post Divor-

vortium in causâ fornicationis conjugium, neque Uxori illicitum in hâc causâ esse debeat, dum quoad vinculum docente Paulo utriusq; par ratio, nulloq; ex Jure Divino præ Uxore Maritus gaudeat privilegio, aut Uxor deterioris præ Mario esse debeat in hoc passu conditionis, utroq; Conjugum pariter eidem vinculo adstrictis. Ad nostrum quoque inservit usum, eaq; confirmat, quæ paulò ante de Augustini circa Quæstionem hanc Sententiâ notavimus, quod idem *Horosoni* hyperaspistes ad objectionem ex libro *Retractationum*, quâ *Esthium* quoq; usum suprà vidimus, respondens fatetur, *Augustinum non dubitâsse quidem de ipsâ thesi, utrum rectè statuerit, hujusmodi Conjugia*, de quibus hic agitur, *esse adulterina*, quod jam pro quasi concesso datur, sed de enodatione *objectionis alicujus difficilioris*, illius nimirùm, quæ ex Matthæo petitur, *quam objectionem confitemur* (inquit Horosoni & simul Augustini hyperaspistes) *ab Augustino non enodatissimè aut perfectè solutam, dum Scortationis causam ideò putat exceptam, quia tolerabilius in hâc causa secundum sit Conjugium, quàm in aliis*, quæ verba itidem absolvunt *Chemnitium* ab eâ fraudulentiâ & mendacio, cujus gratiâ Bellarminus innocenter Eum est calumniatus; quamvis, quod insuper notandum venit, si Augustini ipsius verba in *Retractationibus* accuratè ponderemus, exceptio hæc vix locum habere possit. Sunt autem sequentia: *Scripsi duos libros* lib. II. *de Conjugiis adulterinis, quantum potui, secundum Scripturas, cupiens solvere difficillimam* cap. 57. *Quæstionem, quod utrum enodatissimè fecerim, nescio; imò verò, non me pervenisse ad hujus rei perfectionem, sentio, quamvis multos ejus sinus aperuerim, quod judicare poterit, quisquis intelligenter legerit.* Vides, Lector, non dubitâsse augustissimum Doctorem de enodatione alicujus objectionis tantùm difficilioris, sed ipsius Quæstionis, quam agnovit difficillimam; qui dum intelligenti Lectori commisit judicium, ægrè, scio, quâ fuit humanitate pariter & humilitate, non ferret, si hodiè Evangelicos post se circa hujus Sententiæ examen secundùm Scripturas videret esse occupatos; sed potius, quos ille sinus tùm aperire non potuit, apertos jam lœtis adspiceret oculis, ac Ecclesiæ ob hanc Lucem, omnemq; ab hâc Quæstione ablatam difficultatem fibritùs gratularetur. Nobis iterùm exinde satis esse potest, Augustinum, quidquid jam sit de ipsâ thesi, ex confessione Defensoris sui in probatione ejus secundùm Scripturas, inprimis locum Matthæi, qui hic instar est omnium, non *enodatissimè & perfectè* rem tractâsse, ita nimirùm, ut nullus super amplius fuerit aut esse potuerit, vel in suo, vel in Lectoris animo scrupulus, id quod tamen omninò requiritur, ubi anathematum fulmina in contradicentes & sentientes jaciuntur, bruta videlicet atque inania, si res adhùc, de quâ controvertitur, sit in incerto & dubio.

In sequentibus, quæ porrò ad Augustini Sententiam omni modo contra partis adversariæ objectiones defendendam adducit *Horosoni* hyperaspistes, illud præter ea, quæ jam sunt observata, debet notari, Eum non ita benè Augustini causam agere, dum *memoria deceptum* scribit, id, quod in uno Matthæi loco legitur, existimantem, in altero etiam, atq; sic in utroq; ita legi, quod facilius condonari posset ei, qui Augustini Sententiam oppugnat, quàm qui propugnandam sumsit. Et sicut non multùm interesse putat, si Augustinus illud ἐπὶ πορνείᾳ, pro, ἐπὶ λόγῳ πορνείας, ex altero Matthæi loco fuisset interpretatus, nullo cum Græcarum aurium offendiculo, nec quidquam momenti Augustinum posuisse in illâ distinctione monet, utpotè confitentem differè, sive legamus, *exceptâ fornicationis causâ*, sive, *præter causam fornicationis*, sive, *nisi ob fornicationem*, verba eundem habere sensum, ac nihil ad unam eandemq; Sententiam interesse, quod mirum potuisse vel ab Augustino, vel à quocunq; Sensûs negativi defensore scribi, cùm verba, quocunque etiam positu legantur, sive in Textu Græco, sive in Versione Latina, Sensum negativum omninò destruant, ac nullo planè modo possint admittere; ita nemo non utriusq; Idiomatis gnarus videt, locutiones has non nisi *exceptivas* esse, adeòq; Sensum habere *exceptivum*. Reliqua, quæ ad ipsum Pauli locum ritè intelligendum pertinent, non adeò difficilem, ut vel Augustino visum fuit, vel aliis adhuc hodiè videtur, suprà ex *Esthio* jam sunt tractata. Augustini loca, quæ *Conzenius* in hac Quæstione ad caput septimum Epistolæ ad Romanos laudavit, quod eorum tenor ostendit, non de solutione Matrimonii ob adulterium, sed ob Conjugis sterilitatem agunt, adeòque Evangelicis non sunt opponenda. Quæ *Arcudius* præter ea habet, varias suppeditant observationes. *Primus* quidem id urget, quod *Horosoni* hyperaspistes antè S. Patrem alibi etiam contra *Ambrosium* ut fisse monuit. *Secundus* principium petens, id est, insolubilitatem vinculi Matrimonialis etiam in casu fornicationis quasi rem certam & indubiam præsupponens, exindè contra illicita cum quibuslibet stupra argumentatur, expresè tamen concedens, causam fornicationis à Christo *exceptam* fuisse, quam exceptionem *tertius* etiam largitur. *Quartus* in genere de insolubilitate Matrimonii agit, exceptâ iterùm juxta Oraculum

lum Christi causâ fornicationis, quam Evangelici hic urgent. *Quintus* eis est oppositus, qui illud adprobant (si qui sunt) conjugium, quod adultera vivo adhuc viro cum adultero iniit, de quo hic Sermo non est. *Sextus* ait, etiam adulteratos, (quod vel activè, vel passivè potest intelligi,) non amittere Sacramentum nuptiale, videlicet, unionis, quod sano Sensu admittunt Evangelici, si de amissione non omnimodâ Augustinus ibi est locutus, de quâ *septimus* etiam agere videtur, expressâ iterùm fornicationis causâ. *Octavus* dubitanter, non adsertivè hanc rem exprimit, *sicut Divina videtur regula præscribere*; quæ loquendi forma habere locum non posset, si res hæc usque adeò certa fuisset tum & indubia. *Nonus* & ultimus iterùm non-nisi sterilitatem quasi non causam solvendi Conjugalis vinculi producit, quæ, ut jam diximus, ad præsentem Controversiam non pertinet. Atq; sic de omnibus, breviter quamvis, dictum fuit, quæcunque rigorosi insolubilitatis vinculi Matrimonialis in casu etiam fornicationis vel adulterii defensores ex pluribus Augustini libis singulari studio congesserunt, undè manifestum est Lectori Veritatis studioso, non fuisse causam, cur Tridentini Patres suo hâc de re Decreto fulmen anathematis adjungerent, omnesque sibi contradicentes Excommunicatione, gravissimâ Ecclesiæ pœnâ terrerent, re per tot Secula inter Doctores indecisâ & antehâc indefinita.

CAPVT DECIMVM, & OCTAVUM cum seqq.

De

Impedimentis Matrimonii.

PRolixè de iis in specie agit Bellarminus, nos breviter ea examinabimus, idq; pro ratione Instituti, quia & rarò Augustini mentio occurrit, & ubi occurrit, ad antecedentia referri debet, ne idem bis cum nauseâ Lectoris veniat repetendum. Et in primâ quidem Quæstione, de consensu vel dissensu Parentum, an videlicet ille ad liberorum matrimonium sit necessarius, hic verò illud impedire possit aut debeat, Augustini authoritas omninò prætermissa est, utut in Ejus libris fortè non desit, quod ad hanc rem faciat.

Quæst. 57 In libro Quæstionum super Numeros hæc proponit Legis verba: *Si Mulier voverit Votum Domino, aut definierit definitionem in domo Patris sui in Iuventute suâ, & audierit Pater ejus, & definitiones ejus, quas definivit adversus animam suam, & tacuerit Pater ejus; stabunt omnia vota ejus, & omnes definitiones ejus, quas definivit adversùs animam suam, manebunt ei. Si autem abnuens abnuerit Pater ejus, quâcunq; die audierit, omnia vota ejus & definitiones ejus, quas definivit adversus animam suam, non stabunt, & Dominus emundabit eam, quia abnuit Pater ejus.* Ad hujus Legis illustrationem notat Augustinus: *Quoniam de Muliere, quæ adhuc in Iuventute suâ, in domo Patris est, loquitur; meritò hic quæritur etiam de voto Virginitatis; Mulieres quippè etiam Virgines in Scripturâ adpellari solere, notissimum est, &*

1. Cor. 7. *videtur etiam Apostolus de Patre loqui, cùm dicit, Servet Virginem suam, & det nuptum Virginem suam &c.* Observandum hic est, statuere Augustinum, quâ Pater potestate in V. T. & ex Jure quidem Divino, gavisus est in confirmando vel infirmando filiæ Voto, ut vel ratum vel irritum haberetur; eâdem in Novo etiam Testamento eum gaudere, & quidem ex Sententiâ Apostoli, in confirmandis vel infirmandis filiæ nuptiis. Notatu etiam non indignum est, Augustinum in Confessionum libris inter alia, quæ de Matris suæ pia de Filio sollicitudine gratus memoravit, illud etiam recensere: *Instabatur impigrè,*

Lib. 6. cap. 13. *ut ducerem Vxorem. Iam petebam, jam promittebatur, maximè Matre dante Operam, quo me jam conjugatum Baptismus salutaris ablueret, quo me indies gaudebat aptari* &c. Non commendasset hoc piæ Matris studium S. Doctor, nisi è re Parentum esse quàm-maximè existimâsset, ut suis de honesto prospicerent Matrimonio liberis, nec quidquam præter, multò minus contra eorum voluntatem in gravi hoc negotio fieret. Inprimis autem facit huc Epistola, quæ sub Augustini nomine, in secundo ordine Adpendicis, numero post decimam tertia legitur scripta ad *Benenatum*, in causa puellæ *Rustici* cujusdam filio elocandæ, quæ hic integra meretur legi. Sic autem habet: *Puella, de quâ mihi scripsit Sanctitas tua, in eâ est voluntate, ut, si ætas ei jam esset matura, nulli in Nuptiis conveniret; in ea verò est ætate, ut, si voluntatem nubendi haberet, nulli adhuc dari vel promitti deberet. Huc accedit, quia Deus eam in Ecclesiâ sic tutatur, ut contra improbos tueatur; non ut cui voluero, tradi possit, sed ut à quo non oportet, rapi non possit. Conditio itaq;, quam insinuare dignatus es non mihi displicet, si nuptura est. Virum autem nuptura sit, et si illud, quod in ore habet, magis optamus, nunc tamen ignoramus, quia in his annis est, ut quod se dicit velle Sanctimonialem esse, jocus sit potius garrientis, quàm sponsio profitentis.* Deindè *habet Mater eram, cujus Vir honorabilis frater noster Felix, dum de hâc re contuliſſem cum Illo, (neque enim possem aliter, vel deberem,) non quidem invitus accepit, imò etiam gratulatus est; sed jure Amicitiæ non importunè doluit,*

quod

quod eis nihil indè sit scriptum. Fortassis enim, quæ nunc non adparet, adparebit & Mater, cujus voluntatem in tradendâ Filiâ omnibus, ut arbitror, Natura præponit; nisi eadem puella in eâ NB. *jam ætate fuerit, ut jure licentiori sibi eligat ipsa, quod velit. Illud quoq; cogitet Sinceritas tua, quia si mihi de Nuptiis ejus potestas summa ac tota tribuatur, atq; ipsa quoq; jam matura ac nubere volens, cui voluero, tradendam se Deo judice mihi committat, sic dico, & verum dico, mihi istam placere conditionem, ut propter Deum Iudicem non possim respuere* (videtur hic aliquid deesse) *meliorem, quæ utrum adventura sit, utiq; est incertum. Quapropter videt Charitas tua, quanta concurrant consideranda, ut nunc à me cuiquam promitti omninò non possit.* Hic est tenor Epistolæ, cui si proximè sequens addatur, quam ad ipsum *Rusticum* scripsit de eodem argumento Augustinus, majorem indè accipiet Lucem. Nunc ex omnibus, quæ indè excerpi possent, illud solùm ad Propositum inserviat, quod Augustinus non solùm Matri potestatem, *& quidem ex Iure naturali,* in elocandâ Filiâ adscribat, sed in defectu ejus etiam *Materteræ*, id est, Matri alteri, & quæ in defunctæ Matris locum succedat, imò insuper etiam ejus Marito, tanquam proximo vel in primo genere & gradu defunctæ Matris Adfini, utpotè de quo Augustinus notanter monuit, *quod ex jure Amicitiæ non importunè doluerit*, se in hoc negotio præteritum, nihilq; sibi de eo, à quibus debuit, perscriptum fuisse. Et quamvis hanc potestatem idem Augustinus temperare videatur additâ exceptione, *nisi eadem puella in eâ jam fuerit ætate, ut jure licentiori sibi eligat ipsa, quod velit*; satis tamen ex antecedentibus constat, hoc jus liberorum non ad aliud extendendum esse, quàm ne à parentibus cogantur, sed & ipsis aliquod eligendi jus hâc in re concedatur, ubi videlicet ad eam pervenerint ætatem, quâ secundùm Pietatis regulam & bonum eligere, & malum respuere à prudentioribus didicerunt. In Quæstione *secundâ* de Impedimento ex Ratione Voti solennis nihil circa Augustini authoritatem occurrit, quod non suprà in Examine Quæstionis de *Cælibatu Sacerdotum* & Voto Castitatis fuerit tractatum, id quod etiam de impedimentis ex respectu criminis, in specie Adulterii, ut & *disparitate cultûs* dici potest, utpotè de quibus in antecedentibus proximè est actum, nisi quod posterius, videlicet cultûs disparitatem attinet, duo breviter notanda veniant, primum circa authoritatem *Lutheri* ad Augustini Matrem provocantis, alterum circa authoritatem ipsius Augustini. De *Luthero* quidem dicit Bellarminus, Eum in libro de *Captivitate Babylonicâ* hoc impedimentum non admittere, videlicet, ut Matrimonium inter diversæ Fidei conjuges contractum, ex eo solùm respectu, nimirùm ob cultûs disparitatem, sit invalidum & solvi posse dicatur; *nec tamen aliud adferre argumentum, nisi, quia DEus hæc Matrimonia Christianis prohibuisse non legatur, & quia Augustini Mater Monica virum habuerit infidelem.* Atqui ipse pòst Bellarminus, in explicatione Propositionis secundæ, *Matrimonium inter fidelem & infidelem non est irritum Iure Divino, Naturali, vel positivo, vel certa aliqua Ecclesiæ lege*, inter alia ad hoc Exemplum provocavit, *quod Monica virum habuerit paganum*, in antecedentibus immediate monens, pòst Hieronymum testari Augustinum, *in Lege Gratiæ & suo tempore frequentissima fuisse in Ecclesia hujusmodi conjugia*, hac cum additione, *Quamvis à Patribus reprehendebantur, non tamen dirimebantur; nec est probabile, fuisse tolerata, si vera non fuissent Matrimonia.* Et ubi Monicæ adjunxit *Clotildim Christianam Clodoveo Regi Francorum Ethnico nubentem*, hanc adnexuit notationem: *Vtraq; pia erat, & Virum ad Fidem convertit. Non potest autem fieri, ut piæ essent fœminæ, & in perpetua viverent fornicatione.* Et tamen ad sequentes proximè Propositiones, videlicet, *Matrimonium inter fidelem & infidelem non baptizatum esse irritum ex more populi Christiani vim legis obtinente, & posse Summum Pontificem, si causa id postulet, cum fideli dispensare, ut cum infideli Matrimonium contrahat*, inter modos quatuor, quibus ad Exempla talium Matrimoniorum respondere conatur, quartum esse dicit, dum Conjuges impares fidei *ignorantiâ & introductâ consuetudine excusari fortassè* putat, inq; hoc numero ponendam videri Monicam Augustini Matrem, *quia Ejus tempore ita invaluerit consuetudo, ut peccatum non putaretur, cum Gentilibus jungere Matrimonia*, IPSO TESTE AUGUSTINO. *Itaq; Monica*, id quod insuper addit Bellarminus, *cujus Exemplum hæretici faciunt tanti*, (etsi Bellarminus quoq; ad illud provocaverit,) *ignorantia & more Patrio fortassè à peccato excusabatur, vel certè Pœnitentiâ & lacrymis illud purgavit. Neq; debuit Matrimonium semel contractum dirimere, quia nondum mos populi fidelis disparitatem cultûs inter impedimenta Matrimonium dirimentia reposuerat, ut postea fecit.* En iterum Lector specimen canæ Antiquitatis! De ipso autem Augustino ad primam Propositionem, *Non licet fidelibus cum infidelibus aut etiam hæreticis Matrimonia jungere*, sequentia habet Bellarminus: *Augustinus videtur in hac re dubius hæsisse. Nam in primo ad Pollentium de Conjugiis adulterinis libro refert Sententiam Pollentii*, quod in utroq; Testamento sit fidelibus

de Fide & Oper. cap. 19.

vid. le Cointe Annal. Eccles. Franc. Ann. 492. & 493.

pro-

Lib. IV. dist. 39. cap. 25. prohibitum, Matrimonium cum infidelibus jungere, *quæ verba Lombardus tanquam ex Augustini Sententiâ refert, cùm revera ex Pollentii, non Augustini Sententiâ sint accipienda.* Deindè *ex sua loquens Sententia Augustinus tantum dicit*, non inveniri testimonium in N. T. in quo sine ambiguitate ejusmodi Conjugia prohibeantur, *quamvis fateatur*, Cyprianum nihil dubitâsse, quin illicita essent ea Conjugia. *In libro autem de Fide & Operibus repetit iterùm*, in Scripturis N. T. se non reperisse hâc de re certum testimonium, tametsi Cyprianus inter gravissima posuerit crimina, jungere cum infidelibus Matrimonia. *Sed tandem concludit*, omninò cavendas esse ejusmodi conjunctiones, quia expediat in re cap. 29. dubiâ tutiorem sequi partem. *Itaq;*, pergit Bellarminus, *ex Augustino habemus, ista Matrimonia ad minimum esse dubia, & proindè non contrahenda. Nec tamen*, ita porrò Bellarminus, *si Augustino licuit dubitare, nobis quoq; licebit, cùm nos Pauli Sententiam habeamus à plurimis Interpretibus explicatam, multa etiam testimonia Conciliorum & Patrum, quæ Ipse non viderat, & denig; omnium Theologorum, qui post Magistrum scripserunt, adeòq; totius Ecclesiæ consensum.* Ad utramque & *Lutheri* & Augustini accusationem à Bellarmino factam Ego hic nihil addo, Lectori judicium relinquens, minus nimirùm difficile ex iis, quæ in antecedentibus ad hoc argumentum fuêre collata satis liberaliter. Et quia in cæteris Quæstionibus, quæ sequuntur, de impedimento Cognationis vel consanguinitatis & proximæ ei adfinitatis &c. *Augustini* mentio vel planè nulla fit, vel ita, ut Evangelicis non sit adversa, non est, ut prolixior mora hic nectatur, præsertim quia hæ Controversiæ à non unis ita sunt pertractatæ, ut ad Spicilegium nihil aut perparum superfit; è contrario autem in sequenti Tomo, qui adhuc restat ex *Augustino* ventilandus, ea occurrent, quæ majorem operam & amplius studium requirunt, intervenientibus nimirùm *Iansenianis* difficultatibus, circa quas multi quidem hactenus inter Romanenses, Ignatiani præsertim ordinis, nec sine graviori causâ, fuêre occupatissimi, prolixis operibus publicatis, ex Evangelicis verò tantum non planè nulli huic Operæ manum admoverunt, idque vel incidenter & obiter, vel generaliter, speciali Controversiarum discussione aut intermissâ aut in aliud tempus dilatâ.

Huc pertinet Controversia de *Iudice Causarum Matrimonialium*, quas ad Ecclesiam referri debere, Bellarminus capite penultimo in se suscepit defendendum, nullâ tamen Augustini mentione facta, ob quam rem hujus Controversiæ discussio primùm fuit omissa. Pòst autem impetrare licuit opus rarum, ex *Indice Librorum Romæ prohibitorum* tulo tenùs antehàc cognitum, *Michaelis Rabardæi*, è Societate Ignatii Lojolæ, *Optatum Gallum, de cavendo Schismate* &c. *manu*, ut Inscriptio habet, *benigna fectum*, Parisiis, Anno hujus Seculi post quadragesimum primo, cum *Adprobationi & Privilegio* editum, in quo Sectionem quintam consecravit susceptæ demonstrationi, *Leges Regias connubiales reciprobabilem Legum compendas esse*, toti insuper Tractationi loco Adpendicis subjungens *nubialium*, videlicet Regiarum *defensionem*. Utrinq; ea occurrunt, quæ ob libri cognitam raritatem Lectori curioso non possum non facere communia, nimirùm non ubivis obvia. Et quia non minima pars hujus Controversiæ occupatur circa Quæstionem de *consensu vel dissensu Parentum*, de quo ad caput antecedens contra Bellarminum ex Augustino aliquid dictum est, juvat de eâ quædam huc excerpere. Paragrapho scilicet octavo solvitur objectio proposita ex Decreto Synodi Tridentinæ. *Objiciunt*, inquit, *adversarii* (quinam alii, quàm Romanēsis Curiæ Satellites?) *Decretum Synodi Tridentinæ, quo Patres* Sess. 24. cap. 1. de Reform Matrim. *declarant, dubitandùm non esse, clandestina Matrimonia, libero contrahentium consensu celebrata, facta, fuisse rata & vera, quamdiu Ecclesia non fecit irrita; & proindè damnandos fuisse illos esse, ut eos sancta* (scilicet!) *Synodus anathemate damnat, qui ea negant vera fuisse ac rata, quique falsò adfirmant, Matrimonia à filiisfamiliàs sine Parentum consensu contracta esse irrita, & Parentes ea posse vel rata vel irrita facere.* Lovanienses, ita pergit optati Galli Sector, Doctores in quodam libello nuper de simili Controversia edito docent, ex hoc Decreto jam non posse revocari in dubium, Matrimonia à filiisfamiliàs sine Parentum consensu contracta fore valida. Quamvis enim hujus Concilii Decreta, quæ ad Morum Reformationem pertinent, non sint ubiq; gentium à Catholicis (id est, Ecclesiæ Romanæ addictis) omnibus universaliter usu recepta, neque publicata; omnes tamen Christiani (ut ajunt Lovanienses) obligantur, ut sequantur & adprobent Veritates in Conciliis generalibus propositas, nominatim in Synodo Tridentina, quibus adnexa est censura Excommunicationis adversus illos, qui Sacri (quin imò sacerrimi) Concilii definitiones non adprobarent. *His ita respondet*, non dicam infectus, sed adtectus aere Gallico Lojolita, aliter forsitàn scripturus, si Horizonte Romano ambiretur, quod ante hos circiter Annos

quin-

quinquaginta *Parisiis* ejusdem ordinis homines in negotio non multùm dissimili respondisse author est *Gramondus*, Scriptor rerum Gallicarum post *Thuanum* splendidissimus: Primò quidem noto, hâc de re longam Disputationem (cujus post *Petrum Suavem* meminit etiam *Sfortia Pallavicinus*) institutam fuisse inter Patres, & doctissimos in Concilio Viros, inter quos *Guilielmus Cassadorus*, Barcinonensis in Hispania Episcopus, & alii dicebant, *relinquendam hâc in parte Patribus potestatem adversus filios, ipsis Naturali Iure & Authoritate Divinâ comprobatam.* Interrogo vos, Sapientissimi Lovanienses Magistri, censetisne, hoc Decreto doctrinam, vel (ut loquimini) Veritates, ex Christianâ & Divina Fide revelatas, prorsùs adprobandas esse, utpotè manifestis Librorum Sacrorum testimoniis expressè comprobatas, vel antiquâ traditione à S. Apostolis acceptas, aut deniq; ex Sententiis Librorum Divinorum, aut antiquâ traditione Ecclesiastica, consecutione necessaria traductas? Fateor quidem, ex Christianæ atque Divinæ Fidei doctrina concedendum, Summos Pontifices & Sanctissimos Episcopos in Conciliis generalibus ad mores Christianorum benè, honestè studiosèq; conformandos potuisse hanc Legem ipsis imponere, ut hi non possent, nisi Parocho proprio præsente vel alio Sacerdote de ipsius Parochi vel Ordinarii licentia cum duobus vel tribus aliis testibus Matrimonium contrahere; tùm ut filiifamiliàs, cùm ad ætatem jure definitam pervenerint, possent absque Parentum suorum consensu, si nullo alio impedimento præpediuntur, inter se liberè cum prædicta Solemnitate Nuptias validè contrahere, quia hoc pertinet ad plenam & integram authoritatem Ecclesiæ Catholicæ ac Pontifici Maximo, ejusdem Ecclesiæ summo Capiti à Domino nostro Jesu Christo traditam. *Hactenus palpum Romanis obtrusisse videri potuit Gallus*; nunc libertatis Gallicanæ patrocinium suscepit, ne Panem in Gallia satis bonum iteratò cum Sociis amittat, ita porrò scribens: Verùm quia hoc Statutum ad Mores tantùm & honestiorem Matrimonii celebrationem spectat, quod tacito quodam modo significant Lovanienses, uti vim & obligationis robur non obtinent similes Leges, nisi fuerint usu receptæ, quin potius moribus utentium in contrarium abrogantur; sic neque hoc Decretum, nec Excommunicationis Censura, authoritate ejusdem Decreti fundata, Christianos quosdam antiquo More viventes adstringit, præsertim cùm Reges & Summi Principes authoritate justâ, nullâ suâ culpâ, eos perseverare mandant in antiqui Juris & Moris observatione. Et quia Anathema, quod est æternæ Mortis damnatio, non nisi pro crimine mortali debet imponi, & illi, qui non potuerit aliter corrigi, ut Patres definierunt in Concilio *Meldensi*; subditi autem Leges Regias publicè receptas, vel Morem & Consuetudinem antiquo usu receptam sequentes non videntur de culpâ mortiferâ condemnandi, igitur non incurrent in Excommunicationis Sententiam velalias pœnas Censuris Ecclesiasticis propositas. Prætermitto quam plurima summæ Curiæ Judicia, in quibus etiam hoc nostro tempore æquissimi & maximè Catholici (id est, addicti *Aulæ* Romanensi) Præsides, & Senatores sapientissimi ex Ordinationum & Edictorum Regalium Sententia declarârunt frequenter, *Conjugia à filiisfamiliàs sine Parentum consensu contracta, quod raptum saperent, irrita & nulla prorsus existere; neq; hos quisquam vel suspectæ fidei crimine, neq; Censurâ Excommunicationis in eo Decreto propositâ censuit damnandos.* Ne autem hæc sine antiquorum Ecclesiæ Doctorum, nominatim Augustini authoritate videatur scripsisse *Gallus Anti-Gallus*, in citatâ jam probabili Defensione Legum Regiarum connubialium, quam Adpendicis loco integræ Tractationi Eum subjunxisse monui, ad laudatum in Vindiciis Anti Bellarminianis Opus Augustini *Quæstionum ad Numeros* provocavit, sequenti verborum tenore: *Augustinus probat ex Sancti Pauli Sententia, suo tempore apud Christianos necessarium fuisse consensum Parentum pro Nuptiis filiorum validè celebrandis*; sic enim Ille monet Corinthios: *Si quis turpem se videri existimat super Virgine suâ, quod sit superadulta, & ita oportet fieri, quod vult faciat; non enim peccat, si nubat. Igitur qui Matrimonio jungit Virginem suam, benè facit; & qui non jungit, melius facit.* Neque quisquam dicat, hanc Monitionem à Sancto Paulo tantùm Ebræis secundùm Morem suæ Gentis factam, apud quos puellæ de consensu Parentum in Matrimonio collocabantur, ut patet de Nuptiis Rebeccæ cum Isaaco, Liæ & Rachelis cum Jacobo, & multis aliis Exemplis; quia Divus Paulus hæc scripsit generaliter Corinthiis Christi fidelibus, apud quos erant plures tam de Gentilitate, quàm de gente Ebræorum oriundi, quibus Apostolus custodiendam Legem Romanam censuit, *quâ in Patris potestate situm fuit, filias in Matrimonio collocare, ut hæc potestas Naturali vel Gentium Iure stabilita necessario quodam modo sit adjuncta Dignitati Imperatoris, Regum & Summi cujuscunq; Principis secularis.* Ita ante Annos plus quam triginta *Rabardæus* de Judice Causarum

p. 235. & sequ.

larum Matrimonialium, in specie quoad consensum Parentum, de quo Caput antecedens contra Bellarminum egit ex Augustino.

Post hunc nuper demùm diligentissimus Sorbonista *Launojus* in laudato ante Tractatu de *Regia in Matrimonium potestate* in genere hoc negotium prolixissimè est executus, non modò contra Bellarminum & sequaces, nominatim verò *Basilium Pontium*, & qui Ejus rationes descripserunt, *Gasparem Hurtadum* & *Antoninum Dianam*, sed etiam contra *Henricum Canisium*, Juris Consultum Ingolstadiensem, de quo scribit, *quod omne Ius circa Leges connubiales Principibus abjudicare conetur*, ex eo etiam sequentia ad præsens Institutum, quod Augustini respicit authoritatem, describens: *Quod Augustinus citat & probat Legem quandam Imperatoris Antonini, quâ vetat, ne maritus adulter adulteram uxorem accuset, vel, ut ambo damnentur, si ambos pariter impudicos ipse convicerit conflictus; id non indicio est, Episcopos Imperatori Consiliarios esse aut Adsessores, sed rectè Episcopos hujusmodi Leges comprobare. Nec enim inviti fatemur posse Principem secularem in re spirituali & Ecclesiastica, ad coercendum ejus abusum & retinendam civilem Disciplinam juxta dispositionem Canonum adjicere pœnam.* Launojus addit, Nunc inspiciendum est paulò diligentius, num Magister Ecclesiarum (Augustinus) Imperatorem Antoninum usurpatæ in Matrimonium Jurisdictionis accuset, & omnem ei circa Matrimonium, quia Sacramentum est, quia res sacra est, abjudicet potestatem. Augustini adscribo verba ex Opere de Conjugiis adulterinis: *An Sexûs nostri dignitas hanc sustinebit injuriam, ut cum aliis fœminis præter Vxores nostras si quid admittimus, in pœnis luendis comparemur Mulieribus? Quasi non propterea magis debeant concupiscentias illicitas viriliter frenare, quia viri sunt; quasi non propterea magis debeant mulieribus suis ad Virtutis hujus Exemplũ se præbere, quia Viri sunt; quasi non propterea minus debeant à libidine superari, quia viri sunt; quasi non propterea minus debeant carni servire lascivienti, quia viri sunt? Et tamen indignantur, si viros audiant adulteros pendere similes fœminis adulteris pœnas; cum tantò gravius eos puniri oportuerit, quantò magis pertinet adeos Virtute vincere & Exemplare regere fœminas. Christianis equidem loquor, qui fideliter audiunt, Caput mulieris vir; ubi se agnoscunt duces, illas autem comites esse debere. Et idèo cavendum est viro, illàcire vivendo, qui timet, ne Vxor sequatur imitando. Sed isti, quibus displicet, ut inter virum & uxorem par Pudicitiæ forma servetur, & potius eligunt, maximèq; in hâc causâ, Mundi legibus subditi esse, quàm Christi, quoniam Iura forensia non eisdem, quibus fœminas, pudicitiæ nexibus videntur obstringere, legant, quid Imperator Antoninus, non utique Christianus, de hâc re constituerit, ubi Maritus Vxorem de adulterii crimine non sinitur accusare, cui moribus suis non præbuit exemplum Castitatis, ita ut ambo damnentur, si ambos pariter impudicos concivcerit conflictus. Nam supradicti Imperatoris verba sunt, quæ leguntur apud Gregorianum: Sanè, inquit, literæ meæ nullâ parte præjudicabunt causæ; neq; enim si penes te fuit culpa, ut Matrimonium solveretur, & secundùm Legem Iuliam Eupasia Vxor tua nuberet, propter hoc meum rescriptum adulterii erit damnata, nisi constet esse commissum. Habebunt autem ante oculos hoc inquirere, an, cùm tu pudicè viveres, illi quoq; bonos Mores colendi author fuisti. Perinigvum enim mihi videtur esse, ut pudicitiam vir exigat ab Vxore, quam ipse non exhibet; quæ res potest & virum damnare, non ob compensationem mutui criminis reminter utrumq; componere, vel causam facti tollere. Si hæc observanda sunt propter decus terrenæ civitatis, quantò castiores quærit Patria cœlestis & societas Angelorum?* Launojus hanc subjungit glossam, Augustinus hic non tergiversatur, ut Eum tergiversari vellet Canisius: Imperatoris quamlibet Ethnici legem non repudiat, sed honorificè laudat, & ad regendos Christianorum mores adsumit. Quod si verum est in iis, quæ contractum Matrimonii sequuntur; multò verius erit in iis, quæ & antecedunt eundem Matrimonii contractum, quales sunt Leges, quæ Matrimonium vel dirimunt, vel etiam quæ Matrimonium in ratione contractûs civilis constabiliunt. Hæc ibidem Launojus, quæ huc quam maximè pertinentia non omittenda censui.

p. 177. & seqq.

lib. II. cap. 8.

TOMI